3
448
BIBLIOTECA NAZIONALE
CENTRALE - FIRENZE

Digitized by Google

Digitized by Google

# Q. HORATII FLACCI

*OPERA*

INTERPRETATIONE ET NOTIS

LUDOVICI DESPREZ

IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

Digitized by Google

Digitized by Google

# Q. HORATII FLACCI

## *OPERA.*

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT


## LUDOVICUS DESPREZ

CARDINALITIUS SOCIUS AC RHETOR EMERITUS


JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS

IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI

*AC SERENISSIMORUM PRINCIPUM*

BURGUNDIAE, ANDIUM, BITURIGUM.

*TOMUS PRIMUS.*


FIRENZE



BASSANI

EX TYPOGRAPHIA JOSEPH REMONDINI ET FIL.

M. DCCC. XVI.



Digitized by Google

B^a 5. 3. 448

*SERENISSIMO*

# *DELPHINO.*

*Ensem dextrâ, lævâ librum tenens Iulius ille Divus quondam in numismate voluit effingi, cum hac epigraphe:* EX VTROQVE CAESAR. *Sic Roma suum Imperatorem doctum æque & bellicosum ultro venerata est.*

*Te,* SERENISSIME PRINCEPS, *Gallia, Europa tota,*

*pa-*

Digitized by Google

*pari elogio decoratum salutat; quem & Minerva suis artibus impenſe excoluit, & militari gloriâ certatim exornat Pallas; utraque lauros ſponte affundit.*

*Obſtupeſcat ſane Germania, in quam prima armorum tuorum fulmina detonuerunt, tanto quidem fragore, ut totus adhuc Rhenus contremiſcat, Aquila vero pavens haud volatum tentare auſit; imo lucem ac ſolem exinde refugiat.*

*Hinc attoniti mirentur hoſtes Philippoburgum, Moguntiam, tot alias urbes arceſque probe munitas brevi temporis intervallo & parvo conatu raptas & expugnatas: quin & hyemis & paludum & fluviorum difficultates tam facile victas. Vix certe quiſquam poſterorum credat hæc eſſe militiæ rudimenta duntaxat, & quaſdam velut in campo Martio proluſiones.*

*Quid vero quod alterâ expeditione circumglomeratas improbe fœderatorum copias ſic Galliæ finibus propulſaſti, ut hoſtiles etiam regiones appetens, propriis eorum commeatibus opibuſque exercitum tuum abunde ſuſtentaris ditariſque anno fere integro; ipſos autem fame confectos & conſumptos prope ad interitum redegeris? O Achillem Gallicum! O* LUDOVICI MAGNI *in-*

*cre-*

Digitized by Google

*crementum illustre! O consummatæ jam virtutis ac militaris scientiæ magistrum! Sic per Te fracta nempe tot hostium contumacia. Sic Liliorum Francicorum splendorem non tueris modo, sed mire auges & amplificas.*

*Ergo si viveret Horatius noster his temporibus, quam strenue Druso majorem celebraret! Quanto alacrius de Te,* Serenissime Princeps, *prædicaret:*

Vindelici . . .

Sensere quid mens rite quid indoles
Nutrita faustis sub penetralibus
Posset.

*Porro crescat interim, feliciter adolescat, bonis omnibus disciplinis instituatur atque firmetur triplex Regni spes & columen. Serenissimos dico Principes* Burgundiae, Andegavensium, Biturigum *Duces: quos Tuarum atque* Ludovici Magni *virtutum æmulos universus orbis jam jamque sperat, reveretur, reformidat. Crescant illi ad nostrum præsidium; dotibus regiis instruantur ad terrorem hostium; augeantur virtutibus ad Religionis firmamentum; denique his omnibus in dies inclarescant, ad Patris Avique gloriæ cumulum.*

*His quidem illos votis Franci omnes amantissime*

*pro-*

Digitized by Google

*proſequuntur; dum Tu nova paras bella, novoſque adornas triumphos. Ego demum obſequio ſtudioque non ultimus ſaltem accinam:*

Contende felix ad decus optimum,
Delphine Princeps, Gloria cui præit.
Quodcunque (ſic fatis ſtatutum)
Borbonium eſt, decet eſſe ſummum.

PRAE-

Digitized by Google

# PRAEFATIO

Quo fato ultimus prodit qui inter primos Auctores censetur? Dicam, Lector. Horatius Romanis Proceribus gratiosus quondam, Principibus etiam Francis dudum sese avet insinuare. Opem ei suam præstitere tum illustrissimus Dux Montauserius, tum præstantissimus Ecclesiæ Meldensis Præsul Bossuetius, nec non Doctissimus Huetius Abrincensium Episcopus designatus: atque interpretandi & adnotandi provinciam duobus subinde viris eruditione conspicuis commiserunt. Ecce vero unum, dein & alterum abstulit invida mors. Tandem res ad me delata, damno, fatebor enim, publico. Ut ut est, æqui bonique consule, Lector, ut jam antea fecisti. Meas ad Juvenalem & Persium annotationes haud aspernatus ante annos fere septem, nunc ad Horatium accipe non minus accuratas, paulo vero copiosiores. Age, spatiare mecum non invitus per amœna hæc Musarum viridaria, ad argutos & dulces Venusini Cycni cantus, & ad elegantis admodum Satyrici festivos ac lepidos sales & sermones.



Digitized by Google

# Q. HORATII FLACCI

## *VITA.*

(*a*) Quintus Horatius Flaccus in Venusio Apuliae oppido natus est. (*b*) Patrem habuit libertinum, et exactionum coactorem. Salsamentarium scribunt aliqui: eo quod in altercatione quidam Horatio exprobraverit: *Quoties ego vidi patrem tuum brachio se emungentem?* Cujus dicterii meminit Tullius 4. ad Heren. (*c*) Natalem ejus ponunt duobus annis ante conjurationem Catilinariam, L. Aurelio Cotta et Manlio Torquato iterum consulibus. (*d*) A patre Romam puer deductus, ibique honeste educatus, atque liberalibus disciplinis institutus est. (*e*) Orbilium grammaticum audivit. (*f*) Româ Athenas se contulit, Philosophiae discendae causâ. (*g*) Athenis cum versaretur, annum aetatis agens vicesimum tertium, a Bruto abstractus ad civile bellum, ac Tribunus militum factus, Philippensi cladi interfuit. (*h*) Tum victus, et bonis exutus paternis, paupertate conflictatus ad poesim animum appulit. (*i*) Hinc Mœcenatis amicitiam demeruit: ac per eum subinde cum Augusto reconciliatus, utrique valde charus exstitit, et liberaliter ditatus. (*k*) Suetonio etiam teste, primum scriba Quaestorius fuit, post veniam ab Augusto

(*a*) Libro 2. Sat. 1. versu 35.
(*b*) Lib. 1. Sat. 4. et 6.
(*c*) Lib. 3. Od. 21. Epod. 13.
(*d*) Lib. 1. Sat. 6. Lib. 2. Epist. 2. v. 41.
(*e*) Lib. 2. Epist. 1.
(*f*) Lib. 2. Epist. 1.
(*g*) Lib. 2. Od. 7. Lib. 3. Od. 14. Lib. 1. Sat. 6. v. 48.
(*h*) Lib. 2. Epist. 2.
(*i*) Lib. 1. Od. 18. Lib. 3. Od. 16. Epod. 1.
(*k*) Lib. 2. Sat. 6. v. 36.

impetratam. (a) Animo erat a tumultibus urbanis alieno, secessumque amabat. Apud Sabinos autem libenter morabatur in fundulo suo, quem describit lib. 1. Epist. 16. (b) Hinc scribendarum epistolarum munus ab Augusto oblatum detrectavit. (c) Victus frugalitatem cum munditia dilexit. (d) Fuit corporis habitu brevi et obesus. De ingenii scriptorumque elegantia nihil est, quod dicam, cum tot saecula non sine admiratione praedicaverint junctam ab eo in carminibus Anacreontis suavitatem cum Pindari virtute et sublimitate: in sermonibus vero eam dicacitatem urbanam, qua nihil solertius et sagacius. Mortuus est an. aetatis 57. Erravitque librarii manus ex Suetonio scribentis 59. (e) Augustum haeredem palam nuncupavit. Humo conditus est in extremis exquiliis, juxta Moecenatis tumulum.

(a) Lib. 1. Sat. 6. Lib. 1. Epist. 10.
(b) Sueton. in vita Horatii.
(c) Lib. 1. Od. 31. Lib. 2. Sat. 6. Lib. 1. Epist. 5.
(d) Lib. 2. Sat. 3. Lib. 1. Epist. 4. et 20.
(e) Sueton. cit.

TE-

TESTIMONIA VETERUM SCRIPTORUM

# DE HORATIO.

Ovid. lib. 4. Trist. Eleg. 10.

*Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,*
*Dum ferit Ausoniâ carmina culta lyrâ.*

Pers. Sat. 1.

*Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico*
*Tangit, & admissus circum præcordia ludit,*
*Callidus excusso populum suspendere naso.*

Martial. lib. 8. Epig. 18.

*Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,*
*Pindaricos posset cum superare modos.*

Petron. Satyr.

*Homerus testis & Lyrici, Romanusque Virgilius, & Horatii curiosa felicitas.*

Lucan. Poem. ad Calp. Pisonem.

*Ausoniamque chelyn gracilis patefecit Horati.*

Quintil. lib. 10. cap. 1.

*Multo est tersior ac purus magis Horatius, & ad notandos hominum mores præcipuus... Lyricorum idem Horatius fere ſolus legi dignus. Nam & insurgit aliquando, & plenus est jucunditatis & gratiæ, & variis figuris & verbis felicissime audax.*

Auson. ad Nepotem.

*Te præeunte, nepos, modulata poemata Flacci,*
*Altisonamque iterum fas est didicisse Maronem.*

D. Hieron. Præfat. in Chron.

*Quid psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci & Græci Pindari, nunc Iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur.*

Sidon. Apollin. Epist. ad Lamprid.

*In Lyricis Flaccum secutus nunc ferebatur in iambico citus*, &c. Et alibi:

*stylus aut Maronianus,*
*Aut quo tu Latium beas Horati,*
*Alcæo potior lyristes ipso.*

Comment. vet.

*Horatii satira inter Lucilii & Juvenalis satiram media est. Nam & asperitatem habet ut Lucilius, & suavitatem ut Juvenalis.*

J. Lips. Epistolic. Quæst. lib 2. Epist. 9.

*Horatius in Satira placidus, lenis, quietus, monet sæpius quam castigat, sed ita præclare tamen hoc ipsum, ut in ea parte & arte nihil possit supra eum.*

QUIN-

***********************************

# QUINTI
# HORATII FLACCI
# CARMINUM
SEU
# ODARUM LIB. I.

## *AD MOECENATEM.*
## ODE I.

*Alios aliis rebus duci: se laude Poeseos praesertim Lyricae.*

Mœcenas, atavis edite Regibus,

INTERPRETATIO.

O *Mæcenas orte a majoribus proceribus,*

ANNOTATIONES.

Ode est monocolos, seu unius metri. Versus omnes Choriambici, Asclepiadei, Tetrametri acatalecti; constant ex Spondæo, duobus Choriambis, & Pyrrhichio vel Iambo, sicque scandere licet:

Mœcē | nās ătăvis | ēdĭtĕ rē | gĭbŭs

vel iste modo faciliori,

Mœcē | nās ătă | vĭs | ēdĭtĕ | rēgĭbŭs

1. *Mæcenas.*) Ex antiquis marmoribus Græcisque auctoribus constat ita scribendum hoc nomen, non, *Mecenas*, ut quidam e vulgo. Vide Cœl. Rhodig. lib. 12. cap. 16. *Mæcenas equestri sed splendido natus genere, non minus Agrippâ, Cæsari charus.* Vell. Paterc. *Vir ingeniosus, & magnum exemplum Romanæ eloquentiæ daturus, nisi illum enervasset felicitas*, inquit Senec. epist. 19.

*Atavis.*) Ex Non. Marcell. quasi *avi tata*, id est, pater. Avi proavos proprie atavus dicitur. Plaut. Pers. Scen. 2.

*Pater, avus, proavus, abavus, atavus, tritavus.*

Qui his superiores sive anteriores sunt, majores appellantur.

*Edite regibus.*) Id est, viris principibus: quicquid garriant nonnulli de Etruriæ Regibus: quamvis etiam illorum nescio quam & quo nixam fundamento seriem contexant; ut Mœcenati pater fuerit Menodorus, avus Menippus, Cæcina proavus, Volturenus abavus, Titus atavus, Turrhenus tritavus, Elbius majorum primus, &c. Certe divites quosque & primarios viros nuncupari aliquando Reges, constat ex auctoribus tum profanis, tum etiam sacris. Vide infra Od. 20. v. 5. ibique Annot. lib. 3. Od. 29. *Tyrrhena Regum progenies.*

Digitized by Google

O & præsidium, & dulce decus meum:
Sunt quos curriculo pulverem Olympicum
Collegisse juvat: metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis

INTERPRETATIO.

*o meum columen, & chara mea gloria: sunt plerique qui decurrentes gaudent conspergi pulvere Olympico, & quos meta non tacta rotis*

ANNOTATIONES.

2. *O & præsidium.*) Mæcenas fuit salutis atque dignitatis auctor ac defensor apud Augustum, non Horatio tantum, sed & Virgilio, Propertio, aliisque viris litteratis præsidium ac tutela. Vide lib. 2. Od. 7. Tanta vero Mæcenatis apud posteros fama exstitit, ut ad omnes Eruditorum Patronos id nominis transierit, quorum ea munificentia atque ope scientiarum fata pendere videantur.

*Dulce decus meum.*) *Decus* ex nobilitate: *dulce*, ex familiaritate viri Principis. Huc pertinet quod ait Persius Sat. 1. v. 116.

*Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico*
*Tangit, &c.*

3. *Sunt quos, &c.*) Alii gymnicis exercitationibus impense student, alii agriculturæ, alii navigationi & mercaturæ, alii militiæ, alii venationi, &c.

*Curriculo.*) Pro curru, vel ipso cursu, vel etiam loco, in quo decurritur, accipitur ista vox.

*Pulverem Olympicum collegisse juvat.*) Decurrendo stadium, sive Romæ in Circo, vel in Campo etiam Martio; sive apud Græciam in Ludis illis solemnibus, qui totius orbis frequentia celebrabantur, in quibus pentathlon, sive quinquertium, id est, quintuplex certamen, Jaculatio, disci jactus, stadii cursus, Saltus, Palæstra: sive mavis, Cursus, Pugilatus, Discus, Cestus, Lucta. Stadium longum erat pedes sexcentos. Victores Olympionicæ vocabantur, coronabantur, laudabantur; vacatione munerum curæ ac tutelæ, perpetuâque immunitate donabantur; adeo ut Olympionicen esse censeretur aliquid majus quam Romæ de hostibus triumphus. Quatuor apud Græcos ejusmodi celebres Ludi erant, Olympici, Pythii, Isthmii, Nemei. Annui quidam, ut Pythii; quinquennales Olympici & Isthmii, Nemei tertio quoque anno fiebant: plerique dies quinque durabant. Ab Olympicis Ludis nuncupatæ sunt Olympiades ea spatia seu intervalla duas inter Ludorum celebrationes comprehensa. Institutos fama est Ludos Olympicos anno 2400. ab Hercule Cretensi quidem, in honorem Pelopis, juxta flumen Alpheum, ad delubrum Jovis in Achaia, juxta Pisam & Elidem, in campo cui Olympia nomen. Victoribus oleagina dabatur corona. Vide Virg. Georg 3. vers. 18. & seq. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Cæl. Rhodig. lib. 21. cap. 17. Pythii Ludi fiebant in honorem Apollinis ob interfectum Pythonem serpentem. Coronabantur lauro victores. Isthmici a Theseo dicati Neptuno, vel Herculi, vel Melicertæ seu Palæmoni, (nam variæ sunt opiniones) in Isthmo seu in angustia faucibus Corinthiacis. Victorum corona e pinu erat. Denique Nemei Ludi celebrabantur vel in gratiam Herculis ob occisum in Nemea silva leonem prodigiosæ magnitudinis, apud Cleonas Achaiæ civitatem in Peloponneso; vel, ut alii volunt, propter Archemorum Lycurgi puerum in Nemea sylva defunctum. Victoribus ea apio corona conficiebatur. In istis omnibus Ludis præter exercitationes corporis, erant & ingenii certamina, videlicet poetarum victores heroas & athletas certatim laudantium. Vide Pindarum. Olympicis agona Musicum addidit Nero, qui & in iis non bigis sed decemjugi curru aurigavit, victoriamque tulit. Sylla Olympiade 175. athletas & reliqua ex Olympiis certamina Romam traduxit. Alex. ab Alex. ante cit.

4. *Metaque.*) *Meta* lapis est, vel congeries quædam in acumen fastigiata, seu e lato in acutum erecta, circa quam currus, seu bigæ vel quadrigæ, seu etiam in mari naves cursum flectebant. Ovid. Met. 10.

*Metasque imitata cupressus.*

In circo Romano metæ primum ligneæ, ab Imperatore Claudio factæ demum aureæ sunt. Alex. ab Alex. cit.

*Fervidis evitata rotis.*) Præcipuus erat labor & summa cautio in curuli certamine, ne in flexu currus impingeret ad metam ac diffringeretur. Apud Hom. Iliad. λ. Nestor Antilochum filium erudiens monet cavendum ut rotæ modiolus summam quidem metam attigisse videatur, sed lapidis tactum vitet, ne vulnerentur equi, currusque disrumpatur. Ergo non abs re in Olympicis nobilissima putabatur ea victoria curulis agonis. Patet ex Herodoto & Pindaro. Porro circa metam currus agitari debebat septies. Auson. Epitaph. 35.

*Prosphore clamosi spatiosa per æquora Circi*
*Septenas solitus victor obire vias.*

Propert. lib. 2. Eleg. 25.

*Aut prius infecto deposcit præmia cursu,*
*Septima quam metam triverit ante rota.*

Græci duodenum flexum notant. Pindar. Olymp. Od. 3. [illegible] & Pyth. Od. 5. [illegible]. Non prætermittam hic veterem Britannorum in regendis curribus bellicis industriam ac solertiam, ad quam usu quotidiano & exercitatione assuescebant, *ut in declivi ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, ac brevi moderari & flectere, & per temonem currere, & in jugo insistere, & inde se in currus recipere cito possent.* Cæsar Bell. Gall. lib. 4. c. 33. meminit & Juvenal. Sat. 4. v. 126.

5. *Palmaque.*) Athletis qui Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia vicissent, Græci tantos honores tribuebant, *ut non modo in conventu stantes cum*

pal-

Terrarum Dominos evehit ad Deos.
Hunc, si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus:
Illum, si proprio condidit horreo
Quidquid de Libycis verritur areis,
Gaudentem patrios findere sarculo
Agros; Attalicis conditionibus
Nunquam dimoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare.
Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens; otium & oppidi

INTERPRETATIO.

*validis, ac illustri victoria extollit ad Deos urbis moderatores. Hunc, si conventus Romanorum inconstantium certatim evehit ad maximas dignitates: illum, si congessit in suum granarium quidquid colligitur ex areis Libyæ: gaudentem scindere sarculo rura paterna, nunquam deducas* de proposito, etiam promissione *opum Attali, ut nauta timidus findat navi Cypria* undas *pelagi Myrtoi. Mercator timens Africum* ventum *pugnantem* cum *aquis maris Icarii commendat quietem, & agros sui pagi: paulo post tamen reficit naves laceras, paupertatis impa-*

ANNOTATIONES.

*palma & corona ferrent laudes:* sed & cum reverterentur in suas civitates quadrigis triumphantes invehuntur, atque vectigalibus a Republica constitutis tutius vitæ spatio fruuntur. Hæc Vitruv. lib. 4. Palma vero signum victoriæ passim apud omnes statuitur, ex Plutarcho, propterea quod ea est ejus natura ligni, ut urgentibus opprimentibusque minime cedat. Unde est illud Alciati Epigramma.

*Nititur in pondus palma, & consurgit in altum:*
*Quo magis premitur hoc mage tollit onus.*

6. *Terrarum dominos.*) Ista verba quidam accipiunt de Romanis, qui fuerint victores in Ludis Circensibus, scilicet ob illud Virgilii, *Romanos rerum dominos;* nonnulli referunt ad vitam & fortunam Olympionicarum beatissimam, quæ & in proverbium abiit. Melius tamen alii ad ipsos *Deos* urbis dominatores.

*Evehit ad Deos.*) Ad Deorum felicitatem videtur evehere. Hinc & lib. 4. Od. 2. v. 18. *cælestes* appellantur Olympionicæ.

7. *Mobilium.*) Quidam *Nobilium*, leg. At illud aptissimum populi epithetum. *Quiritium*, a Romulo, qui post mortem & apotheosim Quirinus vocatus, Quirites Romani sunt dicti;

*Sive quod hasta quiris priscis est dicta Sabinis*, Ovid. Fast. 2.

8. *Tergeminis honoribus.*) Amplissimis, Tribunatu, Quæstura, Ædilitate, Prætura, Consulatu, Censura, Dictatura. Alii intelligunt iteratos Magistratus; nonnulli sublatos & congeminatos plausus in theatro, quales Mæcenati gratulatur Horatius Ode 20. hujus libri.

10. *Libycis.*) Martial. lib. 6. Epig. 86.

*Potideas Libycas messes, &c.*

apud Pindarum Λιβύα εὐρυθρόνος. *Libya tritici ferax:* Claudian. de Laudib. Stilic. *Spicis insignis Africa* dicitur.

*Areis.*) Varro de Ling. Lat. 4. *ubi frumenta secta terantur & arescant.* Festus vero ait esse *locum vacuum, quasi exaruerit, & non possit quidquam generare.* Hinc & areæ vocantur loca in urbe pura, vacua, nullisque ædificiis occupata.

11. *Sarculo.*) Rusticum est instrumentum in modum falculæ incurvum, quo segetes noxiis herbis internascentibus leviter scalpendo expurgantur. Gallice *un sarcloir*. Sarrire, *sarcler*.

12. *Attalicis conditionibus.*) Opulentissimis scilicet illis: vel toto Asiæ regno, ubi Attalus Pergami rex floruit opibus tantis quidem, ut earum hæredem non alium quam Populum Romanum judicarit a se instituendum. Hinc & splendida quælibet nominantur Attalica. Propert. lib. 2. Eleg. 13.

*Nec sit in Attalico mors mea nixa thoro.*

De Attalo plura l. 2. Od. 18. Vide Justin. l. 36.

13. *Trabe Cypria.*) Navi fabricata ex optimis lignis, qualia ædificandis navibus aptissima reperiuntur in Cypro Mediterranei maris insula, de qua postea fusius ad Od. 3. v. 1. *Trabs* Isidoro lignum unum quod transversum continet utrumque parietem. Festo duo ligna compacta: hinc trabica pro navi.

14. *Myrtoum.*) Pars Ægæi maris Eubœæ proxima, sic appellatur ex Plinio, ab insula parva, quæ hodie *Mandria*, olim *Myrtos*. Fabulatores volunt sic appellari a Myrtoo quodam in mare istud præcipitato: vel a muliere Myrtone. Porro illud præ ceteris mare hic afferri videtur, quia naufragiis infestum nautis pavorem injiciat, vixque citra periculum navigari queat, ob crebras insulas & scopulos.

15. *Icariis fluctibus.*) Hodie *mar di Nicaria*, Ægæi pars ad Samum ac Delum insulas, nomen habuit ab Icaro Dædali filio, in illud delapso. Ovid. Fast. 4.

*Transit & Icarium lapsus ubi perdidit alas*
*Icarus, & vastæ nomina fecit aquæ.*

*Africum.*) Ventum ab Africa flantem, vernacule *Sud-ouest*, inter meridiem & occasum. Virgil.

*Cre-*

Digitized by Google

Laudat rura sui: mox reficit rateis
Quassas, indocilis pauperiem pati.
Est qui nec veteris pocula Massici,
Nec partem solido demere de die
Spernit: nunc viridi membra sub arbuto
Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.
Multos castra juvant; & lituo tubæ
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata. Manet sub Jove frigido
Venator, teneræ conjugis immemor,
Seu visa est catulis cerva fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus aper plagas.
Me doctarum hederæ præmia frontium
Dîs miscent superis: me gelidum nemus,

INTERPRETATIO.

*ticas. Est alius qui non contemnit cyathos vini Massici veteris neque detrahere aliquot horas ex die integro, modo jacentes habens artus sub arbuto virenti; modo ad originem placidam fontis sacrati. Militia placet multis, sonusque buccinæ lituo mixtus, & bella matribus execranda. Venator oblitus delicatæ uxoris moratur sub aere frigenti; sive canes fidi conspexerunt cervam, sive aper Marsus fregit retia rotunda. Hederæ vero, merces doctorum capitum, me collocant in-*

ANNOTATIONES.

*Creberque procellis Africus.*

17. *Laudat rura.* ) Mercator rusticam laudat vitam, dum ingruit tempestas; at transacto periculo, negotiationem cogitat statim ut prius lucro inhians.

19. *Massici.* ) In Massico monte Campaniæ crescebat optimum vinum. Nominisque & uvarum nobilitas perdurat etiamnum. Valde austerum, & stomacho robur dare dicitur Athen. lib. 1. c. 21.

20. *Partem solido demere de die.* ) Ad genio indulgendum, intermissis negotiis ac seriis occupationibus.

21. *Arbuto.* ) Gallice, *arboisier*.

22. *Sacræ.* ) Singulis fontibus præesse Nymphas & quædam Numina credebant pridem. Hinc illis victimæ & libamina florum ac vini. Vide lib. 3. Od. 13.

23. *Lituo tubæ.* ) Lituus minor tuba est & incurvus, insigne augurum, ex Gell. lib. 5. c. 8. tuba directa, sic a tubo quem refert appellata, gravi sono pedites excitabat, lituos autem acuto clangore equites.

Ovid. Metamorphos. 1.

*Non tuba directi, non æris cornua flexi.*

24. *Bellaque matribus detestata.* ) Per quæ nempe orbantur viris ac filiis.

25. *Manet sub Jove frigido Venator.* ) Cic. Tusc. 2. n. 40. *Consuetudinis magna vis est. Pernoctant venatores in nive: in montibus uri se patiuntur.*

*Sub Jove.* ) Jovem pro aere usurpari docet Macrobius. Varro ex Ennio, *Istic est is Jupiter, quem Græci vocant aera, qui ventus est & nubes, imber postea, atque ex imbre frigus, ventus post, fit aer denuo, &c.*

27. *Catulis fidelibus.* ) Cicer. de Nat. Deorum 2. n. 158. *Canum tam fida custodia, tamque amans dominorum adulatio .... tam incredibilis ad investigandum sagacitas narium, tanta alacritas in venando, quid significat aliud, nisi se ad hominum commoditates esse generatos?* Vide Ælian. lib. 19. cap. 11. de animal. Huc spectat quod sunt quidam venatici canes, qui visu melius quam olfactu feras consectantur. Gall. *chasser à vue.* Sunt porro fideles ii qui a secta præda non aberrant in adventitiam: Gall. *qui ne prennent point le change, ou qui gardent le change.*

28. *Teretes plagas.* ) Solent venatori silvas telis ac linteis circumdare, quibus feræ concludantur. *Teretes*, tereti fune confecta retia.

*Marsus aper.* ) Apud Marsos Italiæ populos Sabinis affines silvæ plurimæ, in quibus venatio frequens.

29. *Doctarum hederæ præmia frontium.* ) Hedera coronabantur Poetæ eximii, quique in certamine ingenii & industriæ victores fuerant: vel quod æternitatem & immortalitatem carminis designet perpetuus ille viror hederæ, quemadmodum & lauri: sive quia Poetæ Baccho perinde ac hedera sacri sunt, ob enthusiasmum, quo Bacchantium more interdum corripiuntur: vel potius ob vini ad condenda carmina utilitatem. Unde noster postea asseret non posse diu placere aut vivere carmina *quæ scribuntur aquæ potoribus.*

Virgil. Eclog. 7.

*Pastores hedera crescentem ornate Poetam.*

30. *Dis miscent superis.* ) Felicitate me similem Diis faciunt, ac perinde beatum, ut qui divinos honores consequuntur.

*Nemus.* ) Quippe quod meditando & conscribendis versibus aptissimum. Nam

*Carmina scribentes secessum & otia quærunt.*

Hinc

Digitized by Google

Nympharumque leves cum Satyris chori,
Secernunt pupulo; si neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
Quod si me Lyricis Vatibus inseres,
Sublimi feriam sidera vertice.

INTERPRETATIO.

*ter summos Deos: me silva frigida, & celeres choreæ Nympharum cum Satyris, segregant a vulgo, si neque Euterpe fistulas coercet, neque Polyhymnia dedignatur intendere lyram Lesbiam. Quod si me annumeres Poetis Lyricis, cælum attingam excelso capite.*

ANNOTATIONES.

Hinc & in iis locis constituuntur Nymphæ cum Satyris choros ducentes, id est, profundæ & eruditæ cogitationes doctis viris se immiscentes & insinuantes.

31. *Satyris.*) De his postea lib. 2. Od. 19. Rustica Numina sunt, quorum superna pars corporis humanam effigiem, inferior caprinam exhibebat: ceterùm rerum omnium cognitionem habere atque hominibus impertire Satyri, Fauni, Silvani existimati sunt. Patet ex Virgilii Ecloga 6. in qua Silenus de abstrusiori, rerum natura & origine solerter disserit. Vide Luciani Dialog. 26. cui titulus, *Dionysus*. Diodor. Sicul. Plin. l. 7. c. 2. Satyri humano capitu, sed cornuto calvoque, acutis auribus, depressis naribus, villoso corpore ab antiquis pinguntur. Plutarchus in Syllæ vita refert, per Thessaliam & Macedoniam ad mare descendente Syllâ, non longe Dyrrachio vicinaque Apolloniâ, apud Nymphæum sacrum quemdam locum, colle virenti ac rivulis ameno obdormiscentem Satyrum, qualem Poetæ Pictoresque effingunt, captum fuisse: qui perductus ad Syllam per varios interpretes interrogatus, quis esset; nihil quod intelligi posset respondit; tantum vocem asperam hinnitu equino & hirci balatu mixtam edidit. Quo astantes ipseque Sylla obstupefacti Satyrum dimiserunt. Sanctus autem Hieronymus in vita Pauli Eremitæ scribit, temporibus Constantini visum toti Alexandriæ populo Satyrum: præterea sancto Antonio apud eremum occurrisse homuncionem aduncis naribus, fronte cornibus aspera, cui extrema corporis in caprarum pedes desinerent. interrogatum vero quis esset, respondisse: mortalis ego sum, unus ex eremi incolis, quos delusa Gentilitas Faunos, Satyrosque appellat & colit.

32. *Secernunt populo.*) Supra vulgi humilem imperitamque turbam attollunt, ac velut sacrum a profano segregant. lib. 3. Od. 1.

*Odi profanum vulgus & arceo.*

*Si neque tibias Euterpe cohibet, &c.*) Si modo mihi suam opem non negent Musæ. Tibiæ pridem confectæ ex ossibus crurum seu tibiarum gruis, cervi, &c. & hinc nomen. Vide Scaliger. poetic. lib. 1. cap. 20. Porro *Euterpe*, Musarum una, tibiarum inventrix dicitur, nomen autem sortita a cantus suavitate & a delectando: *εὖ bene, τέρπειν delectare*. Auson. Eclog. de Musis.

33. *Polyhymnia.*) Hæc inter Musas id muneris obtinet, ut multos canat hymnos, virorumque insignium laudationibus præsit. Unde nomen ei factum. Ita, inquam, scribunt Ovid. Fastor 5. Herod. lib. 7. &c. Aliis *Polymneia* a multiplici rerum memoria dicitur.

34. *Nec Lesboum refugit tendere barbiton.*) Si mihi concedat facultatem optimi Carminis Lyrici, qualem habuerunt Alcæos & Sappho e Lesbo Insula orlundi, de quibus postea hujus lib. 1. Od. 32. & lib. 2. Od. 13.

*Barbiton.*) Instrumentum musicum multas habens chordas: Anacreontis inventum facere videtur Horatius, Od. 32. seq.

35. *Quod si me, &c.*) Si tuum, o Mæcenas, accedat mihi judicium, sique me pronunties inter Poetas Lyricos dignum recenseri, tum me Diis parem existimabo.

*Lyricis.*) Apud Græcos novem Poetæ Lyrici celebrantur, Pindarus, Alcæus, Sappho, Stesichorus, Ibycus, Bacchilides, Simonides, Alcman, Anacreon. Apud Latinos Horatius princeps ac prope unicus. Huic addit Cæsium Bassum Quintilianus lib 10. cap. 1.

36. *Sublimi feriam sidera vertice.*) Platonicorum erat sententia, Poetam infra Deum, & supra hominem esse.



Digitized by Google

## *AD AUGUSTUM CÆSAREM.*

# ODE II.

*Deos omnes Romanis iratos esse, ob cædem Julii Cæsaris, totamque Imperii spem in Augusto esse.*

Jam satis terris nivis, atque diræ
Grandinis misit Pater: & rubente
Dexterâ sacras jaculatus arces,
Terruit urbem:
Terruit gentes, grave ne rediret
Sæculum Pyrrhæ nova monstra questæ;

### INTERPRETATIO.

Jupiter *jam in terras immisit sat nivis & horrendæ grandinis: vibransque fulmina in sacras arces manu flammata, Romæ terrorem incussit.* Alias etiam *nationes fecit timere ne rediret triste tempus Pyrrhæ conquerentis ob pro-*

### ANNOTATIONES.

Ode est dicolos tetastrophos. Tres quique priores versus sunt Sapphici. Constant e trochæo, spondæo, dactylo, & duobus trochæis. Et sic scanduntur:

Jăm sā | tīs tēr | rīs nĭvĭs | ātquĕ | dīræ |

Quartus est Adonicus, e dactylo & spondæo.

Tērrŭīt | ūrbēm.

1. *Jam satis, &c.* ) Optime Turnebus lib. 6. cap. 8. prodigia Cæsaris mortem secuta offensionem Deorum & iram ostendentia; atque augurium civilium deinceps bellorum eventumque portendentia Horatius commemorat: cum autem solerent prodigia & portenta procurari & expiari; itaque Deorum obsecrationibus placari, omnemque in ea Ode reperies. Porro funestum ac dirum ostentum erat, cum ædes sacræ de cælo tangebantur. Cic. de Divin.

*Nam Pater altitonans stellanti nixus Olympo,*
*Ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,*
*Et Capitolinis injecit sedibus ignes.*

*Nivis atque diræ grandinis.* ) Postquam a Cassio & Bruto Julius Cæsar in Senato interfectus est, nivis & grandinis tempestates prodigiosæ aliaque portenta acciderunt. Tiberis quoque exundans urbem agrosque fœdavit. De quibus fuse Appianus lib. 4. Dio lib. 47. aliique. Illa vero prodigia a Diis velut immissa in ultionem occisi Principis, adulatorie noster aliique ejus sæculi Poetæ scripserunt, Augusti gratiam captantes, qui *omnium bellorum initium & causam hinc sumpsit, nihil convenientius ducens quam necem avunculi vindicare, tuerique acta.* Sueton. Octav. c. 10. Idque pro concione voverat, teste Dione lib. 45. Idem Sueton. cap. 29. *Extruxit ædem Martis Ultoris .... quam bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat.*

*Nivis.* ) Ingens nivium copia fecit eluvionem Tiberis, adeoque portenti loco habita est. Frustra ergo Scaliger Hypercrit. locum hunc Horatii redarguit.

*Diræ grandinis.* ) Quoties erat grando solito major, lapidibus pluisse dicebant veteres & prodigium censebant: procurabantque. Tit. Liv. pluribus locis.

3. *Sacras jaculatus arces.* ) Magna tunc Jovis ira, cum nec sibi sacratis parcit ædibus. Hinc vero portendi rerum mutationem credebant olim, teste Dione & aliis: Seneca quæst. natural. l. 2. c. 41. *Prima*, inquit, *manubia* ( Tuscum est vocabulum, & significat fulmen; ne quid te demoretur, Lector ) *monet & placata est, & solusque Jovis arbitrio mittitur. Secundam mittit Jupiter quidem, sed ex consilii sententia: nam duodecim advocat Deos: quæ manubia prodest, at non impune. Tertiam idem mittit, sed adhibitis in consilium Diis quos Superiores vocant: & manubia hæc tertia incendit & vastat, mutatque statum privatum & publicum quem invenit, &c.*

*Urbem.* ) Romam, antonomastice; urbium scilicet principem.

6. *Sæculum Pyrrhæ.* ) Diluvium simile Deucalionæo. Eluviones fuere plures, testibus Euseb. Hier. Isidoro, & aliis. Una mensium novem sub Ogyge prisco: altera Niliaca unius mensis sub Hercule & Prometheo Ægyptiis: tertia duorum mensium sub Ogyge Attico: quarta mensium trium in Thessalia tempore Deucalionis & Pyrrhæ: quinta sub Proteo Ægyptio. Has Poetæ nonnunquam jungunt confunduntque, imo his tribuunt ea quæ ex sacris codicibus acceperant de universali diluvio, quod describit Moses Gen. c. 6. & seq. Sic & alii pariter Ethnici Apollodor. lib. 1. *Ubi Jupiter*, inquit, *æneam prolem tollendam censuit, Deucalion Pro-*

me-

Omne cum Proteus pecus egit altos
Visere montes:
Piscium & summâ genus hæsit ulmo,
Nota quæ sedes fuerat columbis;
Et superjecto pavidæ natarunt
Æquore damæ.
Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta Regis,
Templaque Vestæ:
Iliæ dum se nimium querenti
Jactat ultorem, vagus & sinistrâ
Labitur ripâ, Jove non probante:

## INTERPRETATIO.

*digia inaudita: quando Proteus totum armentum duxit in excelsa montes, atque piscium genus adhæsit ulmi fastigio, qui locus fuerat columbis cognitus: nec non damæ timidæ nataverunt in mari superfuso. Aspeximus flavum Tiberim ire*

*prostratum monumenta Regis Numæ, & ædem Vestæ, aquis magno impetu reflexis a ripa Tusciam spectante: dum* hic *fluvius Jove indignante nimium indulgens uxori Iliæ dolenti præter modum, se vindicem ostentat, atque in lævum*

## ANNOTATIONES.

*methei consilio fabrefactâ e lignis arcâ, repositisque in ea rebus ad vitam necessariis, ingressus in eam est cum Pyrrha uxore: tum Jupiter effusis large imbribus maximam Græciæ partem cooperuit; ut quicquid mortalium illic foret, interierit, præter admodum paucos.* Plutarchus de animant. comparat. refert columbam arcâ emissam Deucalioni nunciam tempestatis fuisse, cum remearet; serenitatis, cum evolaret.

*Pyrrha*) Pyrrha uxor Deucalionis Thessaliæ Regis: qui duo tantum fuere superstites ex eluvione; naviculâ emergentes in Parnassum, cæteris montibus aqua submersis. Subinde vero consuluerunt Oraculum, quo pacto genus humanum posset reparari: acceptoque responso, jactis post tergum lapidibus id præstiterunt. V. Ovid. Metam. 1. Virg. Eclog. 6. Juven. Sat. 1. v. 81. & seq. &c. Thessalica illa contigit eluvio annis fere quindecim ante Hebræorum ex Ægypto egressum: ut volunt quidam non absurde.

7. *Omne cum Proteus, &c.*) Proteus custos Phocarum Neptuni, in eo diluvio, inquit Poeta, gregem suum, seu vitulos marinos deduxit in altos montes, qui prius vel in aquis, vel in ripa dumtaxat degebant. Sunt enim ἀμφίβιοι Phocæ.

9. *Piscium & summâ genus hæsit ulmo.*) Fluctibus terræ superfusis, pisces arborum summo cacumini, supremisque fruticibus adhærebant.

10. *Nota quæ sedes fuerat columbis.*) *At vix hos persuadeas rerum naturæ consultis*, inquit Scaliger. Quasi vero bene palumbes non hic intelligi queant, quas in arboribus constat nidificare. Quid porro quod scribit Suetonius Oct. c. 94. Cæsare sylvam cædente, arborem palmæ in omen victoriæ servari jussam, e qua soboles enata paucis diebus sic adolevit, ut non modo æquipararet matricem, sed & obtegeret, *frequentaretturque columbarum nidis*.

13. *Flavum Tiberim,*) Seu ex eluvione turbidum, ut fit, seu quod, ut scribit Virg. Æneid. 7.
*Verticibus rapidis, & multâ flavus arenâ.*
*Retortis littore Etrusco violenter undis.*)
Retroactis Romam versus aquis, repulsisque ab ostio maris Tyrrheni sive Etrusci, in quod influit: qua exundatione vastitatem urbis visus minari Tiberis. Huc pertinet quod refert Dio lib. 45. flumina quædam in Italia contrarias in partes fluxisse, Augusti temporibus, piscesque innumerabiles e mari in continentem ejectos per ostia Tiberis.

15. *Monumenta regis.*) Numæ Pompilii, secundi Romanorum Regis Palatium, quod & Curia Pompiliana & Regia vocabatur. Intelligunt alii cætera Numæ opera seu monumenta publica.

16. *Templaque Vestæ.*) Ex Dionys. Halic. l. 2. Templa duo Romæ habebat Vesta, alterum a Romulo, alterum a Numa Pompilio conditum medio spatio Capitolium inter & Palatium, unis mœnibus utroque colle incluso.

*Templa.*) Abusive pro æde, quæ non erat augusta, sive augurio consecrata, at augustum erat illius atrium.

*Vesta.*) Ejus ædes erat rotunda, quod terra, quæ rotunda est, Vesta dicta fuit, quippe quæ rebus omnibus vestitur: vel quia vi sua stat. Alii aliter. Vide Cic. de Nat. Deor. 2. num. 67.

17. *Iliæ.*) Matri Romuli, suæ uxori, conquerenti de nece Julii Cæsaris sibi consanguinei. Ilia jussu Amulii in Tiberim, ut volunt quidam, præcipitata, huic proinde fluvio nupta fertur; ab eoque indulgentius æquo vindicatus.

18. *Sinistrâ labitur ripâ.*) Majorem ergo urbis partem, quæ ad sinistram est, forum scilicet Romanum, atque Aventini Palatinique collium imam regionem exundans vastat Tiberis.

19. *Jove non probante.*) *Si omnia fato fiant,*

tur

Digitized by Google

Uxorius amnis.
Audiet cives acuisse ferrum,
Quo graves Persæ melius perirent:
Audiet pugnas, vitio parentum,
Rara juventus.
Quem vocet Divûm populus ruentis
Imperî rebus? prece quâ fatigent
Virgines sanctæ minus audientem
Carmina Vestam?
Cui dabit partes scelus expiandi
Jupiter? tandem venias, precamur,
Nube candentes humeros amictus
Augur Apollo.

INTERPRETATIO.

*fitus errat exundans. Juvenes pauci culpa parentum audient* aliquando *Romanos strinxisse gladios, quibus juste magis confoderentur Persæ graves, diruentque bella* civilis. *Quem Deorum populus invocet labente Republica? Quibus votis instabunt Virgines sacratæ apud Vestam abiecrationes minime suscipientem? Cui Jupiter dabit menas eluendi crimen? o Phœbe fatidice, obse-*

ANNOTATIONES.

*cur non probat Jupiter? aut si Jupiter non probat, cur adversus fatum Tiberis ruit? sive vult Cæsaris ultor esse, quid igitur Romæ pulcherrima & religiosissima quæque demolitur, cum Romam ipsam Cæsaris nepotibus promiserint fata?* sic magna lis Horatio mota e Jul. Scaligero. Numquid vero nostrum erit viros inter tentos tantas componere rixas? At cavillationem agnosce, Lector, ne dicam sycophantiam vitilitigatoris. Probat Jupiter sene vindicari nefariam cædem Principis & Pontificis. Ovid. Fast. 3.

*At quicumque nefas ausi, prohibente Deorum*
*Numine, polluerant Pontificale caput.*

At non probat quod uxori Iliæ obsequentior fluvius ultre modum evagetur, eatque dejectum sacra profanaque sine ullo discrimine. Nec absurde alii scribunt, Jovi Diisque non placere quod Tiberis moliatur Cæsaris ultionem, quam Augusto fata reservabant.

20. *Uxorius.*) Uxori plus æquo deditus & indulgens. Virgil. Æneid. 4.

*pulchramque uxorius urbem*
*Exstruis.*

21. *Audiet cives, &c.*) Quasi vaticinetur Horatios peracta jam bella civilia, quibus Italia fœdata, & mutuis vulneribus cives absumpti, juventusque imminuta ac prope exhausta fuerat.

22. *Graves Persæ.*) Parthi, ut ad calcem hujus Odes annotabo, intelligendi. *Graves*, seu ob armorum pondus, seu quod Romanis diu graves incubuere, vel propter unam cladem Crassianam, de qua postea dicam amplius, tum alibi, tum præcipue lib. 4. Od. 15.

23. *Vitio parentum.*) Per ambitionem, cupiditatem, iram, in semet gladios stringentium, quibus hostes erant petendi.

27. *Virgines sanctæ.*) Vestales ignis æterni custodes, Vestæ perpetua virginitate & summo cultu addictæ, hincque ad placandum ejus numen potentiores. Cic. de Leg. 2. n. 20. *Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum*, & num. 29. *Vesta quasi focum urbis ... ut colendæ Virgines præsunt, &c.* Vid. A. Gellium lib. 1. cap. 12. ubi inter alia bene multa, hæc scribit: *Vestalem Virginem minorem annis sex, majorem quam annos decem natam capi fas non esse: patrimam & matrimam esse oportere: neque lingua debili, sensuve aurium diminutam, aliave quavis corporis labe insignitam: neque quæ ipsa, aut cujus pater emancipatus sit; aut cujus parentes servitutem servierint, vel in sordidis negotiis diversentur, &c.*

*Minus audientem.*) Pro ira graviori & fere implacabili, tum ob effusum impie sanguinem sibi cognatum, ut jam ante dixi, tum ob sacrilegam percussorum audaciam, qua summum Sacerdotem violarent, absque ulla Numinum reverentia. Ovid. Fast. 3. ita Vesta loquitur:

—— *Meus fuit ille Sacerdos.*
*Sacrilegæ telis me petiere manus.*

30. *Veniat, precamur.*) Invocet præcipue Apollinem, qui & Troianis præsidem, & post Romanis semper impense favit.

31. *Nube candentes humeros amictus.*) Missis aliorum interpretationibus, hunc locum optime intelliges cum iis qui putant allusisse Horatium ad id quod commemorant anno cædem Julii Cæsaris consecuto Solem caligine obvelatum semper fuisse, quasi in sceleris admissi execrationem. Plut. in Cæs. Dio l. 45. Plin. l. 2. c. 30. *prodigiosus*, inquit, *Solis defectus, occiso Dictatore Cæsare, totius pene anni pallore continuo.* Virgil. Georgic. 1.

*Sol etiam extincto miseratus Cæsare Romam,*
*Cum caput obscura nitidum ferrugine texit;*
*Impiaque æternam timuerunt secula noctem.*

32. *Augur Apollo.*) Quippe qui divinationibus præesse credebatur.

Digitized by Google

Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam jocus circumvolat, & Cupido:
Sive neglectum genus & nepotes
Respicis auctor,
Heu nimis longo satiate ludo:
Quem juvat clamor, galeæque læves,
Acer & Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.
Sive mutatâ juvenem figurâ,
Ales in terris imitaris, almæ
Filius Maiæ, patiens vocari
Cæsaris ultor:
Serus in Cælum redeas, diuque
Lætus intersis populo Quirini:
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocyor aura
Tollat; hîc magnos potius triumphos,

## INTERPRETATIO.

*rramus ut succurras, albos humeros nube velatos* habens: *seu vis potius* adesse, *o blanda Venus, circa quam joci & amores volitant: seu abjectam prolem atque posteros respicis*, o Mars Romanæ gentis *parens; eheu bello nimis diuturno satiate, qui gaudes vociferationibus, & galeis politis, atque aspectu Mauri peditis erga sævum adversarium feroci. Sive immutata specie adolescentem exhibes in terra, tu alatus filius benigna Maiæ, sinens te dici vindicem* Julii *Cæsaris; tarde remigres in Cælum, diuque maneas cum Populo Romano, neque celerior ventus*

## ANNOTATIONES.

33. *Erycina.*) Post Apollinem, Veneris opem implorat: quæ mater Æneæ, a cujus filio Julo Cæsar Julius. Venus porro in Eryce Siciliæ monte fanum habebat, unde Erycina dicta. Romam postea translata in ædem ipsi sub hac appellatione consecratam extra portam Collinam. Nec omittendum quod Venus Cæsaris dicta sit genitrix, & ab eo dicatâ etiam æde singulari culto honorata; in castris denique ejus tessera fuit genitrix Venus: sicut in Syllæ Apollo in Antonii Lar Deus, in Pompeii Junioris Pietas, in Majoris Hercules invictus.

35. *Sive neglectum.*) Ad Martem denique convertitur, patrem scilicet Romuli, Romanæque adeo gentis auctorem.

37. *Longo satiate ludo.*) Tot bellis civilibus, quæ sunt ludus Martis. *Clamor* bellicus in pugnæ conflictu. *Galeæ læves*, ardente scilicet bello sæpius contrectantur & poliuntur.

39. *Acer & Mauri peditis cruentum vultus in hostem.*) Truculentus erat Maurorum vultus. Respiciunt hic aliqui ad historiam: grave nempe bellum Jobæ Mauritaniæ Regis adversus Jul. Cæsarem. De quo Sueton. cap. 66. *fama hostilium copiarum* suos *perterritos* . . . . . . . . . . *confirmabat* . . . . . *cum expectatio adventus Jubâ terribilis esset, &c.* Non male quidam censent reponendum hic, *Marsi peditis.* Isti enim optimi Italiæ & Romani exercitus milites potius videntur fuisse commendandi, quam hostes & alieni.

41. *Sive mutatâ, &c.*) Augustus quod valde ingeniosus, Mercurius audiebat.

*Juvenem imitaris.*) Vulgaris erat opinio & fama, Mercurium Julii Cæsaris vindicem esse, assumpta juvenili figura Augusti, qui natus erat annos tantum novemdecim, quando Cæsar interfectus est.

43. *Maia.*) Mater hæc Mercurii erat.

44. *Cæsaris ultor.*) Sueton. Octav. cap. 10. & 29. antea cit. Ovid. Fast. 3. Cæsaris interfectores tale nefas ausi, inquit,

*Morte jacent meritâ. Testes estote Philippi:*
*Et quorum sparsis ossibus albet humus.*
*Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt*
*Cæsaris, ulcisci justa per arma patrem.*

45. *Serus in cælum redeas.*) Sic multos annos Augusto exoptat, ejusque præsentiam opemque Populo Romano necessariam atque amabilem asserit Poeta. Vide Sueton. Octav. cap. 56.

49. *Magnos triumphos.*) Sueton. Octav. cap. 22. *Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes. Bis ovans ingressus urbem est, post Philippense, & rursus post Siculum bellum.*

Digitized by Google

Hîc ames dici pater, atque Princeps:
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Cæsar.

## INTERPRETATIO.

*rapiat te nostris criminibus infensum: ama potius hic ingentes triumphos, & appellationem parentis auctorisque: neque patiaris, o Cæsar, te imperante, Medos impune in equis vagari.*

## ANNOTATIONES.

50. *Hîc ames dici pater.*) Ex Sueton. Octav. cap. 58. nullo magis honore lætatus est Augustus, quam eum ab universis maximoque consensu pater patriæ consalutatus est. Id enim cognomen afferenti, mandantibus cunctis, Valerio Messalæ lacrymans ita respondit: *Compos factus votorum meorum, P. C. quid aliud habeo Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?*

*Atque Princeps.*) Cornel. Tacit. Annal. initio. *Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere; qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine Principis sub Imperium accepit.* Et Dio lib. 53. ita scribit: *Princeps Senatus dictus est sexto Consulatu: eo more, qui integro etiamnum Populi in Repub. statu receptus erat.*

51. *Medos.*) A Medis ad Persas, & ab his ad Partos tandem Orientis Imperium transiit. Hinc promiscue tria vocabula ista usurpantur sæpius ab Horatio.

*Inultos.*) Tunc populis istis inferre bellum meditabatur Augustus. Vid. Od. 19. hujus libri.

*Equitare.*) Equitatu suo Romanis insultare. Vel quod urbana etiam negotia equitando Parthi obirent, Strabone teste.

ODE

# ODE III.

*Navi, quâ Virgilius Athenas vehebatur, precatur incolumitatem: deinde in hominum temeritatem invehitur.*

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obſtrictis aliis, præter Iapyga,
Navis, quæ tibi creditum

## INTERPRETATIO.

*Ita te salvam ducant Cypri Domina, & Helena fratres astra fulgentia, & parens ventorum, conclusis reliquis, excepto Iapyge, O na-*

## ANNOTATIONES.

Ode est dicolos distrophos. Primus quisque versus Choriambicus trimeter, constans e spondeo, choriambo & pyrrhichio. Ita scanditur:

Sic tĕ | Dīvă pŏtēns | Cyprī

Alter quisque versus est Choriambicus Asclepiadeus tetrameter: constans e spondeo, duobus choriambis & pyrrichio:

Sic frā | trēs Hĕlĕnæ lūcĭdă sī | dĕră

1. *Sic te Diva, &c.*) Venustatis & elegantiarum plena est hæc Ode: voces habet & sententias perinde graves, exempla insignia, oratoriam tractationem egregiam. Denique hic triumphat Heroicus ille spiritus, quem in Poeta nostro laudat Quintilianus, ut Lyricorum fere unum legi dignum existimet.

*Sic.*) Particula est adjurantis & voventis. Sic te Dii ventique integram servent precor, inquit, ut tu sospitem deferas Virgilium, o navis. Ille navigationem instituebat Athenas jam quinquagenario major, ut divino Æneidos operi coronidem imponeret.

*Diva potens Cypri.*) Venus, quæ præcipuos habebat honores apud Cyprum insulam maris Mediterranei, Ciliciam inter & Syriam. Variis illa dominis subinde paruit: a Turcis denique est occupata, & erepta Venetis anno 1570. Cur autem invocetur Venus, ut faveat naviganti? An, quod opinatur Marcilius, ejus numen in puppi appictum, & navis insigne erat & tutela? an quod Veneris stella navigantibus utilis? an quod fabulentur e maris spuma procreatam in mare jus & imperium obtinere? Virgil. Æneid. 5. Neptunus ita Venerem alloquitur:

*Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,*
*Unde genus ducis.*

Ovid. Epist.

*Illa* (Venus) *dedit faciles auras ventosque secundos*
*In mare, nec mirum, jus habet orta mari.*

2. *Fratres Helenæ.*) Castor & Pollux. Leda Tyndari Laconiæ Regis uxor, ut ajunt, ova duo peperit, e quorum altero prodierunt Pollux & Helena immortales e Jove nati, ex altero Castor & Clytemnestra mortales e Tyndaro. Hinc illi Tyndaridæ vocantur a Latinis quidem, a Græcis vero Jovis filii, διόσκουροι. Porro quod a Piratis ac prædonibus mare, dum viverent, liberassent, a Neptuno dicuntur adepti esse potestatem naufragis opitulandi. Hinc σωτῆρες dicti; & hinc *lucida sidera:* in astris nimirum recensentur Castor & Pollux: eorumque stellæ cum simul apparent, salutares; cum solitariæ, graves & noxiæ creduntur. Arnobius ignes seu fulgores marinos vocat. Vide Plin. lib. 2. cap. 37. Hygin. l. 2. &c. & infra Od. 12. hujus libri Annot.

3. *Ventorum pater.*) Jovem intelligit Marcilius, quia veteribus Physicis Jupiter est aer agitatus & fluens, adeoque id quod ventum appellamus. Alii melius exponunt de Æolo, qui, ventorum rex & pater dictus, quod ventorum astrorumque rationem apprime calluerit. Is regnavit illis temporibus apud insulas Æolias, quæ & Vulcaniæ, Italiam inter & Siciliam positæ. Plin. lib. 3. c. 8. & 9.

4. *Obſtrictis aliis.*) Cæteri venti minime propitii retineantur, unus emittatur Japyx Virgilio commodus in fines Atticos properanti. Alludit Horatius ad utrem Ulyssi ab Æolo donatum, in quo venti erant inclusi, præter Zephyrum navigationi ejus utilem. Quidam legunt *obstrictis*, sed male. Homer. modo cit. Odyss. 10. κατέδησε, *ligavit*. Virgil. Æn. 1. inclusos carcere ventos pariter canit.

*Iapyga.*) Ventus ille ex Apuliæ finibus proficiscitur, adversus Eurum flat, idem propemodum atque Caurus: in Græciam proinde ex Italia solventibus plane utilis. Vide Gell. lib. 2. c. 22.

Digitized by Google

Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animæ dimidium meæ.
Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat; qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti;
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere ſeu ponere vult freta.

INTERPRETATIO.

*vis, quæ debes Virgilium tibi commissum, oro ut eum sospitem applices ad litus Atheniense, ac tuearis partem dimidiam animæ meæ.* Is profecto *circa cor habebat lignum tresque æris laminas, qui primus mari sævo credidit navim frangi facilem, neque metuit Africum violentum cum Borea pugnantem, neque Hyadas noxias, neque furorem Austri, quo nullus est dominator in Adriatico* mari *potentior, sive concitare, sive placare fluctus velit. Quod mor-*

ANNOTATIONES.

6. *Virgilium.*) Huic cum Poeta nostro familiaritas maxima, ut mirum non abs re videatur, quod nullam fecerit usquàm mentionem Lyricorum Principis Heroicorum ille Princeps.

*Finibus Atticis.*) Attica regio Helladis in angulo Orientali & Australi, ubi longe præclarissima & nominatissima civitas caput extollit, *Athenæ omnium doctrinarum inventrices.* Cic. I. de Orat.

8. *Animæ dimidium meæ.*) S. August. Confess. lib. 4. cap. 6. *Bene*, inquit, *de amico suo dixit quidam;* dimidium animæ meæ: *Nam ego sensi animam meam & animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus: & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere,* &c. altero scilicet mortuo. Vide Pers. Sat. 5. v. 22. & infra lib. 2. Od. 17.

9. *Illi robur & æs triplex, &c.*) Is habebat cor ligno quovis & ære durius, χαλκεοκάρδιος Theocrit. Idyll. 13. huic ferreum pectus erat, qui primus ausus est mari se credere, atque, ut canit Juvenal. Sat. 12. vers. 57.

*Ventis animam committere, dolato*
*Confisus ligno, digitis a morte remotus*
*Quatuor aut septem, ut latissima tæda.*

Sophocles in Antigone ait multa quidem cerni stupenda, at nihil magis quam quod homo fluctus tumidos naviculâ tamen subire non formidet. Vide Plin. Proœm. lib. 19.

*Robur.*) Pro qualibet re duriori usurpatur. Virgil. Æneid. 7.

*æternaque ferri*
*Robora.*

12. *Primus.*) Typhis Bœotius, inquiunt, a Pallade edoctus navim primus fabricavit, quæ Argo dicta est; eâque Colchicam expeditionem est aggressus Jason. Vide Plin. lib. 7. cap. 56. Constat tamen ante illud tempus fuisse navigatum. Testis Herodotus de Phœnicibus & Græcis. Ex Athen. lib. 15. c. 13. Janus navigia primus reperit. Ex Thucyd. & Libanio primi Corinthii naves concinnarunt.

*Africum.*) Meridionalem ventum, Aquilonibus proinde colluctantem. De eo jam Od. 1.

14. *Tristes Hyadas.*) Ab ὕειν pluere dictæ sunt, quod pluvias ferant eæ stellæ septem in fronte Tauri collocatæ. Latinis Suculæ vocantur. Cic. 2. de Nat. Deor. n. 111.

*Rabiem Noti.*) A Meridie flat Notus, nebulosus & humidus, & hinc nomen; nam Græce νοτὶς humor dicitur. Vide Gell. jam cit. l. 2. c. 22.

15. *Quo non arbiter Adriæ major.*) Ratio patet ex rerum situ & natura: lib. 3. Od. 3. *dux inquieti turbidus Adriæ.* Atqui hypercritice Jul. Scaliger, *Austrum*, inquit, *præter cæteros ventos summum habere imperium in mare Adriaticum cum scribit Horatius: quod esse falsum intelliget quisquis sciet Adriaticum rectà excurrere in Vulturnum, cujus impetu etiam crescet Ionio subinvecto Adriaticum. Borea quoque subjectum est qui ex alto spirat .... Auster autem ex devexiore parte flans Apennino frangitur: quamobrem non subruit, sed radit, &c.* At Parthenius ex Petro Medinâ Hispano, qui rei Nauticæ & ventorum rationem luculenter investigavit, egregie Poetam nostrum tuetur & vindicat. *Austrum*, inquit, *arbitrum Adriæ recte ait Horatius.* Nam etsi non omnino in Notum excurrat Adriaticum mare, ut scribit Scaliger, nihilominus ita se habet, ut non minus ab Austro quam a Vulturno possit concitari. Enimvero principales quinque venti duas quartas habent; (ita loquuntur Nautæ & ventorum periti) ergo Vulturni quartæ duæ sunt, una ad Subsolanum, altera ad Austrum respicit. Porro hujusmodi venti principales & integri octo referuntur; intra quos alii sunt quos medios vocant, *non profecto quod minori spiritu ac vehementiâ ferantur quam illi, sed quod in eorum medio describantur.* Itaque tam vehementes esse quartas quam principales perspicuum sit. Hæc illi.

*Adriæ.*) Adria seu Adriaticum mare, hodie Si-

Quem mortis timuit gradum,
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames ſcopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras, ſi tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
Audax Iapeti genus
Ignem fraude malâ gentibus intulit.
Poſt ignem ætereâ domo
Subductum; macies, & nova febrium

## INTERPRETATIO.

*tis genus formidavit qui ſine lacrymis aſpexit piſces monſtruoſos nantes, ac mare intumeſcens, & Acroceraunias rupes naufragiis famoſas? Fruſtra Deus providus terram ſegregavit a mari disjungendo, ſi naves ſcelerata tranſeunt nihilominus vada minime tentanda. Mortalium genus quidlibet aggredi non veretur, fertúrque ad facinora prohibita. Temerarius Iapeti filius populis advexit ignem furto improbo. Poſt ignem cælo ſubreptum terram invaſit macies & frequentia morborum inſoli-*

## ANNOTATIONES.

Sinus Venetus inter Italiam, Græciam, Illyricumque, longe porrigitur ad Septentrionem.

17. *Quem mortis timuit gradum.*) Quidam tres gradus mortis afferunt, fatum, genitoram, caſum: alii mortis acceſſus intelligunt; certe parum ad rem. Noſtra videatur interpretatio verior quo ſimplicior. Varia naufragorum mortis genera, ſi lubet accipe, fluctibus ſubmergi, a piſcibus devorari, ad rupes allidi, vel in ſcopulos inſulamve deſertam ejici, ibique omni ope deſtitutum contabeſcere & mori. Præterea contingit aliquando navigantes tempeſtate ingruente dispelli ad barbaras oras, ubi vel ab Antropophagis dilaniantur, vel Idolis mactantur: quo quidem fati genere tantum non abſumpti ſunt Oreſtes & Pylades apud Tauricam regionem. Vide Euripid. Iphigen. in Tauris: item noſtras annotat. lib. 3. Od. 4. v. 33. ad eas voces: *Britannos hoſpitibus feros.* Adde & aliud, navi etiam integra, periculum moriendi vel ſiti vel fame, reſtantibus & contrariis diu ventis, nimirum in navigatione longiori: ſive cum aqua dulcis jam rara ad dimenſum diſtribuitur ſiticuloſis: ſive cum deficientibus omnibus cibariis, navigantium unus vel aliorum conſpiratione vel ſorte aſſumitur jugulandus, argeote ſcilicet extremâ neceſſitate alimento cæteris futurus. Quod nec cogitari poteſt abſque horrore.

18. *Monſtra natantia.*) Cete grandia & immania. Juven. Sat. 14. *Oceani monſtra.*

20. *Acroceraunia.*) Excelſi in Epiro montes, quod crebro fulmine percutiantur eorum faſtigia, ſic dicti. κεραυνὸς *fulmen*, ἄκρος *ſummum.* Hic deſignat Horatius Acroceraunium Promontorium Ionio mari imminens, vulgo, *Capo della Chimera*, aliis *Capo della Lenguetta*, in Epiro ſitum eſt, non procul Albaniæ finibus.

22. *Nequicquam Deus abſcidit, &c.*) Voluit Deus pericula maris arcere ab hominibus; ipſi vero illis ſe ultro committunt. Bene Poeta Græcus ait: quanto eſt dulcior mater quam noverca, tanto eſſe terram mari optabiliorem. Bias autem ſapienter dicebat, nec vivis nec mortuis accenſeri navigantes debere.

25. *Omnia perpeti.*) Quælibet agendo patiendoque moliri, ut nihil grave aut arduum videatur.

27. *Iapeti genus.*) Prometheus, de quo poſtea Ode 16. & lib. 2. Od. 13. Scribit Theophraſtus, idcirco dici Prometheum hominibus dediſſe ignem Cælo dereptum, quia Philoſophiam ac lumen vitæ intellectualis, quæ divina eſt, mortalibus invexit. Ex Cic. Tuſc. 5. & aliis. Prometheus Caucaſo affixus fingitur, quod ex eo monte altiſſimo ſiderum naturam ac motum ſtudioſe contemplaretur: ibique cæleſtium cognitioni ſedulo incumberet. Et quod exinde fulminum rationem peſcrutatus hominibus indicaſſet, fabulati ſunt ignem cæleſtem ab eo ſurreptum ac in terras delatum. Denique vultur ſeu aquila cor illius vellicans optime ſignificat anxietatem animi naturæ arcana rimantis & non ſine labore inveſtigantis. Eccleſ. 1. *In multa ſapientia multa indignatio . . . labor & afflictio ſpiritus: & qui addit ſcientiam, addit & laborem.*

29. *Poſt ignem æthereâ, &c.*) Animadverto expreſſe fabulis Adæ peccatum, peccatique ſti-



Digitized by Google

Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est.
Cælum ipsum petimus stultitiâ: neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

## INTERPRETATIO.

*ta: atque sera necessitas mortis antea dilata passum acceleravit. Dædalus per inanem aerem volare tentavit alis homini non concessis. Vis Herculis sibi patefecit aditum ad Inferos. Nihil est hominibus intentatum. Cælum ipsum affectamus per dementiam. Et nostris criminibus non sinimus Jovem iratum dimittere fulmina.*

## ANNOTATIONES.

pendia, mortem, morbos, molestias, &c. ex Hesiodo; cum ignem furatus esset Prometheus ad animandas statuas e luto a se fictas, iratus Jupiter Pandoram in terras misit, quæ apertâ pyxide mala omnia diffudit.

31. *Tarda necessitas.*) Melioribus seculis vita erat homini diuturnior. S. Cyprian. Epist. 11. S. August. lib. 5. de Civ. cap. 14. Porro ex sacris codicibus noverant Ethnici productiorem ac longiorem fuisse vitam primis hominibus. Plin. proœm. lib. 14. *Quando voluptas vivere cœpit, vita ipsa desiit.*

34. *Dædalus.*) Is faber Atheniensis peritissimus erat & perquam ingeniosus; multa quidem invenit: navi primus dicitur vela, malum, antennas imposuisse. Pausanias in Bœoticis. Plin. l. 7. c. 56. jam cit. Inde fabulati sunt Dædalum pennis sibi cerâ compactis avolasse Minoia regna fugientem, de quo Virg. Æneid. 6. v. 14. Ovid. Metam. 8. Diodor. Sic. l. 5. cap. 13. &c.

36. *Perrupit Acheronta Herculeus labor.*) Is Inferorum fluvios pro ipsis inferis non raro ponitur synecd. De Hercule, ejusque laboribus, alibi nos; cit. vero Diodor. fere l. 5. c. 2. &c.

38. *Cælum ipsum petimus.*) Sic Phaeton, de quo lib. 4. Ode 11. Sic Gigantes, de quibus l. 2. Od. 12. & 19. lib. 3. Od. 4. &c.

AD

## AD L. SEXTIUM.

# ODE IV.

*Veris descriptio; vitæ brevitas: carpendæ voluptates.*

Solvitur acris hyems grata vice veris & Favonî;
Trahuntque siccas machinæ carinas:
Ac neque jam stabulis gaudet pecus; aut arator igni:
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente Luna;
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes

INTERPRETATIO.

*Aspera hyems relaxatur jucundâ vicissitudine veris ac Zephyri; & machinæ deducunt in mare naves siccas: jamque nec greges amant stabula, nec agricola focum: neque prata albescunt pruinis candidis. Nunc Venus Cytherea choreas agit ad Lunam super lucentem: Charites vero cum Nymphis pulsant terram modo hoc*

ANNOTATIONES.

Ode est dicolos distrophos, unica vero sui generis. Primus quisque versus est Dactylicus Archilochius heptameter. Quatuor primi pedes sunt vel dactyli vel spondei: tres ultimi sunt trochæi. Sic:

Sōlvĭtŭr | ācrĭs hy | ēms grā | tā vĭcĕ | vērĭs | & Fă | vōnī |

Secundus quisque versus est Archilochius, constans e penthemimeri Iambicâ. Primus pes spondeus vel Iambus: secundus semper Iambus, cum syllaba: tres postea sequentes trochæi: sic:

Trăhūnt | quĕ sīc | cās | māchī | næ că | rīnas |

Nonnulli tricolon faciunt Odem hanc, & sic distinguunt versus:
Solvitur acris hyems grata vice
Veris & Favoni:
Trahuntque siccas, &c.

1. *Solvitur, &c.*) Terra quæ prius hyeme & frigore stricta fuerat, jam resolvitur & aperitur grato reditu vernæ tempestatis; in qua & areolæ florum explicant sese; & mare gelu ante præclusum jam adiri & navigari potest. Veris descriptionem, si lubet, pete, Lector, e Virg. Georg. 2. v. 324. & seq.

*Favoni.*) Favonius, a *fovendo* vel *favendo* dictus, idem qui Zephyrus, qui ventus flare incipit initio veris. Vide lib. 3. Od. 1. Annot. ad vocem, *Zephyris*.

2. *Trahuntque siccas, &c.*) Jam machinis ad mare subducuntur naves quæ per hyemem in sicco positæ fuerant extra aquam, in navalibus. *Machinæ* instrumenta, quibus graviores quæque moles facilius moventur. Nonius Marcell. palangas vocat, & sic describit: *palangæ*, inquit *dicuntur fustes teretes, qui navibus subjiciuntur, quando attrahuntur ad pelagus; vel cum ad litora subducuntur.*

5. *Cytherea.*) Cythera hodie *Cerigo*. Insula maris Ægæi ad oram Peloponnesi. In ea templum Veneri antiquissimum. Inde *Cytherea* cognomen.

*Choros ducit Venus imminente Luna.*) Novilunii lætitiam & sacra hic plures notari volunt, sicut lib. 3. Od. 19. v. 9. At alii Calendas Apriles Veneri sacras intelligunt, qui mensis ab aperiendo dictus convenit iis, quæ initio hujus Odes afferuntur. Alii Calendas Martias accipiunt, sive matronalia, de quibus Ovid. Fast. 3. Nam quamquam matronarum iste festus, inquit Marcilius, & nihil pertinebat ad viros austeros quidem & negotiosos: verum lætus erat hilarioribus quoque nepotalis Veneriis, ut Flacco & similibus, paratis semper catillare partem lætitiæ inter Veneres illas, & gaudentibus spectare Nympharum choreas ac mulierum cœtus & choros.

*Imminente Luna.*) Incipientem Lunam intelligunt Interpretes mox citati: nobis vero magis placent alii qui Lunam provectiorem ac desuper lucentem explicant, adeoque nolunt ipsas hic accipi Calendas vel Martii vel Aprilis.

6. *Junctæque Nymphis Gratiæ, &c.*) Cum Venere tripudiant & saltant Nymphæ, Gratiæque tres, Aglaia, Euphrosyna, Talia. Sannazara

*Tum manibus simul implicitis per gramina festas*
*Exercent choreas: alias aliasque reflexus*
*Inter se lætæ repetunt: nunc corpora librant*
*In saltus: nunc molle latus, nunc candida jactant*
*Brachia, & alternâ quatiunt vestigia plantâ.*

Digitized by Google

Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.
Nunc & in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
Seu poscat agnam, sive malit hœdum.
Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate Sexti,
Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Jam te premet nox, fabulæque manes,
Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis;
Nec regna vini sortiere talis;

INTERPRETATIO.

*modo illo pede, dum Vulcanus fervens accendit fornaces operosas Cyclopum. Nunc juvat caput ungnentis delibutum coronare vel myrto virenti, vel flore, quem producit tellus aperta. Nunc etiam convenit Fauno sacrificare in lucis opacis, sive petat agnam, sive hædum. Mors pallens æquali pede diruit egenorum casas atque Regum palatia. O fortunate Senti, brevo spatium vitæ prohibet nos incipere spem diuturnam. Statim urgebant te tenebræ, & Inferi celebratissimi, & Plutonis domus levis: ad quam ubi deveneris, neque talorum jactu eliges regem convivii, ne-*

ANNOTATIONES.

7. *Dum graves Cyclopum, &c.*) Dum Vulcanus in Ætna monte Jovi cudit fulmina æstate sequenti vibranda. *Cyclopes* ex Hesiod. Theog. Cœlo Terraque nati; ex aliis, Neptuni ex Amphitrite filii, Vulcano adesse ministri dicuntur & ferrariam exercère: alii ajunt Siciliæ populos fuisse barbaros & prædones. Vide Plin. lib. 7. cap. 2. init. & Virg. Georg. 1. v. 471. & Æneid. 7. v. 418. & seq. Nomen a κύκλος *circulus*, & ὢψ *oculus*, quod unum haberent oculum in fronte instar circuli.

*telo lumen terebramus acuto*
*Ingens, quod torva solum sub fronte latebat,*
*Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar.*

8. *Vulcanus.*) Is Junona Joveque natus, ob deformitatem dejectus est ab iis in Insulam Lemnum, claudus e casu factus; ubi officinam instituit ferrariam; quam tamen alii collocant in Ætna monte apud Siciliam; alii in Hiera, quæ una est e Vulcaniis insulis.

9. *Nunc decet aut viridi, &c.*) De myrto, deque coronarum & ungoentorum usu in conviviis apud veteres celebri, plura dicam postea. Vide ultimam Oden hujus libri.

11. *Fauno.*) Huic ruris Deo sacrificabatur Idibus Februarii ex Ovid. Fast. 2. Nimirum placabatur initio veris, ut propitius esset gregibus, qui tum foras incipiunt pabulatum educi. De illo Dionysius Halic. lib. 1. Tull. de Nat. Deor. 2. Vide & lib. 3. Od. 18. v. 1. Annot.

12. *Seu poscat agnam.*) Legunt alii, *agnâ*, &c. & magis latinitati & elegantiæ congruum volunt. Certe nodus in scirpo.

13. *Pallida mors æquo, &c.*) Claudian.

*Omnia mors æquat.*

14. *O beate Senti.*) Lucius Sextius, vel Sestius, ille est qui tam fidelem Bruto etiam profligato amicitiam servavit, ut & probaretur ab Augusto, & consul post ipsum fuerit substitutus cum Cn. Calpurnio Pisone, ano. U. C. 730. Vide Dion. lib. 43. Sigon. &c.

15. *Vitæ summa brevis, &c.*) Non debemus mortales vitam sperare diuturnam.

16. *Nox.*) Mors, tenebrosique Inferi. Infra Od. 28. *Omnes una manet nox.*

*Fabulæque Manes.*) Infernales Dii per antiphrasim *Manes*, id est boni dicti, sæpius usurpantur pro ipsis Inferis, de quibus tam multa fabulantur & jactant. Vide Epod. 5. v. 94.

17. *Domus exilis.*) Plutonis domum angustam ob frequentiam animarum eo descendentium, nonnulli interpretantur. Sed melius alii referunt ad exilitatem umbrarum sive animarum oculos fugientium. Homer.

*νεκύων ἀμενηνὰ κάρηνα.*

*Capita mortuorum levia & evanida.*

Virgil. Æneid. 6. v. 269.

*Domos Ditis vacuas & inania regna.*

*Quo simul mearis.*) Cum illuc perveneris, jam non licebit luxuriari, indulgere genio, convivia celebrare, &c.

18. *Nec regna vini sortiere talis.*) In conviviis eligebant veteres regem seu bibendi magistrum, cui parebant convivæ omnes: eaque electio fiebat sorte & talorum jactu. De eo nos amplius lib. 2. Od. 7. in fine, ad ea verba, *quem Venus arbitrum dicet bibendi?* Meminit Plautus Asinar. Scen. 14. Corcul. Scen. 6. Stich. Scen. 12. Cicer. in Verr. 5. *Iste Prætor severus ac diligens, qui Populi Romani legibus nunquam paruisset, iis legibus quæ in poculis ponebantur obtemperabat.* Plutarchus in Apophthegem. refert Agesilaum in

Digitized by Google

Nec tenerum Lycidam mirabere, quo calet juventus
Nunc omnis, & mox virgines tepebunt.

INTERPRETATIO.

*que admiraberis Lycidam delicatulum, cujus a*more *ardens jam cuncti juvenes, & paulo post puella fervescent.*

ANNOTATIONES.

in compotatione magistrum convivii sorte creatum requirenti pocillatori, quantum cuique ministraret vini, respondisse: *si multum vini adest, quantum quisque petierit: si parum, ex æquo omnibus*. Cornel. Tacit. Annal. 13. festis Saturno diebus, inter alia æqualium lodicra regnum lusu sortientium, evenerat ea sors Neroni. Hic itaque convivii præfectus & rex dictus est. Arrian. in Epicteto, in Saturnalibus sortitione facta, Rex ita jubet: *tu bibito, tu infundito, tu abito, tu venito*.

*Talis*.) De talis ac tesseris jam disserui ad Pers. Sat. 3. v. 48. & 49. dicam & aliqoid ad l. 5. Od. 7. v. 25. De his accurate Meursius.

19. *Tenerum Lycidam*.) Formosum puerum, quem deperibat Sestius.

20. *Tepebunt*.) Missa quorumdam interpretatione subtiliori, sic explico: puellæ mox inardescent amore Lycidæ pueri, cum adoleverit.

## *AD PYRRHAM.*

## ODE V.

*Miseros esse amatores Pyrrhæ, se ex ejus illecebris velut e naufragio enatasse.*

Quis multâ gracilis te puer in rosâ
Perfusus liquidis urget odoribus
Grato, Pyrrha, sub antro?
Cui flavam religas comam,
Simplex munditiis? Heu, quoties fidem,

INTERPRETATIO.

*Quis adolescens, delibutus unguentis suave olentibus, te amplectitur, o Pyrrha, multas inter rosas sub jucunda specu? Cujus gratia flavos crines nodo colligis ornatu simplex? Eheu quoties deplorabis* violatam a te *fidem, Deosque in-*

ANNOTATIONES.

Hæc Ode est tricolos tetrastrophos. Priores duo versus Asclepiadei sunt, ut in Ode prima,

*Mæcenas atavis edite regibus.*

Tertius quisque est Pherecratius heroicus trimeter, e spondeo, dactylo, spondeo: sic;

Grātō | Pyrrhă sŭb | āntrō |

Quartus est Glyconios, qualis est iste Odes præcedentis,

*Sic te Diva potens Cypri.*

1. *Quis multa, &c.*) Merum nectar esse hanc Oden, agnoscit Scaliger hypercrit.

*Gracilis*.) Tenuior, non obesus, Gallice de *belle taille*. Terent. Eunuch. Act. 2. Scen. 3. *Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres student demissis humeris esse, vincto corpore, ut graciles sient. Si qua est habitior paulo; pugilem esse aiunt, deducunt cibum. Tametsi bona est natura, reddunt curaturâ junceas.*

3. *Pyrrha*.) Meretrix formosa.

*Sub antro*.) Sub fornice.

4. *Cui flavam religas, &c.*) Ex more poetriarum Lacænarum. Vide lib. 2. Od. 11. in fine.

5. *Simplex munditiis*.) Vestes non habens nimis exquisitas aut magnificas, sine mundo muliebri. Terent. Phorm. *Virgo pulcra: & quo magis diceres, nihil aderat adjumenti ad pulcritudinem.*

. . . . . *Vestitus turpis, &c.*

Digitized by Google

Mutatosque Deos flebit, & aspera
Nigris æquora ventis
Emirabitur insolens,
Qui nunc te fruitur credulus aureâ,
Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat, nescius auræ
Fallacis! Miseri quibus
Intentata nites! Me tabulâ sacer
Votivâ paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

## INTERPRETATIO.

*constantes, & non assuetus stupebit mare sævum atris procellis, qui te nunc amabili potitur, facile confisus te fore semper vacantem, semper gratam, ignorans ventos instabiles! O infortunati, quibus haud expertis fulges! murus sacratus ostendit me tabellam ex voto, & vestes madidas affixisse in æde Numinis mari dominantis.*

## ANNOTATIONES.

6. *Mutatosque Deos.*) Venerem, Cupidinem, antea faventes, postmodum vero contrarios.

*Aspera nigris æquora, &c.*) Allegoriam adverte perpulcram. Plaut. *mulier mare acerrimum.* Sicut in mari ventus, ita sæpe amantis animus derepente mutatur.

8. *Emirabitur.*) Vocem hanc reprehendit graviter Scaliger, levi profecto ratione.

*Insolens.*) Insuetus. Cic. de Orat. 2. *Ea requiruntur a me, quorum sim insolens & ignarus.* Cæsar. Bell. Civil. l. 2. *Erat in oppido multitudo insolens belli, diuturnitate otii.*

9. *Aureâ.*) Pretiosa, velut aurum, chara, optabili.

10. *Semper vacuam.*) Alios amatores non habentem.

11. *Nescius auræ Fallacis.*) Nondum sciens quam crebra sint amantium perjuria. Virg. Æneid. 4. v. 570.

*Varium & mutabile semper Fœmina.*

12. *Miseri quibus, &c.*) Eheu quam sunt infelices ii qui te amant, neque norunt quam sis futura paulo post acerba & immitis.

13. *Me tabulâ sacer, &c.*) Ego quidem tali e naufragio evasi, nec impune. Pyrrham deperii quoque, sævam expertus, post multa mala tantum non perii.

*Tabulâ sacer, &c.*) Solebant naufragi pro servatâ vitâ gratias referre Diis, imprimisque Neptuno: unde & in ædibus sacris appendebant tabellam in quâ depictum erat suum naufragium: item vestimenta in quibus enatarant. Virgil. Æneid. 12.

*Votas suspendere vestes.*

Juvenal. Sat. 12. v. 27.

*Votivâ testantur fana tabellâ.*

AD

## *AD AGRIPPAM.*

# ODE VI.

*Bellicas ejus laudes a Vario scribi oportere: se esse conviviis tantum & amoribus canendis aptum.*

Scriberis Vario fortis, & hostium
Victor, Mæonii carminis alite,
Quam rem cumque ferox navibus, aut equis

### INTERPRETATIO.

*Varius Homerici cantûs ales te dicet strenuum & victorem hostium, & quicquid milites te im-*

### ANNOTATIONES.

Hæc Ode est dicolos tetrastrophos. Tres primi versus Asclepiadei, qualis iste,
*Mæcenas atavis édite regibus.*
Quartus quisque versus est Glyconius, ut
*Sic te Diva potens Cypri.*

1. *Scriberis Vario, &c.*) Res a te in bello præclare gestas describat summus quisque Poeta; non ego tenuis. Observa, lector, quemadmodum se Horatius eximit a triviali laudantium consuetudine, qui tum se belle fecisse existimant, cum per singula laudum capita diligenter ne dicam insulse ierint.

*Vario.*) L. Varius Poeta non e vulgo scripsit Augusti Panegyricum, Tragœdias, & alia quædam: Thyestem ejus cuilibet Græcorum posse comparari affirmat Quint. lib. 10. ad nos pervenerunt pauca tantum fragmenta. Macrobius l. 6. c. 1. Virgilium e Vario nonnulla imitatum ostendit: hosque illius refert versus de Morte:
*Vendidit hic Latium populis, agrosque Quiritum*
*Eripuit: fixit leges pretio atque refixit.*
Item:
*Incubet & Tyriis, atque ex solido bibat auro.*
Item:
*Quem non ille sinit lenta moderator habena*
*Qua velit ire, sed angusto prius ore coercens,*
*Insultare docet campis fingitque morando.*
Item:
*Ceu canis umbrosam lustrans Gortinia vallem,*
*Si veteris potuit cervæ comprehendere lustra;*
*Sævit in absentem, & circum vestigia lustrans,*
*Æthera per nitidum tenues sectatur odores.*
*Non amnes illam medii, non ardua tardant:*
*Perdita nec seræ meminit decedere nocti.*
Nonnulli ex Servio perperam scribunt hunc esse Varium, cujus meminit Virgilius Ecloga 9. verum hallucinantur. Illic enim legere oportet; *neque adhuc Varo videor digna dicere:* sicut est paulo ante: *Vare tuum nomen, &c.*

*Fortis & hostium victor.*) Vell. Paterc. lib. 2. *M. Agrippa virtute nobilissimus, &c.* Cornel. Tacit. Annal. 1. init. *M. Agrippam ignobilem loco, bonum militiâ, & victoriæ socium geminatis Consulatibus extulit; mox defuncto Marcello generum sumpsit* Augustus nempe. Senec. Epist. 94. *M. Agrippa vir ingentis animi, qui solus ex his quos civilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit: dicere solitus erat, multum se huic debere sententiæ;* Concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur.

2. *Mæonii carminis alite.*) *Alite*, quasi volucri grandiore, ceu Cycno, cantum sublimem pariter & sonorum tollente. Sic Teocrit. Poetas vocat ὄρνιχας Μουσᾶν *aves Musarum*. Non moror aliorum interpretationem, *alite*, pro penna, calamo, stylo. *Mæonii carminis*, Mæonis filius, aut forte e Mæonia regione Asiæ Minoris, urbe Smyrna, oriundus erat Homerus, qui heroici carminis Princeps & quasi Deus. Hinc Mæonium carmen pro Epicæ, Heroicæ, eximiæ Poeseos facultate & spiritu, quibus præditum Varium Horatius indicat.

3. *Navibus, aut equis.*) Seu navali seu terrestri prælio, terra marique.

*Equis.*) Nam Gallos Germanosque equitatus robore præstantes debellarat Agrippa. Appian. lib. 5. Bell. Civil. Sext. Pompejum vicerat: res præclare gesserat in Hispania, Thracia, Germania; ac secundus Romanorum transgressus Rhenum fuerat: quare detulit ei triumphum Augustus Cæsar. Dio lib. 48. *Navibus.* Vell. Paterc. cit. lib. 2. *ædificandis navibus, contrahendoque militi ac remigi, navalibusque assuescendo certaminibus atque exercitationibus præfectus est M. Agrippa, virtutis nobilissimæ, labore, vigilia, periculo invictus, parendique sed uni scientissimus, aliis sane imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens.* Et postea: *insigne classicæ coronæ, quo Romanorum nemo unquam donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit.* Meminit & Virg. Æneid. 8 v. 683.
*Parte aliâ, ventis & Diis Agrippa secundis*
*Arduus agmen agens; cui belli insigne superbum*
*Tempora navali fulgent rostrata coronâ.*
Suet. Octav. c. 25. *M. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam cæruleo vexillo donavit:* hoc & pertinet cusus duplex denarius, quorum unus hinc Augusti caput præferebat, illinc Agrippæ cum civica & rostrata corona. Alter exhibebat una parte Agrippæ caput rostratâ coronâ exornatum, in aversâ vero Neptunus Delphinum manu dextrâ gestans effictus erat.

Miles, te duce, gesserit.
Nos, Agrippa, neque hæc dicere, nec gravem
Peleidæ stomachum, cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Ulyssei,
Nec sævam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia: dum pudor
Imbellisque lyræ Musa potens vetat
Laudes egregii Cæsaris, & tuas
Culpâ deterere ingenî.
Quis Martem tunicâ tectum adamantinâ
Digne scripserit! aut pulvere Troico
Nigrum Merionem? aut ope Palladis
Tydeiden Superis parem?
Nos convivia, nos prælia virginum
Sectis in juvenes unguibus acrium
Cantamus vacui: sive quid urimur,
Non præter solitum leves.

## INTERPRETATIO.

*perante fortiter egerunt navibus aut equis: nos, o Agrippa, nec ista scribere, neque acrem iram Achillis cedere nescientis, nec errores maritimos Ulyssis dolosi, neque familiam crudelem Pelopis, parvi magna non tentamus; dum verecundia, & Musa cithara non bellicosa Praeses me prohibet laudes eximii Cæsaris, atque tuas imminuere tenuitate ingenii. Quis poterit celebrare, ut decet, Martem armatam lorica adamantina, vel Merionem pulvere Trojano sordidum, vel Diomedem æqualem Diis auxilio Minervæ? Nos epulas, nos certamina canimus puellarum sectis unguibus ferocium adversus adolescentes; sive liberi sumus, sive ardemus* amore *aliquo, more nostro inconstantes.*

## ANNOTATIONES.

4. *Te duce.*) Vell. cit. *navali primo prælio apud Mylas, ductu Agrippæ pugnatum prospere.* Vid. Plin. lib. 16. c. 4. Appian. & Dion. jam cit. Oros. lib. 6. cap. 15. &c.

5. *Gravem Peleidæ stomachum, &c.*) Achilles Pelei filius, *iracundus, acer, inexorabilis, nihil non armis arrogans*, ut ait noster ad Pison. nec cedit Græcorum legatis, nec Agamemnoni exercitum summo Imperatori ac Regum Regi: sed nec Diis quidem. Nam & Apollini Hectorem protegenti minas intentat. Homer. Iliad. 20.

7. *Cursus per mare.*) Longam illam navigationem Ulyssis. *Duplicis*, subdoli, fallacis. Græcis διπλοῦς *duplex*, aliud nempe dicens, aliud sentiens. Legunt aliqui *cursus duplices*, cum Prisciano lib. 1. & 7. referuntque ad Ulyssis navigationem per Oceanum, & mare Mediterraneum; vel ad bis decennalem cursum: sed apage. Animadverte, lector, Homero delatum honorem, cujus est Ilias de Achille, Odyssea de Ulysse.

8. *Sævam Pelopis domum.*) Tot homicidiis funestam. Pelops a Tantalo patre, Atreus & Agamemnon ab Ægystu, Clytemnestra ab Oreste filio cæsi sunt. Adde Thyestis liberos jugulatos ab Atreo, ipsique patri appositos in cibum, quod Sol ne videret, refugisse dicitur. Horatius notare vult hic Thyesten eximiæ artis Tragœdiam a Vario, ut jam ante dixi, compositam.

9. *Tenues grandia.*) Modestiam Horatius commendat suam.

10. *Imbellisque lyræ.*) Atqui rebus etiam gravioribus idoneos versus Lyricos, præsertim Alcaicos, ostendit Pindarus; nosterque ipse pluribus Odis, maxime vero 4. 14. 15. lib. 4. &c. ad Pisones denique sic scribit:

*Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum referre.*

13. *Martem tunicâ, &c.*) Viros militares loricâ armatos forti & durâ, instar adamantis: vel ipsum Martem, quem Homerus æreâ induit loricâ.

14. *Pulvere Troico nigrum.*) In acie acriter dimicantem, & non indecoro pulvere Trojani campi coopertum, & quasi nigrum.

15. *Merionem.*) Quemlibet virtute bellicâ gloriosum, Merionis similem, apud Græcos tam inclyti, ut Marti par jactaretur, Homer. Iliad. 13.

*Ope Palladis Tydeiden superis parem.*) Diomeden Tydei filium, quem suâ Pallas ope semper juvit, Diisque non inferiorem præstitit, ut & Mars & Venus ab eo vulnerati referantur: quin & immortalem fecit, & numero Castorum adscripsit. Iliad. 5. v. 335. & 857. Pindar. Nem. Virgil. Æn. 11.

*Ferro cælestia corpora demens Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.*

17. *Nos convivia, &c.*) Nos res ludicras & tenuiora argumenta tractare dumtaxat & canere amamus.

AD

## *AD MUNATIUM PLANCUM.*

## ODE VII.

*Aliis aliæ placent regiones; sibi vero præ cæteris Tiburtina. Vino diluendæ sollicitudines.*

1 Laudabunt alii claram Rhodon, aut Mitylenen,
Aut Ephesum, bimarisve Corinthi

### INTERPRETATIO.

Alii *laudabunt illustrem Rhodum, vel Mitylenen, vel Ephesum, aut mænia Corinthi inter*

### ANNOTATIONES.

Hæc Ode est dicolos distrophos. Primus quisque versus est Hexameter heroicus; quinque primi pedes sunt vel spondei, vel dactyli. Alter quisque versus est Dactylicus tetrameter, quatuor ultimos habens pedes versûs Hexametri sive heroici.

1. *Laudabunt alii.*) Elegans est versibus hæc Ode, quam a duabus coaluisse volunt quidam; nimirum novæ Odes initium statuunt ad hæc verba: *Albus ut obscuro, &c.* Veteres codices adstipulantur, præfigentes istis novum hunc titulum: *Cohortatur Plancum ad hilariter vivendum.* Quidquid sit, tota est ad L. Munatium Plancum, cujùs patria Tibur, aut qui saltem villam habebat Tiburi proximam, proindeque ab Horatiano prædio non longe remotam. In priori Odes parte, per comparationem, Tiburtinæ regionis amœnitatem extollit Poeta, in altera Plancum hortatur ut vino curas abstergat; utiturque exemplo viri fortis, Teucri nimirum, qui graviores animi ægritudines vino temperavit. Vide postea Annot. ad vocem, *Plance.*

*Claram Rhodon.*) Rhodus Insula Minoris Asiæ, ad Cariæ oram, Emporium est nobile. *Clara* certe pridem, tum ob Colossum sive Statuam Solis septuaginta cubitis altam, & inter orbis miracula numeratam: tum propter ingentem signorum numerum, atque *operum nobilitatem*, ut ait Gell. lib. 7. cap. 3. tum quia nunquam tot nubibus cœlum obducitur, quin aliqua hora Sol ibi cernatur, quod asserit Plin. lib. 2. cap. 62. Adde urbium pulchritudinem, portuum commoditatem, aeris salubritatem. Strabo lib. 14. scribit Rhodum ita præstare cæteris, ut nullam possit huic parem nedum meliorem commemorare. Vide Diodor. Sicul. lib. 6. cap. 13. nec prætermittendum est, Rhodum mitti solitos Romanos juvenes discendæ facultatis oratoriæ gratia. Eo Tullius ipse adiit, quem lege ad Attic. lib. 2. epist. 1. & in Bruto, n. 51. ubi sic loquitur: *Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia; sed parum pressi, & nimis redundantes: Rhodii saniores & Atticorum similiores.* Anno salutis reparatæ 1300. Equites Hierosolymitani eam invaserunt, indeque Rhodii appellati: servarunt ad an. 1522. quo a Turcis pulsi Melitam concessere, exinde Melitenses cognominati.

*Mitylenen.*) Hæc urbs Lesbi insulæ, cui & eadem appellatio, v. *Metelin*, a Cicerone commendatur Agrar. 2. *Et natura, & situ, & descriptione ædificiorum & pulchritudine in primis nobiles Mitylenæ: agri jucundi & fertiles, &c.* Vide & Strab. lib. 13. & Vitruv. lib. 1. c. 6. ubi scribit eam urbem *eleganter & magnifice ædificatam, sed non prudenter positam. In ea quippe, dum flat Auster, incolæ ægrotant: dum Caurus, tussiunt; cum Septentrio, in salubritatem restituuntur.* Adde ei regioni claritatem e natalibus Pittaci, qui unus e septem Græciæ Sapientibus, Alcæi Poetæ, aliorumque illustrium hominum.

2. *Ephesum.*) Asiæ Minoris ista civitas in Ionia sita est ad litus maris Ægæi & sinus Ionii, versus ostia Caystri fluminis: portum habet valde commodum arcemque munitissimam. In ea celebratum est Concilium generale tertium anno salutis reparatæ 431. sub Cœlestino Papa, adversus errorem Nestorii hæresiarchæ. Olim claruit Ephesinæ Dianæ templo toto orbe celebri. Ab amazonibus condita etiam fertur.

*Bimarisve Corinthi mœnia.*) Corinthus hodie *Corante*, urbs Peloponnesi, in Isthmo est medio sita, inter duo maria Ægæum & Ionium; unde *Bimaris* dicitur. ære, & figulinâ celebratur: *totius Græciæ lumen* vocat Cic. pro lege Manil. & Agrar. 2. n. 86. ita scribit: *posita Corinthus in angustiis atque in faucibus Græciæ, sic ut terra claustra locorum teneret: & duo maria navigationi diversa pæne conjungeret, cum pertenui discrimine separentur.* Luxuriæ vero infamiâ laboravit adeo, ut Corinthiari dicerentur qui impudice viverent. Lippis atque tonsoribus audita Lais meretrix ibidem famosa, tamque pretiosa, ut Demostheni sui copiam non nisi decem millibus drachmarum vendere vellet; quapropter abstinuit ille & respondit, *tanti non emo pœnitere.* Ex ista natum est adagium: *Non licet omnibus adire Corinthum.*

Mœnia, vel Baccho Thebas, vel Apolline Delphos
Insignes, aut Thessala Tempe.
Sunt quibus unum opus est, intactæ Palladis urbem
Carmine perpetuo celebrare, &
Undique decerptæ frondi præponere olivam.
Plurimus, in Junonis honorem,
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedæmon,

## INTERPRETATIO.

*duo maria posita, aut Thebas Baccho, vel Delphos Apolline insignes, vel Tempe Thessalica, Sunt* Poetæ, *quorum unicus labor est laudare carmine continuo civitatem Minervæ casta, ac præferre olivam foliis undequaque collectis. Plerique in honorem Junonis commendant Argos equis nutriendis idoneum, ac Mycenas divites. Me nec Sparta* illustris ob *patientiam*,

## ANNOTATIONES.

3. *Baccho Thebas.*) Cadmus ædificavit eam urbem in Bœotia, nobilitavit maxime Bacchus ibi natus Apollodor. lib. 3.

*Apolline Delphos.*) Parnassi juga, fons Castalius, at præ omnibus oraculum Apollinis, efferunt Delphos. Solin. Strabo lib. 9. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 2. *Delphi*, inquit, *orbis umbilicus, commune omnium oraculum, in alto Parnasso orbs non mœnibus, sed abruptis rupibus munita, arduo ac difficili ascensu. Templum Apollinis cultu & religione longe celebratissimum intra urbem non manu exstructa, sed nativa præcipitia munivere.* Hæc ille. Admirabilem porro Gallorum stragem Brenno duce Delphos impie oppugnantium, Apollinemque sese acriter vindicantem, lege apud Justinum lib. 24.

4. *Thessala Tempe.*) Horum in Thessalia locorum tanta fuit amœnitas, ut si quæ deinceps regio celebraretur, amœna velut Tempe diceretur. Illic Peneus fluvius inter Ossam & Olympum decurrebat, colles erant dextrâ lævâque molliter incurvi, nemorosæ convalles, &c. Vide Solin. Strab. lib. 9. Ælian. lib. 3. init. &c. nos iterum postea Od. 31. & lib. 3. Od. 1.

5. *Sunt quibus unum opus est, &c.*) Sunt Poetæ, qui semper canunt Athenas, & olivam Palladi sacras, nihilque norunt scribere præter Neptuni ac Minervæ certamen de nomine Athenis imponendo, hujusque in illum victoriam; cum, Neptuno equum proferente, Pallas oleam quæ præstantior visa & judicata est, produxisset.

*Palladis urbem.* Athenæ quidem omnis doctrinæ parentes; Pallas autem seu Minerva scientiis præesse cognoscitur: non ergo mirum si urbs ista illius veluti propria censetur. Quod si fabulari juvat, vide Apollodor. l. 3. Hygin. &c.

6. *Carmine perpetuo.*) Cyclicum carmen docte Heinsius intelligit, quod perpetua serie complectatur laudes Athenarum, &c. De eo dicam in Epist. ad Pison. v. 136. ubi *scriptor cyclicus.*

7. *Undique decerptæ frondi, &c.*) Ut præ cæteris orbibus Athenas, sic & olivam præ omnibus arboribus efferre. Scilicet ea est, quam Tull. de leg. 1. init. laudat, ita scribens: *nullius autem agricolæ cultu stirps tam diuturna, quam Poetæ versu seminari potest.* Eu vett. codd. nonnulli hic legunt, *undique decerptam fronti præponere olivam:* intelliguntque tonsiles coronas, id est circum circa detonsas, ut sint foliis brevioribus atque ornatioribus: quo videtur pertinere quod ait noster lib. 1. Epist. 19.

*At ne me foliis ideo brevioribus ornes.*) Alii explicant: ex omni loco & materia colligere, quod in Palladis Athenarumque & olivæ quæ ad Palladem præcipuo jure pertinent, laudes convertatur. Denique *fronti præponere olivam*, interpretantur ex oliva sibi coronam texere, eâque frontem exornare. Verum prima lectio atque interpretatio magis arridet: eamque sequi doctiores jam assuevere.

8. *Plurimus, in Junonis honorem, &c.*) Plerique amant celebrare Argos equis nutriendis aptum, ob læta pascua urbi circumjecta: vel Mycenas auro & divitiis insignes, Agamemnonis regni sedem inclitam. Vide Strab. lib. 8. Sophocles in Electra πολυχρύσους Μυκήνας vocat. *In Junonis honorem*, quia in utraque urbe ista Juno præcipue colebatur.

10. *Me nec tam patiens Lacedæmon, &c.*) Me Horatium nec Lacedæmon nec Larissa æque movet & afficit, ut domus Albuneæ, &c.

*Patiens Lacedæmon.*) Hæc Peloponnesi urbs Laconiæ caput ad Eurotam fluvium posita, dicta est & Sparta, hodie *Misitra:* servitutis olim impatiens, at malorum tolerantissima; ut *Spartana generositas & patientia* in proverbium abierit. Spartani liberos ad severam omnem disciplinam instituebant. Cic. Tuscul. 5. n. 77. *pueri Spartiatæ non ingemiscunt verberum dolore laniati. Adolescentium greges Lacedæmone vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, unguibus, morsu denique, ut exanimarentur priusquam se victos faterentur.* Idem alibi meminit eorumdem, quod ad aram loris & verberibus sic acciperentur, ut multus e visceribus sanguis exiret, imo interdum ad necem usque; neque tamen exclamarent, sed nec ingemiscerent quidem.

Digitized by Google

Nec tam Larissæ percussit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ resonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitæque labores
Molli, Plance, mero: seu te fulgentia signis
Castra tenent, seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque

## INTERPRETATIO.

*nec ager Larissa fertilis tam afficit quam fons Albunea perstrepentis, & Anio cadens, & nemus Tiburni, & pomaria rivulis decurrentibus irrigua. Quemadmodum Leuconotus aliquando nubibus expurgat cœlum caliginosum, nec pluvias parit semper, ita, Plance, recordare prudens imponere finem mœrori, & vitæ laboribus, bibendo vinum suave. Teucer fugiens patrem atque Sa-*

## ANNOTATIONES.

11. *Larissæ campus opimæ.*) Urbs Thessaliæ Larissa, agris perquam fertilibus gloriabatur: cum vero proxima esset Phthiæ, quæ Achillis patria, inde factum ut Larissæus ille sæpius dictus sit.

12. *Domus Albuneæ resonantis.*) Albunea Nympha, quæ & Sibylla Italica, Tiburi colebatur, atque lucum & fontem sacrum habebat. Virgil. Æneid. 7.

*Lucosque sub altâ*
*Consulit Albuneâ, nemorum quæ maxima sacro*
*Fonte sonat.*

Lactant. lib. 1. cap. 3. *Tiburtem Sibyllam dicunt nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut Dea, juxta ripas Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur tenens in manu librum, cujus sacra Senatus in Capitolium transtulerit.*

13. *Præceps Anio.*) Strabo lib. 5. *In Romæ conspectu sunt Tibur, Præneste, & Tusculum. Tibur quidem Herculeum, & Cataracta, sive descensus quem facit Anio, ubi navigabilis esse incipit, cum e sublimi in profundam vallem præceps defertur, & per vicina urbi nemora.* Dionys. Halicarn. lib. 5. refert Anienem ex urbe Tibure effundi per excelsum scopulum, atque in planitiem ferri Romanorum ac Sabinorum, utrorumque disterminando regionem, ac denique in Tiberim influere, aspectu quidem jucundum & pulcrum, potu vero etiam gratum.

*Tiburni lucus.*) Tiburnus Tiburis conditor, viciniæ quoque nemoribus dat nomen.

*Uda mobilibus pomaria rivis.*) Legunt quidam *nobilibus*, intelliguntque Albulas & Labanas aquas salubritate nobiles de quibus Strabo lib. 5. alii *mobiles* interpretantur ductiles rivos. Item legunt *pomaria*, referuntque ad Tibur, cujus muros alluit & rigat Anio.

15. *Albus ut obscuro, &c.*) non secus ac Leuconotus, (λευκὸς *candidus*, νότος *Notus*) Ventus iste a meridie spirans, nonnunquam serenitatem affert, quamvis sæpe imbres pariat: ita licet Reipublicæ curam geras semper, interdum hilaritati vacare debes, & animum vino recreare tantisper, ne illum nimiæ obruant sollicitudines.

18. *Tristitiam.*) Si rei cura privatæ comites habet ægritudines aliquando magnas, certe Reipublicæ fere semper maximas.

19. *Plance.*) L. Munatius Plancus maximis honoribus functus est, Consulatu cum M. Æmilio Lepido, Censurâ, &c. Nulla re autem nobis quidem videatur illustrior, quam quod Lugdunum nobilissimam Romanorum in Gallia coloniam condiderit, dum Galliæ Comatæ præfectus esset: sunt tamen qui eam urbem longe antiquiorem asseverent. Is porro non leves putandus labores exhausisse in tot civilibus tumultibus, quibus Imperium Romanum suo tempore concussum est, atque in tot rerum mutationibus. Ipse nimirum a Senatu primum stetit, deinde ad M. Antonium defecit, postea ad Augustum Cæsarem transfugit. Vell. Paterc. lib. 2. Exstant Ciceronis ad Plancum istum, & Planci ad Ciceronem Epistolæ perelegantes.

*Seu te fulgentia signis, &c.*) Sive sis militiæ, sive domi, & in villa tua Tiburtina. *Fulgentia castra* Cornel. Tac. Annal. 15. *fulgentibus Aquilis, signisque, & simulacris Deûm in modum templi.* Porro signa militaria seu vexilla sunt, aquilæ, dracones, apri, lupi, equi, minotauri, &c. Vide Veget. de re milit. lib. 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 5. Plin. lib. 10. cap. 4.

21. *Tiburis umbra tui.*) Densum notat villæ nemus, quod umbram amœnam prætenderet. Vide postea Od. 18. & l. 2. Od. 6. v. 5. ibique Annot.

*Teucer Salamina, &c.*) Exemplo Teucri fortiter adversa sustinentis, hortatur Plancum, ut pariter fortis sit in fortunæ vicissitudine, vinoque, ut ille, depellat curas.

Digitized by Google

Cum fugeret, tamen uda Lyæo
Tempora populeâ fertur vinxisse coronâ,
Sic tristes affatus amicos:
Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque.
Nil desperandum Teucro duce, & auspice Teucro.
Certus enim promisit Apollo,
Ambiguam tellure novâ Salamina futuram.
O fortes, pejoraque passi
Mecum sæpe viri, nunc vino pellite curas,
Cras ingens iterabimus æquor.

## INTERPRETATIO.

*lamina dicitur nihilominus caput vino madidum cinxisse corona populea, sic allocutus mœrentes amicos: o socii & comites pergemus quocumque nos ducet fortuna patre benignior. Nil non sperandum ductu & auspiciis Teucri. Nam Phœbus veridicus pollicitus est ancipitem fore Salaminem in terra nova. O viri strenui & sæpius deteriora mecum perpessi, jam vino mœrorem detergite, cras iterum navigabimus magnum mare.*

## ANNOTATIONES.

*Salamina patremque cum fugeret.* ) Post expeditionem Trojanam reversus in patriam Teucer a Telamone patre repulsus est, dolente & indignante, quod Ajacem fratrem non reduceret. Proficiscentibus enim mandarat ne alter sine altero rediret. Atqui Ajax se ipse interemerat, iratus quod Achillis arma Ulyssi potius quam sibi fuissent adjudicata.

*Salamina.* ) Salamis hodie *Coluri*, urbs & Insula maris Ægæi, in sinu Saronico, qui nunc dicitur *Golfe di Engia*, inter Atticam & Peloponnesum. Illic regnavit Telamon Ajacis & Teucri pater.

22. *Lyæo.* ) Cognomen est Bacchi, a λύω solvere, quia metu & curis vinum liberat. Horat. Epist. 15. lib. 1.

*Generosum & lene requiro*
*Quod curas abigat.*

Ovid.

*Vina parant animos.*
*Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.*

23. *Tempora populeâ fertur vinxisse coronâ.* ) Ita se Teucer instruit adversus mœrores. Vinum sumit; populeâ se coronâ redimit, seu quod Herculi sacrificet sic ornatus ex more; seu ad significandam animi fortitudinem. Nam hujus symbolum est populus arbor Herculi sacra. Demum ad omnes fortunæ casus socios parat. *Tristes* ob exilium, & quod carendum esset patria, quæ semper charissima cuilibet, dulcis atque jucunda, ut ait Cicero In Catil. 4.

25. *Melior fortuna parente.* ) Nam patrio solo & paternis Laribus exterminamur a Telamone patre. At fortuna spondet nobis casibus offertque novas sedes in aliena regione. Ajunt profectam a Teucro exulante sententiam hanc: *Ibi patria est omnibus, ubi bene.*

27. *Duce & auspice Teucro.* ) Auctore Teucro, bonis avibus rem gerente, post acceptum felix ab Apollinis oraculo responsum.

28. *Certus enim promisit Apollo, &c.* ) Apollo, cujus haud incerta sunt oracula, jussit me Cyprum contendere, ibique novam condere Salaminam; ut deinceps ambiguum sit hoc nomen, cum duplex erit urbs ejusdem appellationis. Altera apud Atticam regionem in qua nati sumus, & qua pellimur; altera in Cypro mox a nobis ædificanda, sic fatis volentibus. Vide Eurip. Helen. Act. 1. Scen. 1.

30. *O fortes pejoraque passi.* ) O viri qui mecum exantlastis ærumnas apud Trojam majores quidem & graviores istis malis, quibus jam conflictamur, forti estote animo: certe meliora propediem omnia experiemini.

32. *Cras ingens iterabimur æquor.* ) Hodie epulemur, genio indulgeamus, vino curas abigamus: at cras iterum conscendemus illud idem mare, quod nuper enavigavimus, a Troade huc in Græciam remigrantes. Denique nova domicilia, novam patriam quæsituri apud Cyprum, priorem cursum relegemus. Vell. Paterc. *Non receptus Teucer a Telamone patre, ob segnitiem non vindicatæ fratris injuriæ, Cyprum adpulsus est, atque ibi cognominem patriæ suæ Salamina constituit.*

AD

Digitized by Google

## AD LYDIAM.

## ODE VIII.

*Sybarim juvenem notat, quod relictis honestis exercitationibus, meretricio amori se manciparit.*

1 Lydia dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarim cur properas amando
Perdere? cur apricum
Oderit campum, patiens pulveris atque Solis?

### INTERPRETATIO.

*O Lydia, per cuncta Numina te obsecro, fac quamobrem festines amoribus tuis corrumpere Sybarim? quare* Martium *Campum Soli expositum aversetur*, valens *tolerare pulverem &*

### ANNOTATIONES.

Ode est dicolos distrophos: at metri singularis. De eo sic scribit Attilius eruditus Grammaticus: *Hoc metrum Horatius ignorando quale esset, laboriosa observatione, semel omnino facere conatus est; & in eo tamen parum decenter erravit. Nam fecit illud asperius uno immutato pede. Quod si scivisset Choriambicum esse, & habere clausulas certas, non in illam salebram incidisset. Nam primum comma ex Choriambo & Baccho constat:*

Lydĭă dic, | pĕr ōmnēs |

*Secundum colum, quod est longius, tres habet Choriambos, & unum Baccheum, scilicet clausula gratiâ. Quod metrum Alcaeus sic ordinavit vir in Musicis exercitatissimus. At Horatius primum Choriambum durissimum fecit, pro Iambo spondeum infarciendo sic,*

Tē Dēōs ō | rō ........

*Error tamen illius habet excusationem, quod in ea perseveraverit lege, quam ipse sibi aliquo casu fecerat, usque ad ultimam partem non mutando.*

1. *Lydia dic, &c.*) Lydiam ironice compellet Horatius, at Sybarim petit, suum, ut videtur, rivalem, sicut & Telephum Ode 13. Expressit autem hac Ode istam sane Terentii sententiam: Eunuch. Act. 2. Scen. 3. v. 19.

*Adeon' homines immutarier ex amore, ut non Cognoscas eumdem esse!*

Hic igitur Sybaris adolescens, Comici Phædriæ instar, totus ex amore meretricis immutatus perit. Nec enim, ut ante, laboris cujuslibet patiens, jaculando, equitando, luctando, natando inter æquales excellit; sed abjectis campestribus armis, & exercitationibus viro dignis, meretriciis captus illecebris latet apud Lydiam, atque iners ac perditus elanguescit.

2. *Sybarim.*) Lydi luxu perditi: sic & Sybaritæ delitiis fracti male audiebant. Sybaris tamen urbs ad oram Tarentini sinus olim sita, potens adeo primum fuit, ut finitimis gentibus quatuor dominaretur: at deinde proverbialiter usurpatum est ejus nomen pro perditissimo luxu. Philostrat. Strabo lib. 6. Athen. lib. 12. Plutarch. Lamprid.

*Amando perdere.*) Antiphrasis. Cæterum, ut scribit Virgil. Eclog. 3.

*Quisquis amores*
*Aut metuet dulces, aut experietur amaros.*

Quisquis enim meretricum amoribus se dat, brevi opes absumet, vires corporis animique perdet, & famam flocci habens ad quodvis malum ruet, omnis decoris immemor. Virgil. de Didone Æneam depereunte, Æneid. 4.

*Non cœpta assurgunt turres, non arma juventus*
*Exercet: portusve, aut propugnacula bello*
*Tuta parant: pendent opera interrupta, minæque*
*Murorum ingentes, æquataque machina cælo.*

Lege Plaut. Mercat. Prolog. & Terent. Eunuch. Act. 1. Scen. 1. &c. lib. 3. Od. 12. ibique annot.

3. *Cur apricum oderit Campum.*) Cur honestis exercitationibus, quas antea frequentabat, jam se mollis subducit? *Campum* hunc Gellius lib. 6. c. 7. scribit Populo Romano condonatum a Tarratia Virgine Vestali: at Livius Tarquiniorum primo fuisse affirmat, & his pulsis, Marti consecratum. Vegetius de re milit. lib. 1. cap. 10. sic habet. *Romani Campum Martium Tiberi vicinum delegerunt, in quo juventus post exercitium armorum, sudorem pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursusque laborem natando deponeret.* Describit vero Strabo lib. 5. his verbis. *Magnam ornamentorum partem Campus Martius continet .... Etenim admirabilis magnitudo, cum Equitia, id est Ludos Curules, & alias Equestres pugnas suppeditet; totum tamen multis Pilâ, Circo, Palæstrâque se exercentibus vacuum relinquit ........ solum herbis consertum omni tempore anni: tollium denique vertices Theatri speciem & ornatum ad alveum usque fluminis prope se ferentes spectaculum præbent ita amœnum, ut ægre & invitus ab eo discedas.*

4. *Patiens pulveris atque Solis, &c.*) Plutarchus in vita Catonis Censorii refert filium ab eo literis institutum, deinde vero edoctum artem corporis exercendi, jaculandi, equitandi, calorem & frigus tolerandi, rapidoque gurgites

ac

Digitized by Google

Cur neque militaris
Inter æquales equitat? Gallica nec lupatis
Temperat ora frænis?
Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
Cautius vitat: neque jam livida gestat armis
Brachia; sæpe disco,
Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinæ
Filium dicunt Thetidis, sub lacrymosa Troiæ

INTERPRETATIO.

*actum: quare nec bellicosus equum agitat cum paribus: neque frænis lupatis moderatur equo*rum *ora Gallicorum? quare formidat contingere Tiberim luteum: quare oleum diligentius fugit*, quam *vipera cruorem: nec deinceps livestibus lacertis arma portat, frequenter disco, frequenter telo ultra metam projecto illustris? cur se abscondit, quemadmodum ajunt* latuisse *filium Thetidis marinæ, circa luctuosum Troja*

ANNOTATIONES.

ac fluvios tranandi: &c. *Pulveris*. Vide Annot. ad Od. 1. v. 3.

5. *Cur neque militaris inter æquales equitat*.) Cur more solito strenue non decertat equitando cum æqualibus ætate ac studio juvenibus? equitandi studium nobili viro maxime convenire, asserit Plato in Lachete. Plutarchus autem refert, Julio Cæsari equitandi usum facilem adeo a pueritia fuisse, ut reflexis in tergum manibus, equum cursu velocissimo concitaret.

6. *Gallica nec lupatis temperat ora frænis*.) Hinc peritum equitandi ostendit Sybarim, qui Gallicos etiam equos domare consuevisset. Nam & hi Romæ in pretio, & feroces fuisse perhibentur, quos lupatis coerceri opus erat. Apulejus: *jumenta Gallicana, quibus generosa soboles perhibet generosam dignitatem*.

*Lupatis*.) Frænis asperioribus instar lupinorum dentium. Hæc etiam lupi dicebantur. Ovid. Trist. 4.

*Et placido duros accipit ore lupos*.

8. *Cur timet flavum Tiberim tangere*.) Cur se ad natationem non exercet, ut ante? hæc enim valde utilis, & pridem commendabatur. Sic Horatius ille Cocles e ponte sublicio in Tiberim desiliens ad suos armatus tranavit. Sic Julius Cæsar Alexandriæ circa pontis oppugnationem, cum in mare desiluisset, nando per ducentos passus evasit ad proximam navem, elata quidem læva manu, ne madefierent libelli, quos tenebat; paludamentum vero mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis. Sueton. Hinc ex eodem Sueton. Augustus nepotes docuit natare. Et Plato 3. de Legibus, probrosum ait, si quis natare non didicisset.

*Flavum Tiberim*.) Hic fluvius olim Albula dictus, postea Tiberis ac Tiberinus vocatus est, ab hujus nominis Rege in eo submerso. Eustath. *flavum*. Sic. Æneid. 7.

*Multâ flavus arenâ*.

*Cur olivum sanguine viperino cautius vitat?*) Cur nunc luctam fugit Sybaris, & angue pejus odit; adeoque se nequaquam ceromate perungit, ut solent athletæ, quo membra reddant tum robustiora cum lubrica.

9. *Sanguine viperino*.) Quod venenum est præsentissimum, quippe calidissimum, Alberto teste.

10. *Neque jam livida gestat armis brachia*.) Cur arma non amplius contrectare, portare, vibrare amat? hinc non jam livent ejus brachia, seu attritu armorum & pondere, seu ictibus. Vide Veget. cit. lib. 1. cap. 11.

11. *Sæpe disco, sæpe trans finem*, &c.) Robore brachiorum contendebant seu discum seu jaculum projiciendo. Duplex est autem ea exercitatio, artis altera, altera virium. In priori collineatur ad certum scopum. In posteriori vincebat qui longissime contorsisset: & de hac fit hic mentio. Sic Iliad. Ψ. dicitur Ajax discum ejaculatus prævalida manu, & omnium metas exsuperasse. Et Odiss. θ Ulysses discum lapideum ultra metas aliorum longe torquet.

*Disco*, ἀπὸ τοῦ δίσκειν, *jacere*.) Orbis erat, ferreus, æneus, ligneus, plerumque lapideus, qui medius loro circumnexus in auras tota vi jaciebatur: a quibusdam circumrotando: ut patet ex cit. Homeri locis. Vide Alex. ab Alex. lib. 3. c. 21.

*Trans finem jaculo nobilis expedito*.) Frequenti nobilitatus victoria, jaculo scilicet & disco trans aliorum finem, seu signum, Græce σῆμα, expedite projecto.

13. *Ut marinæ filium dicunt Thetidis*, &c.) Achillem nempe mater habitu muliebri inter Lycomedis puellas abscondisse narratur, ne ad bellum Trojanum raperetur, eo quod in fatis erat, si gloriæ bellicæ operam daret, brevi periturum. At quia sine eo capi Troja non potuisset, ex Calchantis responso, Ulysses detexit Achillem, & abduxit eo, quo norunt omnes, modo; propositis scilicet armis.

*Marinæ*.) Thetis erat maris Nympha, Nerei filia, Achillis autem mater.

Digitized by Google

Funera: ne virilis
Cultus in cædem, & Lycias proriperet catervas.

INTERPRETATIO.

*exitium, ne viri habitus pertraheret ipsum ad stragem, & contra turmas Lyciorum.*

ANNOTATIONES.

16. *In cædem, & Lycias, &c.*) Adversus Trojanas copias atque exercitus. Lycia duplex: altera est Troadis regio, ex Homero & Strabone; altera est Cariæ finitima. Hujus quidem populi Trojanis auxiliom tulerunt. Ab utra vero Trojani denominentur Lycii, arbiter esto Lector: certe dices, non ab hac, sed ab illa. Mecum igitur mirare turbam Interpretum qui fere omnes hactenus contrarium scripsere.

*Catervas.*) Hic Grammatistæ vulgo monent Catervam militum sena millia continere, propriamque Afrorum esse, sicut Phalanx est Macedonum, Legio vero Gallorum. Sed quid ad rem? Et quid hoc juvat ad Horatii sensum hic expiscandum, ubi omnia in propatulo sunt?

---

*AD THALIARCHUM.*

# ODE IX.

*Dum sævit hyems, voluptati indulgendum.*

Vides, ut altà stet nive candidum
Soracte: nec jam sustineant onus
Sylvæ laborantes: geluque
Flumina constiterint acuto?

INTERPRETATIO.

*Cernis, o Thaliarche, quemadmodum Soracte densis nivibus album rigescat; neque silvæ fatiscentes ferre amplius queant pondus: & fluvii acri glacie hæserint? Arce* verò tu *frigus li-*

ANNOTATIONES.

Ode est dicolos tetrastrophos. Duo primi versus sunt Dactylici, Alcaici, Acatalecti: pes primos est spondeus vel Iambus: secundus est Iambus semper cum cæsura: tertios & quartus sunt dactyli.

Vīdēs | ŭt ăl | tā | stĕt nĭvĕ | cāndĭdūm |

Tertios est Iambicus Archilochius dimeter hypercatalectus. Pes primos & tertius est Iambus vel spondeos: secundus & qoartus semper Iambi cum syllaba superstite.

Silvæ | lăbō | rāntēs | gĕlū | que

Quartus est Dactylicus Alcaicus Acatalecticos, vel, (ut alii vocant) Pindaricus, e duobus dactylis, & totidem trochæis.

Flūmĭnă | cōnstĭtĕ | rīnt ă | cūtō

1. *Vides ut alta, &c.*) Hypotyposis, seu descriptio accurata hyemis.

2. *Soracte.* Mons Apollini quoudam sacer, de quo Virgil. Æneid. 1. & 11.

*sancti custos Soractis Apollo.*

Plin. lib. 7. cap. 2. *haud procul urbe Roma in Faliscorum agro familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ, quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracten Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur.* Idem fere Strabo lib. 5. Dictos exinde mons Divi Silvestri, quoniam in ejus spelunca delituit sanctus ille Pontifex, dum in Christianos sæviret Maxentius. Hodie *Monte S. Oreste* vocatur, ab adjacente oppido, in ditione Pontificia: recentioribus *Mons sancti Oedisti.*

*Nec jam sustineant onus silvæ laborantes.*) Hyperbole, asperitatem frigoris, & nivium copiam exhibens. Quasi arborum fatiscant & incurventur rami sub poodere nivis & glaciei.

3. *Geluque flumina constiterint acuto.*) Quæ nempe fluere ex natura postulant, hærent jam &

Digitized by Google

Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens, atque benignius
Deprome quadrimum Sabinâ,
O Taliarche, merum diotâ.
Permitte Divis cætera: qui simul
Stravere ventos æquore fervido
Deprœliantes; nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quærere; &
Quem sors dierum cunque dabit, lucro
Appone: nec dulces amores
Sperne puer, neque tu choreas;
Donec virenti canities abest

INTERPRETATIO.

*gna copiose congerens ad ignem, & vinum quatuor annorum liberaliter exhibe vase Sabino. Remitte Diis reliqua, qui statim ac dejecere ventos æstuante mari luctantes, nec moventur cupressi, nec orni vetusta. Cave percontari quid cras eventurum sit: & quemlibet diem fortuna largietur, quæstui adjice. Neque vero suaves amores tu juvenis contemne, neque choreas, dum*

ANNOTATIONES.

& stant gelu constricta. *Acuto*. Seu quod frigus vehemens haud secus pungat ac ferri acies & acumen: seu quod acutæ sint glaciei crustæ.

5. *Dissolve frigus, &c.* ) Imitatio versuum Alcæi, hyeme potandum asserentis. apud Athen. lib. 10. cap. 8.

7. *Sabinâ diotâ.* ) Vase in Sabinis fabricari solitu, quod quidem utrinque ansas habet velut auriculas, *diota*. διώτη. Quadrantal dicunt octo & quadraginta sextarios capiens. Alii vas non ita magnum hic intelligunt, sed potius in quo hauriatur vinum e dolio. Perperam nonnulli scribunt *dyota*, quasi ὦτα δύο ἔχουσα *amphora*.

8. *Thaliarche.* ) Nomen hoc idem sonat quod symposiarchus: θαλίαις ἄρχων, *convivio præsidens*.

9. *Permitte Divis cætera.* ) Uni vaca voluptati; cæterorum vero coram Diis relinque.

*Qui simul stravere ventos, &c.* ) Hic Stoicum agit Horatius, alibi vero sæpius Epicureum; nempe mortalia hæc & infima Diis esse curæ asserit, potentiamque & providentiam videtur stabilire, exemplo isto. Cum primum illi, inquit, ventos deprœliantes retinent, quiescunt: cum sedari tempestates volunt, mare statim pacatur atque subsidit: adeoque tranquilla sunt omnia, ut nec orni, nec cupressi moveantur. Sic ergo & curabunt ea, quæ ad homines spectant, adversa quæque & contraria in melius commutantes.

11. *Cupressi.* ) Pro qualibet arbore hic ponuntur, sicut & *orni*. Cato de re rustica c. 48. & 151. de illis abunde. Plin. lib. 16. c. 33. *Cupressus natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbra quidem gratiosa, materie rara, Diti sacra, &c.* Ex Varrone, rogis adhibetur, propter gravem ustrinæ nidorem: quoniam fœtorem cadaveris dum uritur, odoris sui jucunditate lenit. Servius ait, ideo cremandis cadaveribus convenire, quia præciso capite moritur, & subsecta non renascitur, quemadmodum e mortuis nihil speratur.

12. *Orni.* ) Arbores proceræ & graciles; silvestres fraxini: montes amant ex Plinio.

13. *Quid sit futurum cras, fuge quærere.* ) Sive ex naturæ sibi timentis sollicitudine, sive ex curiosa futurorum investigatione per Genethliacos, noli te discruciare. Nam Mathematici plus torquent quam juvant; & hoc Deos offendit, qui notitiam hanc sibi reservarunt. Phavorinus, apud Gell. lib. 14. c. 1. *aut adversa prædicant Genethliaci, aut prospera. Si prospera, & fallunt; miser fies frustra expectando. Si adversa, & mentiuntur; miser fies frustra timendo, &c.* Vide Ann. ad Od. 11. seq.

14. *Quem sors dierum cumque, &c.* Pro lucro habe singulos qui tibi conceduntur vitæ dies; ac velut lucrum lucro appone quotquot jam ante concessis adduntur. Cum enim *morti debeamur*, ut ait ad Pisones, quot dies vivimus, & quot *fors* seu Deorum voluntas dat, totidem ei velut eripiunt, nobis vero quasi lucrum accedunt. Cic. ad Famil. lib. 9. Epist. 17. *de lucro jam quadriennium vivimus.*

*Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.*

15. *Nec dulces amores sperne puer, &c.* ) Dum juvenis es, juveniles exercitationes & oblectationes ne omitte; antequam veniat senectus, quæ his omnibus finem imponit.

Moroſa, Nunc & campus, & areæ,
Leneſque ſub noctem ſuſurri
Compoſitâ repetantur horâ.
Nunc & latentis proditor intimo
Gratus puellæ riſus ab angulo;
Pignuſque dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

INTERPRETATIO.

*a te valido procul est senectus difficilis. Jam &* *Campum Martium & areas* frequenta: *nec non secretas ad noctem conditâ horâ confabulationes. Jam quoque revocetur jucundus Adolescentulæ cachinnus ab angulo secreto absconditam indicans: atque pignus detractum brachiis, vel digito parum tenaci.*

ANNOTATIONES.

18. *Moroſa.*) Cic. de Senectute, n. 64. & seq. *moroſi, anxii, iracundi, & difficiles ſenes ſunt. Moroſitas illa tamen excuſationis habet aliquid ..... contemni ſe putant, deſpici, illudi. Præterea in fragili corpore odioſa omnis offenſio eſt.* Et paulo poſt: *Quarta reſtat ratio, quæ maxime angere ac ſollicitam habere noſtram ætatem videtur: appropinquatio mortis, quæ certe a ſenectute non poteſt longe abeſſe, &c.*

*Campus.*) Exercitationes juventutis idoneas in Campo Martio celebrari ſolitas frequenta. De illis vide Annot. ad Od. 8. ſupra.

*Areæ.*) Loca vacua ædificiis, adeoque ad exercendos juvenes deſtinata. *Campus* eſt ampla terræ planities; *area* vero eſt paulo magis anguſta. Vallæ. Vitruv. lib. 5. cap. 7.

19. *Leneſque ſub noctem ſuſurri.*) Colloquia clam & ſummiſſâ voce cum amica, quæ blanditias, & murmura nuncupat Ovidius.

21. *Nunc & latentis, &c.*) Ludos amatorios Horatius exprimit, in quibus laſcivæ puellæ latebras petunt, & ſe cupiunt tamen intelligi, &c. Virgil. Eclog. 3.

*Malo me Galatea petit laſciva puella;*
*Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.*

Cornelius Gallus:

*Erubuit vultus ipſa puella meos.*
*Et nunc ſubridens latebras fugitiva petebat:*
*Non tamen effugiens, tota latere volens:*
*Sed magis ex aliqua cupiebat parte videri:*
*Lætior hoc multo, quod male tecta foret.*

23. *Pignuſque dereptum, &c.*) *Pignus*, armilla, chirotheca, annulus, &c. *Dereptum*, vel ab amatore, vel a puella. Poteſt enim intelligi hæc abstuliſſe quidpiam ab illo, ut redeundi locum det repetituro: vel ab hac ille, ut referendi, atque iterum conveniendi anſam arripiat.

*Dereptum.*) Male quidam, *direptum*. Nam diripere eſt diſcerpere, & lacerare: quod hic non convenit. At *deripere* eſt movere & rapere de loco.
Virgil. Georgic. 2. v. 242.

*Colaque prælorum fumoſis deripe tectis.*

Æneid. 1. v. 215.

*Tergora deripiunt coſtis.*

Cicer. Verr. 4. *Victoriam deripere, & Deam Dea detrahere conatus es.*

24. *Male pertinaci.*) Qui ſimulet retinere velle quod ſibi adimi gaudet, maxime, ut repetendi occaſio detur rurſumque comeſſandi.



Digitized by Google

## AD MERCURIUM.

## ODE X.

Mercuri facurde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decoræ
More palæstræ:
Te canam magni Jovis & Deorum

INTERPRETATIO.

*O diserte Mercuri, Atlantis nepos, qui hominum novorum agrestes mores sermone finxisti doctus, & ritu pulcræ palæstræ: Te celebrabo summi Jovis aliorumque Deorum interpretem,*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 2.

1. *Mercuri facunde.*) Hymnum hunc tanti facit Lylius Gyraldus, ut non modo legendum, sed ediscendum censeat. Quædam tamen reprehendit Scaliger suo more. In eo Mercurium celebrat Horatius, ut scribunt aliqui, quoniam ejus ope civilis tumultus pericula evasisset. Imitatio est Alcæi. Laudatio petitur a quatuor præcipue locis: a genere; versu 1. a rebus inventis; v. 4. 6. 7. a rebus gestis; v. 2. 13. ab officio & auctoritate; v. 5. 17. &c.

*Mercuri.* Quasi medicurrius, seu medius currens dictus est, tanquam internuntius Deos inter & homines. Festus a mercibus originem trahit, quia negotiationibus præest Mercurius. Uni Mercurio tribuuntur vulgo quæ plurium sunt. Tres alii, alii quinque memorant, aut plures etiam Mercurios.

*Facunde.*) Est enim Eloquentiæ Deus, & orationis inventor. Hinc & Lystrenses viso signo per Barnabam & Paulum facto, velut Diis sacrificare voluerunt: atque illum quasi Jovem reveriti sunt, hunc vero sicut Mercurium, *quoniam ipse erat dux verbi.* Act. Apost. cap. 14.

*Nepos Atlantis.*) Scilicet natus Majâ filiâ Atlantis, qui Mauritaniæ Rex, & Astrologiæ inventor, inde cælos humeris sustinere dictus. Sanctus Augustin. refert tempore, quo Moses natus est, floruisse Atlantem Astrologum, Promethei Physici fratrem, maternum autem avum majoris Mercurii, cujus nepos fuerit Mercurius ille Trismegistus.

2. *Qui feros cultus, &c.*) Quod Orpheo in epist. ad Pisones, versu 391. hoc idem Mercurio tribuit hic; scilicet a victu agresti homines recens terrâ editos (ut fabulantur) ad cultiorem traduxisse facundiæ vi, & orationis suavitate. Vide Cic. 1. de orat. & 1. de invent. *Feros cultus.* S. August. de Civit. ait, feram nullam immaniorem esse homine, si suis affectibus relinquatur.

3. *Voce formasti.*) Nempe orationis inventor pariter & Musices. *Catus,* Vocem hanc Sabinam esse, & acutum significare, auctor est Varro, 6. de Ling. Lat. Cic. 1. de Legibus: *prudens, & ut ita dicam, catus.* 1. de Orat. num. 198. *egregie cordatus homo catus Ælius Sextus.*

*Decora more palæstræ.*) In tribus his vocibus tria carpit Scaliger. Primo scribendum fuisse, *lege,* non, *more,* contendit. Sed quæ auctoritas? Deinde sono se rythmico offendi, ait. Verum quot ejusmodi locutiones Tullius ipse non scripsisse modo, sed amasse reperiatur? Postea epitheton *decora* velut parum conveniens notat. At enim palæstra duplex est: rudis altera & sine arte, qua solent se rustici exercere, qualitercumque se agitando ac decertando. Hanc describit Virg. Georgic. 2.

*Corporaque agresti nudant prædura palæstrâ.*

Altera est artificiosa, & decora sane, quæ partes corporis singulas format ad decorem, & decentem actionem præceptis & exercitatione fingit. Tullius de Oratore. *Numerus quemdam vegit. Tullius de Oratore. Numerus quemdam* [illegible] *palæstram orationi & extrema lineamenta confert.* Et postea: *Ut athletas videmus nihil aut vitando, aut petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæstram quamdam: ut quicquid in rebus fiat utiliter ad pugnam, idem ad aspectum etiam sit venustum: sic oratio nec plagam gravem facit, nisi petitio fuerit apta: nec satis tecte declinat impetum nisi etiam in cedendo quid deceat intelligit.* Quintil. lib. 1. cap. 11. Palæstricis vacandum censet, *quibus gestus motusque formatur* [illegible] *ne indocta, rusticave manus: ne status indecorus, &c.*

*More palæstræ.*) Sunt qui intelligant Mercurium ita recentes homines formasse ad humaniorem cultum, atque artes, ut formari solent in Academiâ modo & palæstrâ. At aliis videtur Horatius respexisse ad ea quæ a Mercurio traduntur inventa: his autem accensetur palæstra, seu lucta; gymnica exercitatio nimirum, seu luctatio, qua nudi unctique exercebantur, valetudinis quidem tuendæ causa, tum vero roboris etiam & agilitatis & artis acquirendæ.

5. *Jovis & Deorum nuntium.*) Hesiodo ἀθανάτων κήρυκα, *præconem immortalium*: Orpheo Διὸς ἄγγελον *Jovis nuntium*: Homer. Hymn. in Mercur. v. 3.

ἄγ-

Digitized by Google

Nuncium, curvæque lyræ parentem:
Callidum, quidquid placuit jocoso
Condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetrâ
Risit Apollo.

INTERPRETATIO.

*atque inventorem citharæ incurvæ: nec non solertem clam surripere joci gratiâ quodcumque libuit. Te puerum quondam cum verbis minacibus Apollo territaret, nisi vaccas per fraudem abactas restitueres; risit ipse advertens se pharetra*

ANNOTATIONES.

*ἄγγελον ἀθανάτων ἐριούνιον, ὃν τέκε Μαῖα.*
*Nuntium immortalium perquam utilem, quem peperit Maja.*
Virg. Æneid. 4. v. 356.
*Interpres Divum Jove missus ab alto*
*celeres mandata per auras*
*Detulit.*

6. *Curvæque lyræ parentem.*) Mercurii inventum esse lyram constat, quam tamen Apollini tribuunt aliquando, quoniam hanc ei concessit Mercurius, ut infra dicemus ad vocem, *virga*. Sic autem inventa fertur. Post inondationem Nili testudinem reperit mortuam, exesâ etiam tractu temporis carne: nervi autem qui superstites erant tensi, cum digitis essent pulsi sonum aliquem reddiderunt. Itaque ad ejus similitudinem lyram construxit Mercurius, quæ exinde testudo vocata est. Aliter paulo alii rem afferunt, ajuntque testudinem vocatam a testa istius animalis: ut mox fusius explicabo.

*Lyra.*) Lyram cum cithara confundunt Grammatici vulgo, ipseque Eustathius, qui ait, *chelyn citharam dictam esse, quod testudinis testa jugo addita, fidibusque tensa lyram deformavit:* & rursus: *chelyn id est lyram e testudinis testa factam*. Quod porro inter illas discrimen, vix statuas: quamquam fuisse non est dubitandum. Diodorus trichordon lyram extitisse auctor est: at Horatius citharam seu testudinem septem nervis tensam & instructam scribit, imitatione Pindari, qui ἑπτάγλωσσον φόρμιγγα, id est, septenos edentem sonos, ait. S. Hieron. scribit, *citharam efficit in modum litteræ Δ, cum chordis viginti quatuor, & per digitos variis vocibus, tinnulisque ictibus in diversis modis concitari*. Hoc autem observare licet, dici chelyn seu testudinem & citharam digitis aut pectine pulsari; Seneca: *chelyn plectro verberari*, &c. Lucanus:
*Seu chelyn digitis, & eburno verbere pulset.*
At lyra pelli dicebatur. Idem ibidem.
*Nec pudeat pepulisse lyram.*
Ovid. Metamorphos. 10. cap. 5.
*Te lyra pulsa manu, te carmina nostra sonabunt.*
Cruquius ita in hunc locum scribit: ex idiomate Italico, Alemannico, Flandrico, Gallico, lyra suum adhuc nomen habet integrum. Est nimirum est, qua mendici vicatim stipem quæritare notum est: nam & incurva est, & δελτωτῦ formam refert proprius intuenti. Cithara vero testudo vocata a forma testæ ejus animalis, &c.

7. *Callidum quicquid placuit, &c.*) Clam, ingeniose, jocose, furandi magistrum. Duplex nimirum est furti species, seu furandi ars. Una seria, improba, injuriosa, legibus vetita: & de hac non est mentio. At altera est oblectationis, joci, & industriæ ludicra, in qua excelluit Mercurius. Hinc & Lycurgus ad acuendos furandi solertiâ Spartanorum animos, impunita esse furta sanxerat. Philostrat. Imagin. lib. 2. furta Mercurii jocosa vocat ἡδέα κλοπὴν. Fulgentius ideo negotiatoribus præesse dicit Mercurium, quod illi vix a furto immunes sint. Alii volunt designari vim orationis, quæ sensim animum capiat ac rapit. Huc etiam ab aliis refertur Magiæ ac præstigiorum inventio, quæ tribuitur Mercurio; ars nempe sic astantium oculos præstringendi, ut dolum non advertant coram ipsis perpetratum.

9. *Te boves olim, &c.*) Calliditatem Mercurii, & peritiam jocose furandi probat. Hæc nota est historia, seu fabula: cum Apollo ob Cyclopes interfectos divinitate aliquandiu privatus esset, atque interim Admeti Thessaliæ Regis armenta pasceret, boves aliquot exerrantes & longius progressas abegit Mercurius & occuluit. Ille vero hunc pueri formâ indutum quasi bubulcum furacem aggressus, mortem minatur, nisi abacta pecora restitueret: ac telum proferre volens, quasi percussurus, vacuam sensit pharetram, vel hanc quoque sibi subreptam. Tum denique Apollo Mercurii subtilem in furando industriam demiratus, risum tenere non potuit; *iracundiam voluptate superante*, ut ait Philostrat. Imagin. lib. 1. ubi fabulam hanc egregie expressit. Vide Homer. Hymn. in Mercur. Ov. Metamorphos. 2. cap. 11. &c. & Annot. infra ad vocem *virga*.

11. *Viduus pharetrâ.*) Infra lib. 2. Ode 9.
*Et foliis viduantur orni.*
Virgil. Æneid. 8.
*Viduasset civibus urbem.*
Quem in locum Servius laudat Virgilium tanquam proprie locutum: Horatium vero carpit & vellicat quasi hic male scripserit *viduum Apollinem*. Sed o puerilem astutiam!

Quin & Atreidas, duce te, ſuperbos
Ilio dives Priamus relicto,
Theſſalosque ignes, & iniqua Trojæ
Caſtra fefellit.
Tu pias lætis animas reponis
Sedibus; virgâque levem coerces
Aureâ turbam, ſuperis Deorum
Gratus & imis.

INTERPRETATIO.

*quoque ſpoliatum. Quin etiam Priamus opulentus Trojâ diſcedens, ducente te, luſit arrogantibus Atridis, excubiis Theſſalorum, & caſtris Trojæ infeſtis. Tu animas bonorum beatis ſedibus collocas: atque aureâ virgâ catervam exilem ſummoves, ſuperis æque Numinibus ac inferis gratioſus.*

ANNOTATIONES.

13. *Quin & Atreidas, &c.*) Præclare & benigne a Mercurio facta jam oſtendit. Nimirum ex Homer. Iliad. ult. Mercurius a Jove miſſus præbet ſe ducem Priamo Hectoris interfecti corpus redemptum pergenti: cumque per media hoſtium caſtra ad Achillem uſque ſic deduxit, ut nec tentus a quoquam: imo nec viſus fuerit.

*Atreidas.*) Agamemnonem & Menelaum Atrei filios, Græci exercitus imperatores.

14. *Dives Priamus.*) Et in hunc locum Scaliger ſtylum acuit & vibrat: *an dives*, inquit, *ille qui miſerrimus, orbus liberis, regno ſpoliatus, quique adeo mærens potius & inops?* Scilicet non meminerat quod legitur Iliad. ult. copioſa ſane & pretioſa munera ad Achillem delata a Priamo Trojam deſerente; atque, ut eſt ibid. *infinita dona e thalamo in currum exportata ad Hectorem redimendum;* quæ etiam ibi recenſentur; *duodecim lænas, totidem tapetas, totidemque pallia eximia, item & tunicas: auri vero talenta decem: duos inſuper tripodas ardentes, lebetes quatuor; poculum denique magnificum, quod Thraces donarant.*

15. *Theſſalosque ignes.*) Nocturnas Theſſalorum ſive Græcorum excubias circa tentorium Achillis collocatas. Synecdoc. Nam & Theſſali Græciæ populi, & ipſe Achilles Theſſalus erat. Homeri Scholiaſtes ad Iliad. 18. *nocturnum ſignum caſtrenſe, ignis; diurnum, fumus:* inquit.

16. *Iniqua Trojæ caſtra fefellit.*) Caſtra nempe Græcorum Trojæ hoſtium occulte ingreſſus, & ad uſque tentorium Achillis ſic penetravit Priamus, duce Mercurio, ut vigilum nemo ſenſerit, nemo interceperit, aut prohibuerit. Qua vero id ratione factum ſit, explicat Homerus, ubi eſt: *cum ad turres navium & foſſam veniſſent, cuſtodes quidem e cœna laborabant: his vero Mercurius ſomnum injecit.*

17. *Tu pias lætis, &c.*) Jam præſtans Mercurii officium & inſignis auctoritas declaratur. Videlicet priſcis illis exiſtimatum, animas corporibus excedentes a Mercurio ſuſcipi, atque vel ad Campos Elyſios ſeu beatas ſedes perduci, vel ad Inferos. Unde *diſpenſator ac deductor animarum* dictus eſt ille. Quod munus tamen Plutoni aſſignat Pindarus Olymp. Od. 9.

18. *Virgâque levem coerces, &c.*) Caduceo domas, regis, deducis, animas ſpiritales corporeæ molis expertes, adeoque *leves* & agiles: ſeparasque alias ab aliis, pro tua auctoritate atque ex officio, ſecundum variam bene vel male factorum ac meritorum rationem: has quidem ad tartarea ſupplicia, illas autem ad ſedes lætas ac fortunatas. Homer. Odyſſ. ult.

Virgil. Æneid. 4. v. 242.
*Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco*
*Pallentes: alias ſub triſtia Tartara mittit:*
*Dat ſomnos, adimitque; & lumina morte reſignat.*

*Coerces.*) Huc referunt aliqui ad eloquentiam, qua ſedantur & coercentur homines concitati; & inertes contrario ignavique incitantur.

*Virgâ.*) Hanc ab Apolline Mercurius acceperat, conceſſa viciſſim lyra: poſtquam enim boves, ut ante dictum, huic furatus eſſet; ita demum convenerunt, eâque lege & conditione venia eſt data Mercurio, ut lyræ inventor Apollo diceretur. Huc pertinet quod Homeri Pindarique Schol. ajunt, λύραν quaſi λύτριν dictam eſſe, quod eâ ſe Mercurius ab irato Apolline redemerit. Ergo mirificâ illâ inſtructus virgâ, profectus in Arcadiam Mercurius pugnantes duos cum Dracones reperiſſet, hac inter eos projectâ prælium diremit. Exindeque pacis conciliatricem virgam appellerunt: eique duo circumvoluti ſerpentes additi ſunt. Hygin. lib. 2. Hinc etiam legati pacis caduceatores vocantur, quia ejuſmodi caduceo inſignes procedunt. Tit. Liv. Denique virga illa auctoritatem ac dicendi vim denotat: circumplexi vero ſerpentes indicant prudentiam; quippe hæc illius individua comes eſſe debet.



Digitized by Google

## AD LEUCONOEN.

## ODE XI.

*Indulgendum voluptati, omissâ futurorum curâ.*

1 Tu ne quæsieris scire (nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dî dederint, Leuconoe: nec Babylonios
Tentaris numeros; ut melius, quidquid erit, pati
(Seu plures hyemes, seu tribuit Jupiter ultimam,

### INTERPRETATIO.

*Tu ne cupiveris nosse (nec enim licet) quem mihi, quem tibi, Leuconoe, constituerint Numina terminum vitæ. Neque experiare Chaldæos calculos; ut satius tolerare quodcumque acciderit: sive multas hyemes Jupiter largiatur, si-*

### ANNOTATIONES.

Ode hæc est monocolos. Versus nempe omnes sunt Choriambici, Alcaici, Pentametri, Acatalecti, constantque spondeo, tribus Choriambis, & Pyrrichio, vel Iambo. Sic:

Tū nĕ | quæsīĕrīs | scīrĕ nĕfās | quēm mĭhĭ quēm | tĭbĭ |

1. *Tu ne quæsieris.*) Oden hanc velut indignam Horatio notat Scaliger. Quam vero ob rationem ego nescio: nec, ut opinor, ipse scivit, qui nullam profert. Horatius Leuconoen Mathematicis prædictionibus plus æquo addictam hortatur ut relinquat Diis futurorum curam, ipsa vero præsentibus utatur.

*Scire nefas.*) Has alii separant voces: alii parenthesi includunt utramque. Perinde est. Quod si cui videtur nimis abscissa interpositio (nefas): meminerit frequentes legi tam contractas apud optimos auctores. Terent. *Quid tua (malum) id refert?* Cic. in Verrem. *Quæ (malum) ista fuit amentia?* 2. de Off. *Quæ te (malum) ratio in istam spem induxit?*

*Quem mihi, quem tibi finem Dî dederint.*) Ne scire desidera quod nefas; ne affecta quod sibi reservarunt Dii, futuri nempe cognitionem. Cic. ad Familiar. lib. 6. Epist. 4. *Equidem mihi omnia propono: nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere. Sed cum plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso quod timetur, desino: præsertim cum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit.* Seneca vero sic paucis vanas eas sollicitudines perstringit: *Quod times aut futurum est, aut secus. Si secus; frustrà vexaris. Si venturum est; tum satis dolebis tandem, cum adfuerit tribulatio.*

2. *Leuconoe.*) Alii legunt *Leucothoe*. Fictum nomen est à Poeta. Ludunt aliqui in etymologia nominis latius, & quidem operam ludunt. Fuit olim Leuconoe filia Lycambis, quam Archilochus scriptis conviciis ad suspendium adegit.

*Nec Babylonios tentaris numeros.*) Ne Mathematicos adi, ne consule, neve iis crede: sunt enim fallaces. Quod quidem probant egregie tum historiæ passim, tum ratio. Vid. Cicer. 1. & 2. de Divin. Item de Fato. Item 3. de Natur. Deor. A. Gell. lib. 14. cap. 1. ubi refutat eos, qui curiosius auscultant Genethliacis, futura dicturos per artes prodigiosas spondentibus. Sanct. Augustin. de Civitat. Dei &c. Tacitus lib. 17. Mathematicos appellat *genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax*. Cic. 1. de Divin. *contemnamus Babylonios, qui e Caucaso signa cæli servantes numeris & motibus stellarum cursus persequuntur.* Juvenal. Sat. 6. a versu 552. ad 590. ejusmodi studium, in mulieribus præsertim, graviter insectatur.

*Babylonios.*) In Babylonia templum erat Beli Sideralis Scientiæ inventoris: ex Plin. lib. 6. cap. 26. Babylonii, seu Chaldæi Babyloniam incolentes Astrologiæ peritissimi erant: ex Cic. de Divin. Dioder. Sicul. Gell. lib. 1. c. 9. Q. Curt. l. 5.

*Babylonios numeros.*) Certe necessaria valde numerorum cognitio & praxis accurata, ad dimensionem horoscopi, aspectumque ad alia sidera planetasque diligenter inquirendum. Hinc Arithmetica sæpe usurpatur pro Astrologia (ut vocant) Judiciaria. Lactant. *Arithmetici, quos Mathematicos dicimus, quorum in numeris est tota doctrina, &c.* Auson.

*Tu Cæli numeros, & conscia sidera fati*
*Callebas.*

*Ut melius quidquid erit pati.*) Quanta hic apud interpretes dissensio? Alii jungunt ista cum voce, *sapias*; quæ vero intermedia sunt, parenthesi includunt. Alii sensum finiunt voce *pati*; explicantque sic: cum melius sit, vel tanquam melius sit pati constanter quicquid evenerit, quam animum distorquere, anxie quæ sint eventura inquirendo. Alii *ut melius* interpretantur: Quam, vel quanto melius æquo animo ferre quicquid acciderit!

4. *Seu plures hyemes, &c.*) Gratis profecto se discruciant aliqui, ut ostendant vocem, *hyemes*, priori loco poni pro toto anno: posteriori vero

pro

Quæ nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum) sapias; vina liques, & spatio brevi
Spem longam reseces: dum loquimur, fugerit invida
Ætas: carpe diem, quam minimum credula postero.

INTERPRETATIO.

*ve postremam det hanc, quæ modo Etruscum pelagus frangit objectis rupibus: sapiens sis. Vina fundas, ac limite angusto spem longam resciadas. En dum fabulamur, ævum præterit invidum. Ergo, diem hodiernam, sequenti minime confisus, arripe.*

ANNOTATIONES.

pro tempestate hyemali: quandoquidem satis patet quid velit Horatius.

5. *Quæ nunc oppositis, &c.*) Synecd. Idest, quia fluctus Tyrrheni maris hyeme, ut fit, procellis agitati ad rupes alliduntur, *debilitantur*, franguntur. Quidem legunt quâ, & referunt ad vocem, *Jupiter*. Sed vulgata lectio præferenda videtur doctissimis.

*Pumicibus.*) Pumex lapis est spongiosus, asper, foramine multiplici pertusus, cavus, cavernosus, unde ab Ovid. *multicavus*, a Virgil. Æn. 5. v. 214. & 12. v. 587. *latebrosus* dicitur: De isto lapidum genere Plin. lib. 36. cap. 21.

*Mare Tyrrhenum.*) Thuscum, Inferum, quod pars est maris Mediterranei: id vero nominis ei dedit Tyrrhenus Atyos Lydiæ Regis filius, postquam ad vicinas terras cum colonia appulisset, Tusciam nempe, ibique sedem fixisset.

6. *Sapias.*) Explicant nonnulli: si sapias, scilicet utere vitâ, genio indulge, vina bibe quam optima, liquata, &c. Priscian. lib. 18. c. 3.

*Vina liques.*) Vel simpliciter, vina bibas, ac veluti per guttur coles. Vel potius, hilaritatis causa satage ut pares tibi vina sacco percolata, defæcata, dulcia sic effecta, adeoque naturæ & palato muliebri accomodatiora. Veteres nempe mustum priusquam ferbuisset, per saccum toties colabant, ut defæcaretur: atque sic adempta, quæ vini vim alit fugetque, fæce, liquidius, imbecillius, at lenius, dulcius reddebant vinum, potuique jucundius. Hinc vocatur Theophrast. lib. 6. cap. 24. εὐνοῦχος, *castratum*, quod nempe sperteis est saccis colatum. Cæl. Rhodig. lib. 28. cap. 26. *Eunuchum & effeminatum* ex Plutarcho mox citando, *quia percolatio illa vini nervos excidit, ac genuinum restinguit calorem, mollius autem facit ad gulæ curiositatem: hoc veluti sophismate inventa & excogitato, ut perdendo nati vina plurimum valeant ingurgitare*. Plin. lib. 14. cap. 22. *ut plus capiamus vini, sacco frangimus vires: & alia irritamenta excogitantur*. lib. 19. cap. 4. *Fortundum cane fuerit .... inveterari vina, saccisque castrari*: al. *castigari*. l. 23. c. 1. *utilissimum vinum omnibus sacco viribus fractis*. Plutarch. Sympos. sive Convival. quæst. lib. 6. Problem. 7. ait, *excelerera vinum, cum tam crebro diffunditur, esseque ad bibacitatem commentum ejusmodi percolationem; detrahi vino firmitatem relicto blandimento, vi illa quæ mentem sollicitat & infestat ejecta & exclusa; ipsum vero jucundius effici: neque sicut a ferro acumine decusso: sed potius velut rubigine & sordibus detersis. Quippe defæcatio illa vini vim quæ caput tentat, detrahit, atque ad statum redigit mitem & salubrem.*

*Spatio brevi spem longam reseces.*) Quanto brevius est vitæ nostræ spatium, tanto resecandæ spes longæ: minus expectandum, minus fidendum futuro; neque adeo differendum carpere præsentes ludendi occasiones. Ode 4. supra:

*Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.*

7. *Dum loquimur, fugerit invida ætas.*) Legunt alii, *diffugit*. *Invida ætas.* Dum enim sic elabitur & nos quasi fugit, nobis videtur invidere usurem præsentis temporis. Juvenal. Sat. 9. v. 126.

*festinat enim decurrere velox*
*Flosculus angustæ, miseræque brevissima vitæ*
*Portio: dum bibimus, dum serta, unguenta, puellas*
*Poscimus, obrepit non intellecta senectus.*

Pers. Sat. 5.

*Vive memor lethi: fugit hora.*
*Hoc quod loquor inde est.*

8. *Carpe diem.*) Utere præsenti tempore, in diem vive, fruere deliciis & voluptatibus, dum licet & dum vita stat: nihilque tibi pollicere de futuro. Epicurea cohortatio, ut notant vulgo, quæ quidem frequens passim apud Horatium. Vide Sapient. cap. 2. ubi sic impii loquuntur: *fruamur bonis quæ sunt, tanquam in juventute celeriter: pretioso vino & unguentis nos impleamus: non prætereat nos flos temporis: coronemus nos rosis, antequam marcescant.*

Martial.

*fugitivaque gaudia carpe.*

Pers. mox cit. loco.

*carpamus dulcia.*

Multo vero sapientius Seneca ad Lucil. Epist. 62. *Id ago, ut mihi instar totius vitæ sit dies, quisque. Nec mehercule tanquam ultimum rapio: sed illum sic aspicio, tanquam esse vel ultimus possit. Ante senectutem curavi, ut bene viverem: in senectute, ut bene moreror: bene autem mori, est libenter mori.*

## AD AUGUSTUM.

## ODE XII.

*Deos & heroas primum, dein Augustum laudat.*

Quem virum aut heroa lyrâ, vel acri
Tibiâ sumes celebrare, Clio?
Quem Deum? Cujus recinet jocosa
Nomen imago,
Aut in umbrosis Heliconis oris,
Aut super Pindo, gelidove in Hæmo?
Unde vocalem temere insecutæ
Orphea sylvæ,

### INTERPRETATIO.

*O Clio, quem virum, aut heroem, quem Deum incipies laudare cithara, vel acuta fistula? Cujus laudes resonabit similitudo ludicra, seu in regione umbrifera Heliconis, seu in Pindo, seu in Hæmo frigido? Hinc silvæ secutæ sunt canentem Orpheum, matris arte retardan-*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 2.

1. *Quem virum.*) Plena est artis & elegantiarum hæc Ode; artis quidem eo plus habet, quo apparet minus. Elegantias autem, lepores, ac veneres affatim agglomerat. Figuris lucet, varietate distinguitur, rerum, atque verborum copia & pulchritudine dives est: mira insuper suavitate conditur. Fingit Horatius œstro se correptum poetico, dignum ardori huic divino argumentum quærere. Hinc Augusti grave texit elogium ex conglobata veluti artificiosæ comparatione. Quanquam enim Diis, Semideis, ac viris illustribus suas laudes non negat, collineat tamen ac recidit eo tandem, ut Augustum quasi Jovem alterum constituat. Simile adulationis genus in eumdem Augustum habet Virgilius Georgicæ initio, & in fine libri primi. Huc etiam facit quod ex Dione lib. 51. afferunt; nimirum post Actiacam victoriam, decretum a Senatu fuisse, ut in Hymnis solemnibus Augusti mentio fieret honorifica; perinde ac Deorum immortalium. Est igitur Hymnus hic de genere eorum, qui diebus festis ac profestis cani solebant inter epulas, ad tibiam lyramve, teste Horatio lib. 4. Ode 15. Vide ibi Annot.

*Quem virum, aut heroa, &c.*) Contra Pindarus Olymp. Od. 2. *Quem Deum, quem heroa, quem virum celebrabis*, uter melior? Lector erudite judica. Mihi quidem potior videatur gradatio Horatii ab homine ad heroas ac Deos, quam descensus ille Pindari ab immortalibus ad mortales.

*Lyrâ, vel acri tibiâ.*) Lyram cum tibia jungere amabant veteres, illâ dulciori sonum hujus acriorem bene temperante. Alii sic explicant: carmine Lyrico, suavi & moderato, Diis ac heroibus canendis idoneo: vel Epico graviori, sublimiorique bellicis virorum nobilium facinoribus referendis accomodato. Vide Ep. ad Pisones v. 73. & 83.

2. *Clio.*) Hanc e Musis apte invocat, quippe quæ præsit laudationi virorum illustrium; quibus & celebritatem nominis & immortalitatem conferre dicitur, κλείω, *laudo, celebrem reddo*; κλέος & κλεῖος, *fama, nominis splendor*.

Virgil. de Musis:

*Clio gesta canens transactis tempora reddit.*

3. *Cujus recinet jocosa nomen imago.*) Cujus laudes nobis decantatas repetet Echo, quæ est vocis imitatio, adeoque imago dicta quasi imitago. Vide infra, Ode 20. eamdem locutionem, ibi fusius explicatam. Quam tamen auctoritate propria Scaliger pervertit, legens; *vetusta nomen imago*: quo enimvero sensu? Qua autem ratione fiat Echo, sic Plinius exponit lib. 2. cap. 44. *Montium flexus, crebrique vertices, & conflexu cubita, aut anfracta in humeros juga, vallium sinus concavi, scindunt inæqualiter inde resultantem aera: quæ causa etiam voces multis in locis reciprocas facit.*

5. *Umbrosis Heliconis oris, &c.*) Tres montes Apollini Musisque sacros nominat: Heliconem in Bœotia, Pindum in Arcadia, Hæmum in Thracia.

7. *Unde vocalem, &c.*) Ex Hæmo Thracem Orpheum silvæ secutæ sunt dulcedine cantus velut animatæ; *temere*, id est, facile & sine cunctatione; vel confuse, per devia & invia. Nota lippis & tonsoribus fabula. Vide Epist. ad Pisones, vers. 391. *Vocalem*, id est, canorum, vel, voce pariter & lyra canentem.

Digitized by Google

Arte maternâ rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius dicam solitis parentis
Laudibus; qui res hominum, ac deorum,
Qui mare & terras, variisque mundum
Temperat horis?
Unde nil majus generatur ipso;
Nec viget quicquam simile, aut secundum:
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.
Prœliis audax, neque te silebo,
Liber, & sævis inimica virgo
Belluis: nec te metuende certâ,
Phœbe, sagittâ.
Dicam & Alciden, puerosque Ledæ;
Hunc equis, illum superare pugnis

## INTERPRETATIO.

*tem præcipites fluviorum cursus, velocesque ventos, atque suavem auritas quercus trahere chordis sonantibus. Quid vero ante canam, quam præconia consueta patris, qui res mortalium & immortalium, qui mare terrasque & orbem diversis temporibus moderatur? Quare nihil ipso majus oritur: imo neque par quidpiam vel proximum valet. Attamen Pallas obtinuit sequentem gradum. Nec tacebo te, Bacche, certaminibus strenue: neque te, virgo feris crudelibus infesta: neque te, Apollo, telis ineluctabilibus formidande. Canam etiam Herculem, nec non filios Ledæ, alterum equis, alterum pugnis illustrem; quorum sidus candidum ubi primum nau-*

## ANNOTATIONES.

9. *Arte maternâ.*) Musicâ, & suavitate vocis, ad quam formatus a matre Calliope Orpheus.

11. *Blandum & auritas, &c.*) Tam blande canentem, ut arbores duceret, haud secus ac si auritæ & animatæ fuissent illæ.

13. *Quid prius dicam solitis parentis, &c.*) Legunt aliqui, *parentum*: hoc sensu. Quid prius dicam quam eas Jovis laudes, quas majores nostri solent dicere? Alii melius, *parentis*, id est, quid prius aut potius referam, quam notas omnibus ac passim celebrari solitas laudes Jovis omnium *parentis*, qui res æque deorum ac mortalium curat, regit, moderatur?

15. *Variisque mundum temperat horis.*) Variis tempestatibus, vere, æstate, autumno, hyeme: calorem frigore, frigus calore temperat.

17. *Unde nil majus, &c.*) Alii interpretantur, a quo Jove utpote optimo maximo nihil ipso majus gignitur. Alii, *unde*, id est, quapropter.

18. *Simile aut secundum.*) Par & proxime accedens: æque magnum ac potens.

19. *Proximos tamen, &c.*) Non. Marcel. *proximum dicebant veteres non solum adhærens & adjunctum, verum etiam longe remotum, si tamen inter duo discreta nihil medium exstitisset.* Virgil. Æn. 5.

*Proximus huic, longo, sed proximus intervallo*
*Insequitur Salius.*

Tull. in Bruto: *Luc. Philippus Antonio proximus accedebat, sed longo tamen intervallo proximus.* Pallas honores occupat Jovi proximos, quippe nata illius cerebro. Alii volunt spectari ab Horatio, quod in Jovis Capitolini templo cellæ tres erant, quarum media Jovis, dextra Minervæ, sinistra Junonis: unde Pallas ante Junonem poni soleat. Varro 4. de Ling. Lat.

21. *Prœliis audax neque te silebo, Liber.*) Quod curis liberet animum Bacchus Liber dictus: vel quod devictis hostibus se suosque asseruit in libertatem. De bellica ejus virtute ac prœliis vide Diod. Sicul. lib. 5. &c. item infra lib. 2. Od. 19.

22. *Et sævis inimica virgo belluis.*) Diana venatrix, eodem cum Apolline partu edita, Jovis filia, nemorum ac sylvarum Dea, arcu & sagittis feras sectari assueta.

23. *Nec te metuende certâ, Phœbe, sagittâ.*) Arcu enim & sagittis valere, præsertim ob Niobem cum filiis interfectam, semper creditus Apollo. Dictus autem Phœbus, quasi φῶς βίου *lux vitæ*.

25. *Alciden.*) Hercules ita dictus, seu quod esset Alcæi nepos; seu ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, *a robore*.

*Puerosque Ledæ.*) Castorem, & Pollucem, alium equestri, alium pedestri inclytum pugna. Ovid. Fast. 5.

*Tyndaridæ fratres; hic eques, ille pugil.*

Nobilem; quorum simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit saxis agitatus humor;
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax (quod sic voluere) ponto
Unda recumbit.
Romulum post hos prius, an quietum
Pompilî regnum memorem, an superbos
Tarquinî fasces, dubito, an Catonis
Nobile lethum.
Regulum, & Scauros, animæque magnæ

INTERPRETATIO.

*tis illuxit, statim concitata unda scopulis decidit, quiescunt venti, nubila evanescunt, & maris irati subsidunt fluctus, quoniam ita fuisere. Post istos quem potissimum referam ambigo; Romulumne, an tranquillum Numæ Imperium, an Tarquinii regnum potens, an mortem Catonis gloriosam? Certe Regulum & Scauros & Paulum*

ANNOTATIONES.

27. *Quorum simul alba nautis, &c.*) Vide Homeri Hymn. in Dioscuros. Et supra Od. 3. v. 2. ad verba hæc; *lucida sidera*. Ajunt nempe Astrologi auspicatas ac salutares esse stellas geminas; non ita vero solitarias.

29. *Defluit saxis agitatus humor.*) Unda spumans jactata in scopulos & in altum sublata defluit, cum primum faventibus Castore & Polluce tempestas sedatur. Vel, aqua per hyemem gelu concrete & saxis adhærens tum resolvitur ac fluit, cum oriuntur Castor & Pollux, vere nimirum, & ascendente Geminorum sidere. Quidam interpretatur, *defluit*, fluere & agitari desinit aqua maris, ante in rupes illisa per impulsionem ventorum, & concitationem fluctuum.

31. *Quod sic voluere.*) Pro sua potestate, atque benigno favore in navigantes sic jussere placari omnia ante naufragium minitantia. Legunt alii *Dii voluere*, nempe Castor & Pollux; quibus cum placuit, redit serenitas, & maris agitatio plane cessat.

33. *Romulum post hos.*) Post Deos ac Semideos, Romæ Romanique Imperii conditorem in primis celebrare est æquum.

*Quietum Pompili regnum.*) Numam deinde laudat secundum Romanorum Regem, qui mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, Jani templum clausit, novamque civitatem vi & armis conditam, jure ac legibus, moribusque de integro condere aggressus, quieta fecit omnia; & Rempublicam religione justitiaque firmavit. Tit. Liv. lib. 1. cap. 18. & seq. Flor. &c.

34. *Superbos Tarquini fasces.*) Ambitiosam dominationem Tarquinii non Superbi (is enim indignus Hymno celebrari) sed Prisci, qui bello strenuus Imperium Romanum devictis finitimis populis auxit; circo, ludis, fascibus aliisque insignibus decoravit. Flor. lib. 1. cap. 5. Tit. Liv. lib. 1. cap. 35. *Tarquinium Priscum virum cætera egregium secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est.* Quidam non absurde intelligunt Junium Brutum, qui fasces Tarquiniis pulsis ereptos splendide gestavit ac tenuit. Virg. Æneid. 6.

*Vis & Tarquinios Reges, animamque superbam*
*Ultoris Bruti, fascesque videre receptos.*

35. *Catonis nobile lethum.*) De eo Cæsar dixisse fertur: *Invideo morti tuæ, Cato: nam & tu gloriæ meæ invidisti.* Nimirum ille ad Uticam obsessus, Pompejanas partes aspiciens victas propria manu se peremit, postquam bis legisset Platonis librum de anima, moriendum ei, ne Tyrannum videret, ut ait Cicero Offic. 1. Vide Appian. Plutarch. Dion. &c. S. Aug. de Civ. lib. 19. cap. 3. mortem Catonis indignam laude asserit, ut qui Cæsarianæ de Pompejo victoriæ impatientia, violentas sibi manus intulerit.

37. *Regulum.*) Hujus egregia virtus postea fuse laudatur, lib. 3. Ode 5. Vide & Cic. 1. & 3. de Offic. & in Pisonem sic habet: *nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienses resectis palpebris illigatum in machina vigilando necaverunt, supplicio videtur affectus.*

*Scauros.*) Horum familia consulari dignitate illustris, & clara virtus extitit in administranda Republica. Ex illis M. Scaurus a Q. Vario Hispano accusatus est, quod Socios ad arma concitasset. Ita se vero ille constantia plena & gravitate defendisse fertur: Q. Varius Hispanus M. Scaurum Principem Senatus arguit Socios ad arma concitasse: M. Scaurus Princeps Senatus negat: testis nemo: Utri vos, Quirites, credere debetis? Quibus quidem auditis absolutus est. Vide Valer. Maxim. lib. 3. cap. 7. num. 8. Plin. lib. 36. cap. 15. &c.

*Animæque magnæ prodigum Paulum.*) L. Æmilium Paulum, qui nullum periculi genus pro Republica detrectavit: & si non habuisset Col-

Prodigum Paulum, superante Pœno,
Gratus insigni referam Camœnâ,
Fabriciumque.
Hunc, & incomptis Curium capillis
Utilem bello tulit, & Camillum
Sæva paupertas, & avitus apto
Cum lare fundus.
Crescit occulto velut arbor ævo

## INTERPRETATIO.

*generata vita liberalem; victore Carthaginensi; quin & Fabricium beneficii memor celebrabo versibus magnificis. Hunc, & Curium impexis crinibus bello idoneum pariter & Camillum produxit inopia dura, & patrius agellus cum do-*

## ANNOTATIONES.

legam Terentium Varronem, qui plus certaminis cum ipso suo Collega, quam cum Annibale, (ut ait Q. Fab. Maximus apud Liv. lib. 22. cap. 39.) non majori quidem animo, et certe majori felicitate, melioreque exitu ad Cannas pugnasset. Verum, ut est apud eumdem Liv. eod. lib. cap. 45. *ad nobilitandas clade Rom. Cannas urgente fato profecti ... dum altercationibus magis, quam consiliis tempus teritur*, miseræ ibidem cæsi, fusi, fugatique sunt: atque Paulus *unus insons* tam horrendæ *cladis* interiit, ut recte testatus Cn. Lentulus, cit. suo lib. cap. 49.

38. *Superante Pœno.*) Annibal certe nusquam magis insigni de Romanis victoria exsultare potuit: nam plus quadraginta Romanorum millia, præter Socios, octoginta Senatores, aliique viri graves bene multi interciderunt. Vide cætera apud Livium loco cit. &c.

40. *Fabriciumque.*) Hic contra Pyrrhum Regem missus, cum nec ab ipso prius, quarta regni parte promissa, sollicitari potuisset; nec Pyrrhi Medicum veneno regem tollere spondentem audire voluisset, imo perfidum illum catenis vinctum ad suum dominum remisisset: justam hanc ab Rege mirabundo laudem promeruit: *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam Sol a suo cursu averti posset.* Aur. Victor. Alia Fabricii elogia habes e Plutarcho; Cic. 3. de Offic. Gell. l. 1. c. 14. vide & seq. Annot.

42. *Hunc, & incomptis Curium capillis, &c.*) Virtutem paupertate educatam, ac celebrem factam, in tribus summis viris cum Horatio venerare, lector; in Fabricio, in Curio, in Camillo. Hos enimvero *sæva paupertas*, id est, magna frugalitas, tenuis admodum res familiaris; *fundulus*, seu pauca agri jugera sibi ab *avis relicta, cum lare apto*, id est, pariter modico, *bello utiles* fecit. Nimirum victu aspero induti ad laborem, moribus autem integritate ad virtutem omnem formati, egregiam Reipublicæ difficillimis temporibus operam navaverunt: non tam suæ, quam publicæ utilitati studentes: unde & summam laudem consecuti sunt.

*Hunc.*) Nempe C. Fabricium Luscinum, ter Consulem; de quo ante: & Valer. Max. lib. 4. cap. 3. *Is honoribus & auctoritate omni civitati*

*paribus suit major; censu vero par unicuique pauperrimo; decem æris & quinque pondo argenti, servosque totidem sibi missos a Samnitibus, quos universos in clientela habebat, in Samnium remisit: continentiæ suæ beneficio sine pecunia prædives; sine usu familiæ abunde comitatus: quia locupletem illum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare. Ergo domus ejus, ut æris & mancipiis vacua; ita gloria ex his contemptis parta referta fuit, &c.* Vide & ejusdem Valer. lib. 2. cap. 9.

*Curium.*) *Curius Dentatus exactissima norma Romanæ frugalitatis, idemque fortitudinis perfectissimum specimen, Samnitium legatis agresti se scamno assidentem foco, atque ligneo catillo cœnantem (quales epulas apparatus indicia sunt) spectandum præbuit. Ille eorum divitias contempsit: paupertatem ejus Samnites mirati sunt.* Offerentibus aurum respondit: *malle se locupletibus imperare, quam ipsum fieri locupletem: & Curium nec acie vinci, nec pecunia corrumpi posse, &c.* quæ lege apud Val. Max. l. 4. c. 3. Vide & Aurelium Victor. de Viris illustribus: Cic. de Senectute, &c.

*Incomptis Curium capillis.*) Legunt quidam cum Quintiliano lib. 9. c. 3. *intonsis capillis*: scilicet priscis temporibus nondum erant Romæ tonsores: & cultum negligebant maxime bellatores viri. Hoc quidem perinde significatur per vocem *incomptis* sed non illud; quod tamen ab Horatio spectari oportuit: sic Ovid. Fast. 2.

*Hoc apud intonsos nomen habebat avos.*

Et Fast. 4. de Numa:

*His caput intonsum fontana spargitur unda.*

Codices tamen fere omnes habent. *incomptis Curium capillis*: unde ab ea lectione temere discedendum non fuit.

42. *Camillum.*) M. Furius Camillus quinquies Dictator fuit, de Gallis his triumphavit, Romamque jam ab his captam strenue pugnando vindicavit. Ad annos octoginta Reipublicæ semper utilis vixit: hinc pater patriæ, alter Romulus ac urbis conditor meritus appellari. Vide Liv. lib. 5. &c.

45. *Crescit occulte velut arbor ævo fama Marcelli.*) Sicut arbor sensim ac nemine adverten-

te

Fama Marcelli. Micat inter omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanæ pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Cæsaris fatis data: tu secundo
Cæsare regnes.
Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oris
Seras & Indos.

## INTERPRETATIO.

*uo convenienter. Marcelli porro nomen augescit sicut arbor secreta temporis progressu. At cæteros inter splendet astrum Julii, ut Luna inter minores stellas. O fili Saturni Jupiter, humani generis auctor & conservator, commissa tibi est e fatis summi Cæsaris tutela: ergo tu regna primus: Cæsar autem sit e te secundus. Sive is Parthos Italiæ bellum inferentes legitima victoria fractos subegerit; sive Seras Indosque in Orientali plaga domuerit; Te quidem inferior*

## ANNOTATIONES.

ce crescit, occulto ævo, labente clam tempore, progressu mensium, & annorum, ita Marcelli fama in dies augetur ac celebrior evadit. Erasmus hunc locum sic illustrat: *solent præcocia subito flaccescere: sed quod paulatim accrescit, durabile est. Unde Horatius Marcelli famam velut cum vere arborem surgentem celebrat.*

46. *Marcelli.* Quis ille, non plane constat; Alii volunt M. Marcellum Octaviæ Augusti sororis filium, cui in Imperii successorem adoptato suam ille filiam desponderat Juliam. De eo Virgil. Æneid. 6. v. 861. & seq. & Seneca ad Marciam cap. 2. Verum cum is admodum juvenis, sola indole præclara nobilitatus obierit, quo pacto ejus fama crescere in dies ab Horatio dicatur? Itaque malim ego cum aliis intelligere M. Claudium Marcellum, quinquies Consulem, qui Gallos Germanosque debellavit, ipsumque Annibalem invictum antea vinci posse docuit: atque ab eo demum circumventus ac cæsus etiam coli & observari meruit post mortem. Nam & honorifice cremandum Annibal curavit, ejusque cineres urna argentea inclusos & corona aurea decoratos ad ejus filium misit. Plutarch. Tit. Liv. lib. 27. & seq. Virg. Æneid. 6. vers. 855.

*Micat inter omnes Julium sidus.*) Sueton. Jul. cap. 88. ita scribit. *In Deorum numerum relatus est, non ore modo decernentium, sed & persuasione vulgi. Siquidem ludis, quos primo consecratos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam: creditumque est animam esse Cæsaris in cælum recepti: & hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella.* Idem refertur in Epistolis Augusti.

Virgil. Eclog. 9.

*Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.* Vide & Plutarch. Dion. lib. 45. Senec. Quæst. Natural. lib. 7. cap. 17. Plin. lib. 2. cap. 25. ubi Augusti ipsius de crinito illo sidere testimonium refert. Porro cometes ille Christi Servatoris nostri natalem prænuntiasse multo melius creditur.

49. *Gentis humanæ pater, &c.*) Præclare ad Augustum, quo totus tendebat, laudandum venit tandem, per apostrophen ad Jovem, cui divisum cum ipso imperium asserit.

50. *Tibi cura magni Cæsaris fatis data.*) Duo nempe veteribus credita, primum, Reges, Imperatores, Principes in tutela esse Jovis: alterum, fato sic omnia decerni, gubernari, subesse, ut ipsi Dii fati legibus tenerentur.

51. *Tu secundo Cæsare regnes.*) Tu quidem ita supremum rerum omnium dominium habe, o Jupiter, ut Augustus sit a te secundus.

53. *Ille seu Parthos, &c.*) Sueton. August. cap. 21. *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facile cesserunt: & signa militaria quæ M. Crasso & M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt; obsidesque insuper obtulerunt: denique pluribus quondam de regno concertantibus, nonnisi ab ipso electum comprobaverunt.* Vida & infra Od. 19. vers. 12. Annot. Quoniam vero Parthos antea victoriis feroces, Romanisque etiam terribiles jam eo deduxerat Augusti fama, ut ultro virtuti Romanæ observantiam deferrant, hinc hanc ominatur Horatius, justo eos triumpho aliquando profligandos.

55. *Sive subjectos Orientis oris Seras & Indos.*) Sive ille remotissimas nationes subegerit; vel *Seras*, vel *Indos*, de quibus, teste Diodoro Siculo, solus triumphavit Bacchus.

56. *Seras.*) Seres interioris Æthiopiæ sunt populi: sunt etiam ex Orosio citerioris Indiæ: sunt & alii ad ortum extremi ultra Sinas, quorum regio Serica, nunc *Catay*, Metropolis eorum Sera, serico opere celebres: de quibus Strabo, Ptolem. Ferrar. &c. Plin. lib. 6. cap. 17. *Primi sunt hominum qui noscantur Seres lanificio*

Te minor latum reget æquus orbem,
Tu gravi curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis.

## INTERPRETATIO.

*juste gubernabit ille hunc orbem amplum; tu vero tremendo curru Cælum concuties: tu infesta in contaminatos lucos tonitrua vibrabis.*

## ANNOTATIONES.

*cis silvarum nobiles, perfusam aquâ depellentes frondium canitiem.* Ammian. Marcellin. *Seres*, inquit, *armorum expertes ....... nulli finitimorum molesti ... Cæli apud eos jucundo salubrisque temperies; aeris facies munda, ventorum commodissimus flatus; & abunde silvæ sublucidæ, a quibus arborum fetus aquarum aspergininibus crebris; velut quædam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt, nentesque subtegmina conficiunt sericum ad usum antehac nobilium, nunc etiam infimorum sine ulla discretione proficiens. Ipsi præter cæteros frugalissimi, pacatioris vitæ cultores, &c.*

*Indos.* ) Horum regio India Asiæ est ad ortum amplissima ab Indo flovio dicta: Gange fluvio item rigatur, & scinditur media: ab Ortu Sinas habet, a Septentrione Tartariam, ab Occasu Persiam, ab Austro Oceanum Indicum. Parte Septentrionali, inter Gangem & Indum fluvios, continetur hodie Imperium magni Mogolis, in quo numerantur provinciæ triginta septem satis amplæ.

57. *Te minor latum reget æquus orbem, &c.* ) Sensus est: Augustus autem, o Jupiter, sic orbem hunc inferiorem, ita volentibus fatis, reget, ut se gerat semper minorem te, sicut decet & æquum est. Et quamquam laudibus omnium jam effertur; *& virtutis moderationisque fama Indos etiam ac Scythas, auditu modo cognitos, pellexit ad amicitiam suam Populique Romani ultro per legatos petendam*; (ex Sueton. Octav. cap. 21.) quamquam Parthos etiam nominis sui splendore similiter perculit, eorumque ferociam sine armis fregit: attamen ille seu novis in dies triumphis augeatur, seu tot populos sibi subjectos cernat, nunquam tamen animos ultra quam fas est, superbos tollet:

*Latum.* ) Virgil. Æneid. 1.

*His ego nec metas rerum, nec tempora pono.*

Legunt alii *lætum*, nimirum ob *æquitatem* Augusti, qui jus summâ lenitate pariter ac diligentiâ dixisse scribitur Suetonio.

58. *Tu gravi curru quaties Olympum.* Tu in Cælo regnabis, indeque tonitru in hæc infima, cum fueris ad justam provocatus iram, vibrabis. Nempe vulgus opinabatur a *curru* Jovis *cælum quatiente* formari tonitrua, & *mitti fulmina*.

59. *Tu parum castis, &c.* ) Quoniam luci Diis sacri habebantur, hinc si aliquo scelere ac flagitio in iis perpetrato contaminati essent, Jovis excitari credebant furorem, & sacrilegium vindicari, misso fulmine. Unde & satagebant expiare locum, & cæsis hostiis Numinis iram placare.

AD

## AD LYDIAM.

# ODE XIII.

*Zelotypum se pingit Horatius, ac rivalem suum vellicat.*

Cum tu, Lydia, Telephi
 Cervicem roseam, & cerea Telephi
Laudas brachia, væ, meum
 Fervens difficili bile tumet jecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
 Certâ sede manet: humor & in genas
Furtim labitur, arguens
 Quam lentis penitus macerer ignibus.

### INTERPRETATIO.

*O Lydia, quando tu collaudas collum rubicundulum Telephi, & molles lacertos Telephi, væ, meum hepar turgescit acri cholera inflammatum. Tum neque animus mihi, neque color statu firmo constat: Tum etiam lacrymæ clam decidunt in malas, patefacientes quantum intus absumar flammis secretis. Efferoesco, sive*

### ANNOTATIONES.

Ode est dicolos distrophos, ut tertia supra, *Sic te Diva, &c.*

1. *Cum tu, Lydia, Telephi, &c.*) Non caret arte repetitio vocis *Telephi*. Nam & qui amant, numquam satis id loquuntur quod amant: & zelotypo illud idem est intolerabile. Lydia cervicem roseam Telephi, iterumque cerea brachia Telephi laudare gaudet: at Horatio id ciet bilem, doletque quod rivalem suum in ore frequentius habeat. Unde, cum præsentem convellere amorem nequeat, de futura ejus immutatione se consolatur.

2. *Cervicem roseam.*) Pulchram instar rosæ, & fragrantem: vel rosei coloris. Scaliger hic Horatium graviter reprehendit, & *lacteam* dici oportuisse contendit, non *roseam*. Verum quidni adolescens amore fervidus roseâ cervice & rubicundulam celebratus? Virg. Æneid. 2.

*roseâ cervice refulsit.*

*Cerea brachia.*) Mollia, tenera, fortasse etiam candida, politula, nitida, pura, pute, formosa instar imaginum cerearum, quæ sine ossibus, nervis, pelle, pilis. Vid. Non. Marcell. in voce, *putus*.

3. *Væ.*) interjectio dolorem indicans, atque indignationem. Sunt qui legant, *ne*, *mi*, id est, *certe*, *hercle*:

4. *Bile tumet jecur.*) Intumescit fellis receptaculum jecori annexum. In felle iræ, in jecore amor ac libido, in splene risus, in corde sapientia proprie resident. At Horatius modo libidinem in jecore statuit, ut lib. 4. Od. 1.

*Si torrere jecur quæris idoneum*

Alias iracundiam, ut hic: pariter & Juvenalis Sat. 1. v. 45.

*Quid referam quantâ siccum jecur ardeat irâ?*

Secuti videntur Archilocum, χολὴν οὐκ ἔχεις ἐφ᾽ ἥπατι *bilem non habes in hepate*. Apud Athen. lib. 3. cap. 24.

5. *Tunc nec mens mihi, nec color, &c.*) Variis se perturbationibus agitari indicat, pudore, timore, ira. Opportune Macrob. lib. 7. cap. 11. *Natura, cum quid ei occurrit honesto pudore dignum, imum petendo penetrat sanguinem, quo commoto atque diffuso cutis tingitur, unde nascitur rubor ... gaudium extrinsecus contingit. Ad hoc animose natura occurrit festinat, quam sanguis comitando, quasi alacritate integritatis suæ compotem tingit cutem: & inde similis color nascitur. Contra, qui metuunt, pallescunt. Natura enim, cum quid de extrinsecus contingentibus metuit, in altum tota demergitur, sicut nos quoque cum timemus latebras quærimus. Sic natura tota descendens, ut lateat, trahit secum sanguinem. Hoc vero demerso, humor dilutior cuti remanet, & inde pallescit, &c.*

7. *Furtim labitur.*) invito mihi excidunt lacrymæ, propter vim indignationis & zelotypiæ. Hanc describit Tullius Tuscul. 4. n. 18. *ægritudinem ex eo quod alter potiatur eo, quod ipse concupierit.*

8. *Macerer.*) Porphyr. legit, *concremer*.

Digitized by Google

Uror, seu tibi candidos
Turpârunt humeros immodicæ mero
Rixæ; sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbare
Lædentem oscula, quæ Venus
Quintâ parte sui nectaris imbuit.
Felices ter & amplius,
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Divulsus querimoniis,
Supremâ citius solvet amor die.

## INTERPRETATIO

*jurgia ex vino immoderata deformarunt albas tibi scapulas: sive juvenis insaniens memorem cicatricem labellis tuis dente inussit. O si mihi sat auscultes, ne expecta constantem eum fore qui immaniter vulnerat basia suavissima, quibus indulsit Venus quintum sua dulcedinis gradum. O ter & plus beati, quos nectit stabilis conjunctio, nec amor improbis querelis divisus separabit ante diem ultimam.*

## ANNOTATIONES.

9. *Uror seu tibi candidos, &c.*) Dolore gravi afficior, cum video te mihi adamatam vexari crudeliter, atque ictibus laniari ab juvene temulento, & post epotum vinum petulco, sine modo lascivienti, rustice jurganti, imo dure ac barbare te mordicùs tractanti. Horatius nempe ut Lydiam demereatur, suum ei tenerum exponit amorem, qui ejus cruciatus persentiat, illumque opponit sævæ rivalis libidini; qui, ut se expleat, amicæ haud parcit: sicque Telephum in invidiam adducere conatur. Hinc & maligne interpretatur commessationes illas, nec non morsiunculas amatorias, ac velut diras plagas trucesque ac belluinos morsus traducit, ut Lydiam a Telepho quacumque ratione abstrahat.

11. *Sive puer furens, &c.*) Sive Telephus effrænatâ & insolenti abreptus libidine, ac prope furiosus, momordit labia tua, ad relinquendam qualemcumque sui memoriam, in crudeli etiam cicatrice. Cic. act. 7. in Verrem, n. 32. *Metuendum ... ne excitetur Verres, ne denudetur à pectore, ne Populus Romanus aspiciat cicatrices ex mulierum morsu, vestigia libidinis atque nequitiæ.*

13. *Non speres perpetuum.*) Si mihi credis, Lydia, ne perpetuum tui amatorem spera illum fore, qui sic abutitur amore tuo, ut osculando vulnera infligat œstro velut percitus. Nam, ut ajunt, *omne violentum non est durabile.*

16. *Quintâ parte sui nectaris.*) Missa plurium interpretatione in putidis & obscœnis plus æquo sagacium, ego cum paucis sentio, & *oscula quæ Venus quintâ parte sui nectaris imbuit*, intelligo valde fragrantia, nectaris instar suavia. Eo fere modo apud Athen. lib. 2. cap. 2. sub finem, Ibycus, ut significet mel esse dulcissimum, ait, mel nonam esse partem ambrosiæ: id est, habere nonam partem suavitatis, quæ est in ambrosia.

17. *Felices ter, &c.*) Sic denique tentat Horatius expugnare Lydiæ amorem, dicens longe feliciorem eam fore, si se Horatium constenter amaturum præferat Telepho nunc ardenter quidem, sed ad tempus duntaxat amanti.

18. *Malis divulsus querimoniis.*) Bonæ sunt in amore querimoniæ ob absentiam, ob desiderium; malæ verò ob inconstantiam, mutationem, ac fidem fractam.

20. *Supremâ citius solvet, &c.*) Non ante desinam te amare, Lydia, si me ames, quam desiero vivere, inquit Horatius: imo, ut ait ipse in persona Lydiæ, Ode 9. lib. 3.
*Tecum vivere amem, tecum obeam libens.*

ODE

# ODE XIV.

*Non esse redintegrandum civile bellum.*

O navis, referent in mare te novi
Fluctus. O quid agis? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus,
Et malus celeri saucius Africo,
Antennæque gemant? ac sine funibus
Vix durare carinæ

## INTERPRETATIO.

*O navis, novi fluctus in mare te reducent. O quid facis? Firmiter portum tene. Annon cernis quod latus* tuum est *remis destitutum: &* | *malus austro præcipiti labefactus: atque antennæ strident: & vix carina absque rudentibus*

## ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 5.

Non pauca ex Alcæo imitatus est Horatius in hac Ode, quam fere omnes allegoricam agnoscunt totam, ipseque Quintil. lib. 8. cap. 6. In ea certe plurima dicuntur figuris ac tropis involuta, quæ aperte nequaquam dici fas fuisset. Vel Rempublicam, vel Brutum, vel Sextum Pompejum alloquitur, dehortaturque a reparandis civilibus tumultibus, quibus velut novis procellis non nisi ingenti suo malo Respublica concutienda sit.

Porro sic interpretari singula nobis licet. *Navis*, est Respublica Romana: *mare*, civile bellum: *fluctus*, discordiæ ac tumultus: *portus*, pax: *nudum remigio latus*, Cassius cum sinistro cornu cui præerat, militibus cæsis ac fugatis, fractus: *malus Africo saucius*, Magnus Pompejus a Ptolemæo Ægypti Rege nefarie obtruncatus: *antennæ gementes*, Senatores aliique principes Pompeji fatum dolentes: *carinæ sine funibus*, ærarium sine pecunia, quæ nervos belli est: *lintea non integra*, vexilla & legiones dissipatæ: *æquora Cycladas nitentes interfusa*, quæ caveri atque evitari debeant: quorumdam potentium occulta ambitio, invidiaque alienæ gloriæ. Quippe hi sæpe specioso publicæ utilitatis prætextu, rebus suis student: atque ut militaria imperia, dignitates ac magistratus captent, pacem impediunt, turbas fovent, populis illudunt, perniciem civium moliuntur.

1. *Navis*,) Bruti pars intelligi potest, sicut Pompejanæ partes Navi designantur apud Cicer. lib. 2. Epist. 5. & lib. 12. Epist. 25.

*Novi fluctus.*) Primum civile bellum exarsit Cæsarem inter & Magnum Pompejum: alterum inter Augustum Antoniumque, & Cæsaris percussores Cassium & Brutum: tertium inter Sextum Pompejum Magni filium & Augustum: de quibus vide Appian. lib. 4. Plutarch. &c.

2. *O quid agis?*) Nempe Antonio hoste Patriæ judicato litterisque per Senatum datis ad Julii Cæsaris interfectores de recuperanda libertate, quid aliud quam incenditur grave bellum, ac Romanum pessumdatur Imperium?

*Fortiter occupa portum.*) Una salutis ratio est, compone pacem cum Octav. Augusto, cui nisi summam deferes rerum, numquam sine conquiesces. Conjecturam audaciorem quorumdam retundere videtur iste locus. Nec est quod aut Muretus Quintiliano dormitationem ita objiciat, aut Faber Critic. Epist 54. alterque ei adstipulatus sibi plaudant & acclament velut invento Api, exultantes; *Εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν*: enimvero si, quod volunt illi, citra metaphoram aut allegoriam scribat ad eam navim, qua sui amici iratum Augustum metuentes fugere properabant, sique hac Ode secundam ei navigationem apprecatur, non secus ac navi Athenas Virgilium transvehenti, Od. 3: quo sensu diceret hic: *fortiter occupa portum*. Imo vero debuisset inclamare ad immorantes, *solvite protinus*; ad navim autem: *portum hunc cito desere non tutum: statione male fida statim cede, in qua periculosius quam in alto mari versarere.*

5. *Africo.*) Vento Meridionali, de quo Virgil. Æneid. 1. v. 89.

*creberque procellis
Africus.*

6. *Antennæque gemant.*) Fracto navis malo, dependentes ex eo antennæ concidant necesse est: sic & Senatores ac Proceres, qui adhæserant Pompejo, eo quidem sublato gemunt ac dilabuntur. Hi certe alii in alias diffluxere provincias, ex Appiano cit. loc. *antennæ*, trabs in summo navis malo transversa, cui velum alligatur.

Possint imperiosius
Æquor? non tibi sunt integra lintea;
Non Di, quos iterum pressa voces malo:
Quamvis Pontica pinus,
Silvæ filia nobilis,
Jactes & genus, & nomen inutile:
Nil pictis timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites æquora Cycladas.

## INTERPRETATIO.

*valeat sustinere mare violentius? Non adsunt tibi vela salva, neque Numina, quæ invoces rursus ærumnis obruta. Licet Ponti sis pinus, orta e silva celebri, atque originem ostentes, vanamque famam: nauta meticulosus haud confidit pictæ puppi. Tibi prospice, nisi ventis in jocum es destinata. Tu quæ mihi nuper molestum creabas tædium, jam vero desiderium ac sollicitudinem haud modicam, fuge maria Cycladas emicantes interfluentia.*

## ANNOTATIONES.

8. *Imperiosius æquor.*) Virtutem ac fortunam Augusti manifeste præcellentes.

10. *Non Di, quos iterum pressa voces.*) Cum enim fatis destinatum Augusto videatur orbis Imperium, tibi contra fata pugnanti non aderunt aut favebunt Dii. Adde quod *frustra Neptunum invocat qui secundum patitur naufragium.*

*Di.*) Castor & Pollux, Apollo, Minerva, aut quilibet alius, solebat esse & vocari tutela & insigne navis: & sacrarium in puppi collocabatur, vel in prora. *Act. Apost.* cap. 28. scribitur navigare Paulus Alexandrina quadam navi, cujus insigne Dioscuri. Pers. Sat. 6.

*jacet ipse in littore, & una*
*Ingentes de puppe Dei.*

Quidam sic interpretantur locum hunc: *tibi non sunt Dii, quos iterum pressa voces malo:* jam Pompejus occidit, Cassius periit, dicioj illi libertatis vindices: quid tentes ultra?

11. *Quamvis Pontica pinus, &c.*) Sicut adversus tempestatem sævam parum valet nobilitas arborum e quibus compacta est navis, minime quoque picta & ornata puppis: sic a naufragii periculo nequaquam eximit Rempublicam contentionibus laceram, aut ipsius fama quamlibet celebris, aut Ducis exercitus generositas: Hæc enim quid juvant, si præsertim desint prægidie sat firma: ærarium locuples, &c.

12. *Silvæ filia nobilis.*) In Ponti regione multiplex erat silva, egregiaque arbores fabricandis navibus idoneæ.

14. *Nil pictis timidus navita puppibus fidit.*) Ne splendori tui nominis fide, o Respublica Romana, vel origini præclaræ: neque tu, Brute, aut ingenitæ nobilitati, aut propriæ existimationi. Sunt enim hæc vana præsidia ac firmamenta.

*Timidus navita.*) Ne cum Scaligero putes legendum *tumidus*. Est enim *timidus* epitheton nautis semper conveniens, & hic maxime. Sic enim significatur nauta prudenter metuens omnia ab infido mari, ab instabilibus ventis, e repentinis tempestatibus, cum præsertim vehitur navi jam debilitata.

15. *Nisi ventis ludibrium debes.*) A bello desine, nisi vis fortunæ jocantis, aut Martis communis, aut etiam fatorum ludibrium esse.

17. *Nuper sollicitum quæ mihi tædium, &c.*) Militaverat Horatius sub Cassio, & Bruto; postea tamen Augusto victori conciliatus veniam obtinuerat: hæc autem scripsisse fertur post Cassium cæsum, & antequam Brutus adversus Augustum belli aleam experiretur. Ait ergo: O publica salus, quæ tædium mihi tunc præbuisti ob diuturnitatem discordiarum ac militiæ labores; nunc autem sollicitudinem, & curam præstas ob novos tumultus, cur evidens periculum, talesque angustias sponte adis? Vel ad Brutum loquitur: O Brute, qui sollicitum me habuisti de eventu belli, sub tuis signis merentem: nunc autem tui ac libertatis, quam vindicas, desiderio crucias, cum præcisam salutis tuæ spem animo jam concipiam: si mihi credis, ne Augusti partes fortiores lacesse, pone arma, neve tam periculosæ plenus aleæ labores incassum subi: imo conciliandæ pacis consilia & rationes ini. Vide lib. 2. Od. 7. & Epist. 2. lib. 2.

20. *Cyclades.*) Insulæ sunt circiter quinquaginta, in Ægeo mari in cycli prope formam dispositæ; quæ quidem ob frequentes scopulos, & maris angustias adiri, aut circumnavigari vix citra periculum possunt.

# ODE XV.

*Vaticinium de Trojæ excidio.*

Pastor cum traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam,
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata. Malâ ducis avi domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor! Quanta moves funera Dardanæ

## INTERPRETATIO.

*Cum pastor fallax per maria abduceret Helenam hospitam navibus Trojanis; injucunda tranquillitate ventos veloces oppressit Nereus, ut dira præcineret fata, sic: infaustis auspiciis domum ducis eam, quam numeroso exercitu repetet Græcia conspirans tuas dissolvere nuptias, atque antiquum Priami regnum. Eheu, quantus equis, quantus viris sudor inest! Quantas cædes Trojanæ nationi paras! Jam Pallas*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 6.

1. *Pastor cum traheret, &c.*) Sicut apud Bacchilidem Cassandra Paridi Trojam ingredienti, ita hic eidem iter agenti, Helenæque belli facem docenti Nereus vaticinatur quanta ferat mala, adeoque Trojæ ruinam. Antonium Cleopatræ amoribus irretitum exemplo Paridis admoneri ab Horatio non nemo opinatur. Cæterum cuncta fere ex Homero deprompta. Sensus est: Cum Paris Helenam raperet hospitis Menelai uxorem, atque e Sparta Trojam navigaret, Nereus Deus marinus ventos cohibuit, dum perfido illi raptori caneret impendentem cladem, ob violatum jus, & incestas nuptias. Vide Herodot. lib. 2. Eustath. in 6. Iliad.

*Pastor.*) Paris, alio nomine dictus Alexander, expositus in Ida monte, educatusque a Pastore, & ipse aliquandiu pastor, quamquam erat filius Priami Trojanorum Regis & Hecubæ, quæ prægnans facem se ardentem parere somniavit: quo territa & conjectorum impulsa responso exponendum curaverat filium.

*Traheret.*) Per varias regiones, diversaque maria, tandemque in patriam suam Trojam pertraheret.

*Navibus Idæis.*) Fabricatis in Ida Troadis monte.

2. *Helenam perfidus hospitam.*) Paris hospitio receptus apud Menelaum, eo quidem absente in adulterium pellexit abduxitque Helenam ejus uxorem; adjuvante nimirum Venere, quæ formosissimam Paridi spoponderat fœminam, in præmium judicii, quo Junoni & Palladi prælata ab eo fuerat.

3. *Ingrato celeres, &c.*) Quoniam ventorum natura est erumpere & vagari: hinc nihil injucundius ipsis est quam frænari & in otio contineri. Est qui referat ad Paridem, celeriter avehere prædam suam cupientem: cui proinde valde ingrata fuerit ea mora. Sed cum per multas ac diversas regiones Paris Helenam circumduxisse legatur, antequam in Troadem perveheret, non videtur ea posse interpretatio stare.

4. *Ut caneret fera Nereus fata.*) Dum excidium patriæ ac paterni regni prænuntiaret flagitioso Paridi, ventus compressit Nereus, silentiumque imposuit. Quidam contentiose legunt, *Proteus*, eo quod apud Homerum ille de Trojanis rebus vaticinetur: Nereo autem vix id muneris tribuatur. Verum Poetæ quid non licet? Deinde naviganti quis melius vaticinans inducatur quam marinus Deus? Adde quod Apollonius Rhodius Interpres in 4. Argonautic. ex Pherecydis sententia, scribit Nereum coactum respondere velut oraculum. Apollodorus lib. 2. de Nymphis Jovis ac Thetidis filiabus, vatem facit Nereum: & Hesiodus in Theogon. veridicum eum appellat. Maneat ergo Nerei Prosopopœja, & recte posita censeatur.

5. *Malâ ducis avi domum.*) Ex Augurum observatione tracta dictio, id est, malo omine, infelici augurio Helenam ducis, o Pari, tibique assumis & rapis uxorem alienam.

6. *Multo milite.*) Homer. naves Græcorum numerat 1146.

7. *Conjurata.*) In portu Aulidis Græciæ Principes universi jurejurando se adstrinxerunt non discessuros a bello, donec Helena restitueretur, illataque Græcis injuria vindicaretur, eversâ Trojâ.

9. *Quantus equis, quantus, &c.*) Quanta discrimina, quantæ strages ac labores virorum & equorum in decennali bello!

10. *Dardanæ Genti.*) Dardanus Jovis ex Electra filius in Asiam veniens condidit eam gentem, quæ a Troe postea Trojana dicta est. Ab eo ortus Priamus. Virgil. Æneid 8. v. 134.

*Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor, &c.*



Digitized by Google

Genti! Jam galeam Pallas & ægida,
Currusque, & rabiem parat.
Nequicquam Veneris præsidio ferox
Pectes cæsariem: grataque feminis
Imbelli citharâ carmina divides.
Nequicquam thalamo graves
Hastas, & calami spicula Gnossii
Vitabis, strepitumque, & celerem sequi
Ajacem. Tamen, heu, serus adulteros
Crines pulvere collines.
Non Laertiaden, exitium tuæ
Gentis, non Pylium Nestora respicis?

## INTERPRETATIO.

*aptat cassidem & clypeum, & currus, & furorem. Frustra superbus ob Veneris favorem pectes comam? & lyra molli jucundas mulieribus cantilenas distribues. Frustra fugies lanceas nuptiali thoro molestas, & acumen telorum Cretensium, sonitumque, & acrem insequendo Ajacem. Attamen, heu, tarde mœchos capillos pulvere insperges. Nonne vides filium Laertis, nonne Pylium Nestorem populo tuo fatale? Te Su-*

## ANNOTATIONES.

11. *Jam galeam Pallas & ægida.*) Pallas & Juno pro Græcis pugnabant nempe, tum quod manebat alta mente repostum Judicium Paridis, spretæque injuria formæ; tum quia virgo Pallas flagitioso Paridi infensa erat. Porro bellicosæ Palladi sueta aptantur hic arma. Ovid.

*Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.* Virgil. Æneid. 8.

*Ægidaque horrificam turbatæ Palladis arma.* Quem in locum Servius ita scribit: *ægis pectoris est munimentum, habens in medio Gorgonis caput. Quod si in pectore Numinis fuerit, ægis vocatur: si in hominis pectore, ut in antiquis Imperatorum statuis videmus, lorica dicitur.*

12. *Currusque & rabiem.* Bigas & quadrigas bellicas Pallas inveuisse fertur: & apud Homer. e curru, non ex equo pugnari scribitur. *Rabiem*, iram, indignationem, furorem & impetum animi, quæ quidem vix absunt a quocumque bello.

13. *Nequicquam Veneris præsidio ferox, &c.*) Tunc parum juvabit te præsidium Veneris minime bellicosæ, multo minus decebit illa tua venustas & cultus corporis. quæ apud mulieres valent quidem, non ita vero adversus hostem. Vide supra Od. 12. vers. 41. apud Homer. 3. Iliad. idem Paris sic admonetur, objurgaturque. *inutilis erit tibi cithara, ac munera Veneris, & coma, & species, quando humi in pulvere jacebis mixtus.*

15. *Citharâ carmina divides.*) Modulaberis distincte, concinne, ex arte, modo hos, modo istos carpendo nervos: non male ait; melius tamen: modo lyrâ, modo voce alternatim canendo: at optime alii interpretantur, mulierosum Paridem modo huic, modo illi fœminæ gratificari, ac suam cuique cantilenam dispertire. Sic infra Od. 36. *dividere oscula*, est singulis dare oscula.

*Imbelli citharâ.*) Hac quidem utiebat Paris, sed quam bellicoso viro parum conveniret, ostendit Alexander ille Magnus, cum Paridis sprevit citharam, Achillis optavit. Illâ videlicet amores ac nugæ, hac heroum laudes celebrantur Plutarch.

16. *Nequicquam thalamo graves hastas, &c.*) Licet initio amori ac nuptialibus jocis vaces, at tandem ad arma concurrendum erit, & seras licet pœnas exsolves, cum humi prostratus in pulvere volutaberis, traherisque a victore hoste crinibus illis, adulterii incentivis.

17. *Gnossii.*) Gnossus urbs Cretæ, cujus populi sagittas emittendi arte pollebant. Adde quod, ex Plinio, abundat Creta cannis gravioribus ad faciendas sagittas aptissimis. Porro inter Proceres Græcos erat Idomeneus Cretensium dux, Merionis comes.

18. *Celerem sequi Ajacem.*) Pedum celeritate Ajax clarus, ut eum insequentem evaderet nemo. Verum Oileusne, an Telamonius? Hic certe, si Dareti Phrygio fides, Paridem persequi & occidere legitur.

19. *Serus adulteros crines pulvere collines.*) Quamvis effugias aliquandiu, non tamen poteris semper declinare pugnam & congressum, in quo cum vel prostratus vel occisus fueris, pulvere tandem fœdabuntur crines illi tui tanto studio calamistrati, & unguentis delibuti, quibus Helena in amorem, & hinc in adulterii facinus abs te pertracta est. Vel simpliciter, crines illos tuos oportebit tandem bellico pulvere aspergi & illini, quos unguentis dumtaxat antea illinire satagebas. Sunt enim qui affirment Paridem Ajacemque Oileum concertantes mutuis occubuisse vulneribus; alii volunt Paridem postquam Achillem interemisset, a Pyrrho, alii autem, a Philoctete interfectum.

21. *Laertiadem.*) Ulyssem filium Laertis, Ithacæ & Dulichii Insularum Regem, prudentia solertiaque super æthera notum. *Exitium tuæ gentis*: nempe qui detexit ipse atque ad Trojanum bellum adduxit Achillem, sine quo ex fatis capi Troja non potuisset.

22. *Pylium Nestora.*) Hic sapientia & vitæ diu-

Urgent impavidi te Salaminius
Teucerque, & Sthenelus sciens
Pugnæ, sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionem quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydeides melior patre:
Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu,
Non hoc pollicitus tuæ:
Iracunda diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum classis Achillei,
Post certas hyemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

## INTERPRETATIO.

*laminius Teucer, te Sthenelus belli gnarus, ac si oportet equos regere, ductor haud segnis, intrepidi persequuntur. Senties etiam Merionem. En ardet incurrere in te impavidus Tydei filius genitore fortior. Hunc tu, velut cervus aspectum in adversa vallis regione lupum, herbarum oblitus, fugies effeminatus, graviter anhelans: quod quidem tuæ nequaquam promisisti. Indignata classis Achillis Trojæ Trojanisque feminis fatale tempus differet: at post aliquot annos ignis Græcorum Trojanas ædes incendet.*

## ANNOTATIONES.

diuturnitate inclytos, apud Pylum Peloponnesi oppidum educatus, jam senior cum aliis Græciæ Proceribus convenit ad expeditionem Trojanam. De eo fertur Agamemnon dixisse: brevi expugnandum Ilium, si decem Nestores adfuissent.

23. *Salaminius Teucer.* ) Ajacis ille frater; vide supra, Od. 7. v. 27. & seq.

24. *Sthenelus.*) Vir pugnacissimus, comes Diomedis, unus eorum qui equo se Trojano abdiderunt.

26. *Merionem quoque nosces.* ) Tuo quidem malo cognosces & experiere virtutem, iram, acresque animos Merionis. Hic patruelis erat Idomenei Cretensium Ducis. De eo supra, Od. 6. v. 15.

28. *Tydides melior patre.* ) Supra Od. 6. *Tydidem superis parem* vocat Horatius, sane quia Iliad. 5. dicitur Martem ac Venerem in prœlio vulnerasse. Unde ibid. Homerus ejus ferociam comparat flumini omnia subvertenti, ac leoni vulnerato. Non mirum ergo, si hic Tydeo patre, quanquam bono & forti, melior tamen ac fortior Diomedes nuncupetur.

31. *Sublimi fugies mollis anhelitu.* ) Ferocem illum Diomedem patre meliorem ac superis parem fugies, tam graviter anhelans, præ metu & pavore, quam cervus lupum aspiciens. Mecum vero, lector, mirare, quo ducat carpendi cacoethes. En Scaliger *ex toto Galeno*, inquit, *non intelligo quid sit sublimis anhelitus*. Verum enim sine Medicæ scientiæ aut Medicorum ope, bene intelligitur copiose, & ex alto pectore anhelare cervus, vel potius, elato & sublimi, ut fit, capite fugiens, ore quoque sublimem anhelitum ac spiritum efflare.

32. *Non hoc pollicitus tuæ.* ) Intrepidum te nimirum jactaveras, o Pari, Helenæ per illicitos amores *tuæ*, & Menelao totique Græciæ parem te unum ostentaras. At facile est apud amasiam gloriari: non ita apud Græcos raptam perfide, & ultionem justam *multo milite repetentes*. Ovid. Epist. Paridis ad Helenam:

*Finge tamen, si vis, ingens consurgere bellum?*
*Et mihi sunt vires: & mea tela nocent.*
*Nec plus Atrides animi Menelaus habebit,*
*Quam Paris, aut armis anteferendus erit.*

Et quidem provocatus a Menelao Paris ad singulare certamen, vixque tandem congressus, nisi ope Veneris subtractus esset, certe victus occubuisset, ex Homer. Iliad. 3. unde ibid. Helena inducitur suam Paridi exprobrans ignaviam, & Menelai, quem prius ille contempserat, virtutem experto insultans.

33. *Iracunda diem proferet Ilio, &c.* ) Achilles ob ereptam sibi Briseidem iratus a pugna & bello suam classem continens Trojæ quidem fatum aliquandiu retardabit, diemque Trojæ ac Trojanis ultimam differet: at ubi Patroclum audiet ab Hectore peremptum, tum ad arma, & amici vindictam convolabit, nec ponet iram donec Hectorem Iliensium defensorem unicum prosternat. Virgil. Æneid. 2.

*Venit summa dies, & ineluctabile tempus*
*Dardaniæ: fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens*
*Gloriam Teucrorum, &c.*

34. *Phrygum.* ) Phrygia Asiæ minoris regio, cujus pars est Troas, ac metropolis Troja.

*Achillei.* ) Achilles fortissimus Græcorum, vel suo nomine apud omnes famosus.

35. *Post certas hyemes.* ) Post certum annorum spatium a fatis decretum. Chalcas augur e passerum numero, post annos decem Trojam expugnandam diruendamque prædixerat.

*Uret Achaicus ignis Iliacas domos.* ). Achaia Græciæ pars. Synecdoche. Quidam legunt: *Pergameas domos.*

ODE

Digitized by Google

# ODE XVI.

## *PALINODIA AD AMATAM PUELLAM.*

O matre pulcrâ filia pulcrior,
Quem criminosis cumque voles modum
Pones iambis: sive flammâ,
Sive mari libet Adriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
Mentem Sacerdotum incola Pythius,
Non Liber æque, non acutâ
Sic geminant Corybantes æra,

### INTERPRETATIO.

*O formosa genitrice nata formosior, quem libuerit finem dabis injuriosis Iambis, seu igne, seu mari placet Adriatico. Nec Cybele, nec Apollo inhabitator animum sacrificulorum in sacrariis ita commovet, nec Bacchus, neque Corybantes tam crebro pulsant cymbala acuta, sic*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. supra.

Quæcunque valent ad placandam iram, hæc adhibet Horatius ad mitigandum offensæ puellæ animum. Scripserat olim Iambos aut adversus ipsam, aut contra matrem ipsius. Jam volens redire in gratiam cum ea quam deperibat, 1. fatetur se peccasse: 2. non per contemptum se fecisse quidquam, sed per iram, asserit: 3. vindictam offert. Porro quæ sit, quæque vocetur amica illa non constat. Gratidiæ nomen reperitur in quibusdam codicibus inscriptum. Alii volunt hanc esse Tyndaridem illam, ad quam Ode sequens nuncupata est.

1. *O matre pulcrâ filia pulcrior.*) Ajunt quidam scriptum dicaciter ante ab Horatio fuisse:
*O matre turpi filia turpior.*
Quicquid sit: jam laudat egregie puellam, sciens nihil fere mulieri jucundius esse, quam formâ & pulchritudine commendari. Imitatio vero est Stesichori, qui cum Helenam quamdam Siculam iambis proscidisset, Apollinis oraculo primus Palinodiam canens, oculorum usum, quem amiserat, recepit.

2. *Quem criminosis cumque, &c.*) Criminis se reum, pœnamque subire quamlibet se paratum professus, ejusque, quam læsit, arbitrio cuncta permittit.

3. *Iambis.*) Sunt enim Iambici versus ad maledicendum aptissimi. *Sicut Iambus ex brevi & longa constat; ita contumelia ex parvis initiis ad magna procedit:* Suidas. ἰαμβίζειν Græcis, est *maledictis insectari*. Horat. ad Pisones:
*Archilochum proprio rabies armavit Iambo.*
*Sive flammâ, sive mari libet.*) Ipse suum carmen maledicum damnat igni, vel aqua, ut placuerit. Tibull. lib. 1. Eleg. 9.
*Illa velim rapidâ Vulcanus carmina flammâ*
*Torreat; & liquidâ deleat amnis aquâ.*

4. *Adriano.*) Synecdoch. pro quolibet mari.

5. *Non Dindymene, &c.*) Iræ describit vim & impotentiam, in eamque culpam omnem suam transferre satagit, ut odium & contemptum, quo gravius nihil ad offensam, omnino abfuisse comprobet.

*Dindymene.*) A Phrygiæ monte Dindymo dicta Cybele, cujus ibi sacra peragebantur, Sacerdotesque furore perciti membra sibi incidebant.

*Non adytis quatit, &c.*) Conglobatâ comparatione iræ vehementiam exaggerat. Nec Cybele, inquit, suos sacrificulos, nec Apollo Phœbades oracula responsaque edituras, nec Bacchus Mænadas & Bacchantes in Orgiis tanto furore implent, quanto irritatus amor amantem.

6. *Incola Pythius.*) Apollo Delphos, quæ urbs etiam Pytho dicta, incolens, ibique præcipue cultus & celebris: vel ita dictus a Pithone serpente interfecto. De quo vide Macrob. lib. 1. Saturn. c. 17. Cœl. Rhodig. lib. 16. c. 19. Alex. ab Alex. l. 6. c. 2. *Incola*, insessor, invadens & afflatus mentem Pythiæ tripodi insistentis, in adytis ac penetralibus templi, ut extra se rapta jamque enthea, divina loquatur.

7. *Non Liber æque.*) De Bacchanalium origine, insania, abrogatione, vide Tit. Liv. lib. 39. cap. 8. & seq.

*Non acuta sic geminant Corybantes æra.*) Neque tam crebris ictibus pulsant Corybantes ærea cymbala, cum furiosi discurrunt, quam ira mentem variis motibus concutit. *Corybantes* Rheæ sacrificuli, iidem qui Curetes, ex Strabone lib. 10. & Lucret. lib. 2. dicti vel a κόρυς *galea*, vel a κερύττειν, *cornibus peto*; item *caput jacto*: vel a κρύβειν, vel κουρίζειν, quoniam adjuverunt Rheam in abscondendo partu. Vel a κρούειν *pulsare*, & strepitum ac sonitum reddere: quoniam ex Lucret. cit. *pulsabant æribus æra*, & ex Apollod. lib. 1. τοῖς δόρασι τὰς ἀσπίδας συνέκρουον *hastis clypeos percutiebant*: sic nimirum *Jovis illum vagitum in Creta quondam occultasse feruntur, ne Saturnus eum malis mandaret adeptus.* Lucret. cit. & paulo ante.
*Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum*
Con-

Triſtes ut iræ: quas neque Noricus
Deterret enſis, nec mare naufragum,
Nec ſævus ignis, nec tremendo
Jupiter ipſe ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Deſectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.
Iræ Thyeſten exitio gravi
Stravere: & altis urbibus ultimæ
Stetere cauſæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris

## INTERPRETATIO.

*ut mœsta indignatio: quam nec gladius ex Illyrio cohibet, nec mare naufragiis infestum, nec dira flamma, nec ipse Jupiter horrisono fragore. Dicitur Prometheus primario luto obstrictus adjungere portionem hinc & inde decerptam, pectori nostro indidisse vehementiam furentis leonis. Iracundia Thyestem perdidit execranda strage; atque extremas præbuit causas maximis civitatibus, ut prorsus diruerentur; ac mœnibus*

## ANNOTATIONES.

*Concava, rauciſonoque minantur cornua cantu.*
*Et Phrygio stimulant numero cava tibia mentes,*
*Telaque præportant violenti signa furoris.*

Omnes autem a Græco origines parum satisfaciunt, & longe petitæ ac perperam confictæ videntur. Magis certe ad rem est quod refert Diod. Sicul. lib. 6. cap. 11. Corybantas dictos a Cybeles filio Corybanto, qui sacra Matris Deûm in Phrygiam detulit; quique abs se nominavit eos qui Matris sacrificiis incumbebant.

9. *Tristes ut iræ.*) Nihil æque violentum est ut iratus amor ac tristis quod se sperni sentiat, aliumque præferri: tunc extrema quæque meditatur, atque etiam tentat ac molitur sæpius.

*Neque Noricus deterret ensis.*) Pergit ostendere iræ pertinaciam, quam nec frangit armorum aut mortis horror; nec ignium aut Jovis ipsius tonantis fragor ac metus. *Noricus ensis*, optimi scilicet enses fabricantur in ea regione Illyrici. Plin. lib. 34. cap. 14. *Alibi ferro bonitatem præstat factura*, v. g. aqua, *cui subinde candens immergatur: at in Noricis vena ipsa bonitatem præbet.*

10. *Nec mare naufragum, &c.*) Sic qui ad ultionem parandam, vel ad quærendum quod vehementer amat contendit, per maris discrimina quælibet, per tela, per ignes intrepidus, ac cæco velut impetu rapitur & properat: nec ulla unquam reverentia, nec pavore tonitruorum ac fulminum retardatur aut deterretur.

13. *Fertur Prometheus, &c.*) Amplificatio est per amœnam causæ disquisitionem; unde nempe homini sic dominetur ira? Fabellamque confingit, vel intexit de Prometheo, qui formans hominem varias ei indiderit affectiones diversis ex animantibus depromptas, ut vulpis astutiam, leonis iracundiam ferventemque bilem, &c. *Coactus*, quia cum in fingendis brutis omnes naturæ facultates abrumpsisset, coactus est demum e singulis aliquid decerpere, quod homini daret. Vide Fulgent. Mytholog. lib. 3. cap. de Peleo.

*Principi limo.*) Homini, qui licet ex argilla & limo non secus ac cætera animantia conflatos, in ea tamen principatum obtinet. Vide Lucret. lib. 5. Diodor. Sicul. lib. 1. cap. 1. &c.

17. *Iræ Thyesten, &c.*) Effectus iræ persequitur. De Thyeste atque Atreo fratribus tam infanda in se se invicem perpetrantibus, ut Sol aversatus retro conversus sit, omnibus auditum: & jam dictum est, Od. 6. v. 8. ad *sævam Pelopis domum*, quæ quidem per iram perdita & consumpta interiit *exitio gravi:* seu cum Thyestes appositum ab Atreo filium devoravit; seu cum ob vitiatam uxorem Atreus execranda illa ratione ultionem petiit, &c.

18. *Altis urbibus ultimæ stetere causæ, cur perirent funditus.*) Interdum urbes expugnantur non odio, sed quadam eas tenendi cupiditate: ac cum ira facit ut capiantur, tum ultimi quoque fit ansa excidii, impellitque ad eas a fundamentis diruendas, ne quod vestigium supersit civitatis.

20. *Imprimeretque muris hostile aratrum, &c.*) Per iram victor hostis non solum urbes aliquando demolitur, sed & excisis mœnibus ædibusque universis, solum arat; *imprimitque aratrum* iis locis, in quibus erant *muri* antea, arces, ædesque. Hinc illud:

*Et seges est ubi Troja fuit.*

Manilius lib. 4. ejus, qui sub ortum caudæ Scorpii fuerit natus, gravem iram & victoriam ita præsagit:

*Aut sternet positas urbes, inque arva reducet*
*Oppida, & in demibus maturas reddet aristas.*

Socrates Ecclesiast. Histor. lib. 4. cap. 31. de Valente Imperatore Constantinopolitanis irato, refert minatum esse civitati vastitatem, adeoque

apa-

Digitized by Google

Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce mentem: me quoque pectoris
Tentavit in dulci juventâ
Fervor, & in celeres iambos
Misit furentem; nunc ego mitibus
Mutare quæro tristia, dum mihi
Fias recantatis amica
Opprobriis, animumque reddas.

INTERPRETATIO.

*infestum aratrum applicaret superbus exercitus. Animum reprime. Me etiam impulit cordis ardor in amœna juventute, atque ad citos Iambos iracundum adegit: Jam vero cupio vertere dira suavibus; modo retractatis conviciis, mihi fias propitia, atque benevolentiam repares.*

ANNOTATIONES.

ἄροτρον βαλεῖν κατ' αὐτήν: *aratrum in eam immissurum*. Seneca de Clementia l. 1. cap. 26. *inserere tectis ignem*, inquit, *aratrum vetustis urbibus inducere, potentiam putat*. Quem in locum J. Lipsius citat Horatii locum, quem explicamus, aitque: mos erat ista in avertendis olim urbibus: & sicut aratro condebantur, ita aratro pariter significabant exscindi: affert quoque Modestinum Jurisconsult. *Si ususfructus civitati legatus sit, & aratrum in eam inducitur, civitas esse desinit: ut passa est Carthago; ideoque quasi morte desinit habere usumfructum*. Vide Isidor. lib. 15. cap. 11. Cœl. Rhodig. lib. 26. cap. 5. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 14. ubi non ædificandis modo urbibus, sed & funditus evertandis aratrum induci ait, quasi segetes ibi mox futuras denotaretur. Imo quandoque tantum est odium, tantus ulciscendi appetitus, ut versa aratro terra sale inspergatur, ad eam sterilitati damnandam. Quod egregia suo more explicans S. Hieron. in Matth. cap. 5. *Legimus*, inquit, *in scripturis urbes quasdam ira victorum sale seminatas, ut nullum in ipsis germen oriretur*. Scilicet Judic. lib. cap. 9. Abimelec Sichimitarum maledictis exacerbatus eorum *urbem cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipsaque destructâ, ita ut sal in ea dispergeret*.

22. *Compesce mentem.* ) Quandoquidem igitur tam ferox & impotens ira est, ut ad ultima quæque præter jus & fas adigat; quæso obtestorque, ne ei indulgeas; sed *tempera mentem iracundam*. Nam & ego male me ipsi indulsisse jam agnosco. Unde & *mutare quæro*. Juveniliter in culpam lapsus sum: nunc ætate factus sapientior, errati veniam peto.

*Me quoque pectoris, &c.* ). Ex dictis infert Horatius idem fere quod habet Cicero ad Attic. lib. 1. Epist. 14. *Si quidem ita statueris, & irritabiles animos esse optimorum sæpe hominum, & eosdem placabiles; & esse hanc agilitatem (ut ita dicam) mollitiemque naturæ plerumque bonitati: &, id quod caput est, nobis inter nos nostra sive incommoda, sive vitia, sive injurias esse tolerandas: facile hæc, quemadmodum spero, mitigabuntur. Quod ego ut facias te oro, qui te unice diligo; &c.*

23. *In dulci juventâ.* ) Quo voluptatum avidior est juvenis, eo est irritabilior, si negentur ea ad quas anhelat, vehementiusque ad ulciscendum fertur. Id sibi contigisse Horatius fatetur, atque iambos ita scripsisse mordaces quidem, dum non alia suppeteret ratio sedandi animum amore & irâ *furentem*. At nunc laudes & encomia se scripturum pollicetur, ut quasi deleat quæ tristia prius & acerba scripserat. Nam quod ait lib. 3. Od. 14.

*Lenit albescens animos capillus*
*Litium & rixæ cupidos protervæ.*
*Non ego hoc ferrem calidus juventâ,*
*Consule Planco.*

24. *Celeres Iambos.* ) *Pes citus*, ad Pisones ait quod facile incurrit, seu propter frequentes syllabas breves in puris Iambicis.

26. *Dum mihi fias recantatis amica, &c.* ). Dum, id est, modo tu quoque desinas me lacerare conviciis & dictis probrosis. Vel potius, *dum*, id est, donec mihi desinas esse inimica, cum me videris palinodiam canere: donec igitur mihi priora opprobria recantanti, ac mitibus tristia mutanti fias amica, non cessabo tibi supplicare, mitia scribere, atque omni ratione animum tuum demereri.

28. *Animumque reddas.* ) Hinc videtur significare Horatius, exstitisse quandam olim amicitiam quam valit reparari: proindeque non matrem puellæ istius, sed ipsam puellam Iambis & dicteriis abalienatam intelligere oporteret.

ODE.

# ODE XVII.

*Tyndaridem invitat in villam suam, ejus ostentans amœnitatem & commoda.*

Velox amœnum sæpe Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus: & igneam
Defendit æstatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos.
Impune tutum per nemus arbutos
Quærunt latentes, & thyma deviæ
Olentis uxores mariti:
Nec virides metuunt colubros,
Nec Martiales hœdilia lupos:

## INTERPRETATIO.

*Celer Faunus Lycæum frequenter commutat Lucretili jucundo; caprasque meas tuetur semper ab æstate fervida, ventisque imbriferis. Fœmina masculi fœtentis, citra periculum errantes per silvam, secure investigant arbutas occultas ac thymum: capri vero non timent lupos Martios, neque colubras virides: quomodocumque, o*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9.

Non vulgaria dictionum ornamenta continet hæc Ode: ea, lector, collige. *Igneam æstatem defendit capellis, pluviosque ventos. Olentis uxores mariti. Martiales lupi. Utilia cubantis saxa Læviæ. Benigno cornu manabit opulenta copia ruris honorum. Reducta vallis. Fides Teia. Laborantes in uno. Lesbiam innocens. Incontinentes manus. Male dispar. Immerita vestis, &c.*

1. *Velox.* ) Fauni agrestes Dii, cursu saltuque agiles, proindeque caprinis pedibus finguntur.

*Lucretilem mutat Lycæo Faunus.* Hipallage, pro, *Lycæum mutat Lucretili*, Sabinorum monte, ad cujus declive sita erat Horatii villa & fundus, de quo ipse initio Epistolæ 16. lib. 1. Hujus vero tantam asserit amœnitatem, ut eo sæpius immigraret Faunus, seu Pan Deus Pastorum, relicto quidem Lycæo Arcadiæ monte sibi sacro: ejus porro Numinis præsentiâ quicquid noxium est propulsari.

2. *Igneam defendit æstatem capellis, &c.* ) Æstum arcet a gregibus, pestiferasque tempestates. Columell. lib. 7. cap. 6. *capellis nocet æstus, sed magis frigus.* Ventum etiam cum tepore humidum (qualis Notus) animantibus quibuslibet autumno præsertim, esse pestiferum nemo nescit. Virgil. Eclog. 7.

*Solstitium pecori defendite.*

5. *Arbutos quærunt latentes & thyma.* ) Grata sibi pabula. Plin. lib. 12. cap. 17. *frutices odoratas appeti* quærique a capellis, testatur Virgil. Eclog. 3.

*Dulce satis humor, depulsis arbutus hædis.*

Georg. 3. v. 300.

*Jubeo frondentia capris*
*Arbuta sufficere.*

Arbutus, vernacule *arbousier*, pridem fuit in deliciis, quod ἀείφυλλος; frondes lauro, fructus cerasis non absimiles. Vide Columell. cit.

7. *Olentis uxores mariti.* ) Capræ caprique gravem emittunt odorem. Unde & proverb. *hircum olet.* Virg. Eclog. 7.

*Dum teneras defendo à frigore myrtos,*
*Vir gregis ipse caper deerraverat.*

9. *Nec Martiales hædilia lupos.* ) Martis in tutela dicuntur esse lupi, utpote rapaces ac violenti deprædatores.

Virgil. Æn. 9. v. 566.

*Agnum Martius à stabulis rapuit lupus.*

Alludit forte Poeta ad id quod ajunt templum fuisse in Parthenio Arcadiæ monte sacrum Fauno seu Pani, quod asylum erat pecudibus insequentes leones ac lupos fugientibus, qui quidem eo adire non audebant.

*Hœdilia.* ) Magna de ea voce contentio. Quidam legunt *hæduli*. Nam, inquiunt, ab *hædus hædulus & hæduleus*; sicut ab *hinnus*, *hinnulus*, & *hinnuleus*. Alii *hæduliæ*, vel *hædiliæ*, ex membranis non paucis: sicut enim *hædile*, *is*; sic & *hædilia*, *æ*, dicitur. Ego ex Lambini Muretique placito, nihil censeo mutandum in vulgata lectione; ut pes sic Ionicus pro Choriambo certe ἐνδέχεται. Itaque de metro non amplius solliciti, dicamus, *hœdilia*, hœdorum septa vel stabula, synecdochicôs poni pro hœdis.

Digitized by Google

Utcunque dulci, Tyndari, fistulâ
Valles, & Usticæ cubantis
Lævia personuere saxa.
Dii me tuentur: Diis pietas mea,
Et Musa cordi est. Hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.
Hîc in reducta valle, Caniculæ
Vitabis æstus, & fide Teiâ
Dices laborantes in uno
Penelopen; vitreamque Circen.
Hîc innocentis pocula Lesbii

INTERPRETATIO.

*Tyndari, suavi ejus tibiâ resonuere valles, rupesque haud asperæ* montis *Usticæ declivis. Numina me protegunt. Pietas mea, Poesisque placet Numinibus. Illinc tibi liberali cornu fluet affatim dives abundantia opum agrestium. Ibi profunda in convalle fugies ardorem Caniculæ; chordâque Teiâ cantabis Penelopen & Circem fulgidam pro eodem sollicitas. Illic innoxii Lesbii*

ANNOTATIONES.

10. *Utcunque dulci, &c.*) Greges securi pascontur, *utcunque*, ubicunque, quandocumque, simul atque suam inflat fistulam Pan seu Faunus, qui ex Virg. Eclog. 2.

*Primus calamos cerâ conjungere plures*
*Instituit: Pan curat oves oviumque magistros.*

Hinc vero potestatem ac præsidium Numinis ostendit, quod vel levis ejus fistulæ sonus fugat & avertit noxia quæque, & securitatem præbet.

*Tyndari.*) Hanc esse eamdem quidam volunt, quam in Epodis Canidiam vocat, & salse proscindit, Gratidiam autem in Odæ præcedentis inscriptione plerisque in codicibus appellat, nimirum ut offensam mitiget; nunc vero sibi reconciliatam, in formæ commendationem Tyndaridem nuncupat, quasi Helenam alteram ob pulchritudinem, atque invitat ad rusticationem ac delicias apud suum in Sabinis fundum, ad montem Lucretilem.

11. *Usticæ cubantis.*) Ustica mons in Sabinis leniter declinans hominis instar decumbentis.

13. *Dii me tuentur.*) Quasi sibi ipse applaudens infert: sic me tuentur Dii, quorum laudes versibus meis pie celebro, ipsis non ingratas. Contra vero, si quis Numinum cultor non fuerit, hunc *insignem* licet *attenuat Deus*. Ut scribit Ode 34. hujus libri.

14. *Hinc tibi copia manabit, &c.*) Ex amœna hac villa mea, cum adfueris, o dilecta Tyndaris, colliges frugum omnis generis copiam. Hi sunt enim *ruris honores*.

16 *Cornu.*) Alludit ad copiæ, vel Amaltheæ cornu fabulosum. Scilicet Hercules, inquiunt, detractum victo Acheloo cornu fortunæ dedit, e quo illa bonorum omnium abundantiam promit ac elargitur. Porro ex Eustath. in Perieges. Dionys. Amalthea fuit vetula quædam avara mercatrix, quæ nummos bene multos ingesserat in cornu: quod Hercules adeptus in voluptates ac genium liberaliter profudit. Hinc vero fabulæ & commenta vulgi.

17. *Caniculæ vitabis æstus.*) Noxios ardores vitabis sideris istius, ex opinione vulgi; non enim ortus Caniculæ æstum facit, sed Sol Leoni junctus, nempe sub finem Julii, ad usque Augusti diem 23. Dies Caniculares vulgo, indeque morbi frequentes & acerrimi. Vide plura infra, lib. 3. Od. 13. & 29.

18. *Fide Teiâ dices laborantes in uno, &c.*) Cantabis Lyricos versus & amatorios ad modum Anacreontis oriundi ex urbe Teio in Paphlagonia, apud Asiam Minorem. Vide lib. 4. Od. 9. & Epod. 14. *Dices laborantes in uno*, recitabis carmen de amoribus Penelopes uxoris, & Circes amicæ, famosæ illius veneficæ, erga unum & eumdem Ulyssem. *Laborantes*, amore tabescentes, amore certantes. Vide Lyl. Gyrald.

20. *Vitreamque Circen.*) Instar vitri nitidam, splendentem, decoram, speciosam.

21. *Hic innocentis pocula Lesbii.*) Epulaberis etiam hilariter & jucunde: bibes nempe vinum innocuum, e Lesbo Ægæi maris insula, hodie *Metelino*; ob tenuitatem non lædens, nec tentans caput, nec pectus inflammans, nec adeo impellens ad rixas: quapropter *non confundet cum Marte Bacchus prælia*. Vinum saccatum hic aliqui comminiscuntur, quod sit magis ad mulieris salivam ac palatum. Sed quid opus? cum tale sit per se Lesbium, quo *nullum potu suavius: cui ἀτιμίαν impertivit Bacchus*, id est, *immunitatem ac innocentiam*; quod νεκταρέσταγῆ, *manans nectare, ambrosiæque propius quam vino*, veteres illi passim vocarunt, apud Athenæum lib. 1. cap. 22. & 23. Vide, si vacat, apud Gell. lib. 13. c. 5. lepidum Aristotelis acutumque de Lesbio vino judicium, quo successorem suæ diatribæ designavit Theophrastum e Lesbo.

Digitized by Google

Duces sub umbra: nec Semeleius
Cum Marte confundet Thyoneus
Prœlia: nec metues protervum
Suspecta Cyrum; ne male dispari
Incontinentes injiciat manus,
Et scindat hærentem coronam
Crinibus, immeritamque vestem.

## INTERPRETATIO.

*ſchyphos hauries in umbra: neque furens Semeles filius cum Marte pugnas miscebit: neque timebis suspicionem creare petulanti Cyro, ne tibi minime æquali intemperantes manus adhibeat, frangatque corollam impositam capillis, & innocens vestimentum.*

## ANNOTATIONES.

22. *Nec Semeleius cum Marte, &c.*) Nec bibendi certamen desinet in pugnas ac rixas. Semelæ filius Bacchus: ea porro etiam Thyone dicta. Ne tamen inde *Thyoneum* hic appellari credas, cum pluribus: alias idem bis perperam dixisset Horatius. Sed potius a *θύω ferveo, insanio, impetu feror*, intellige violentum, petulantem, &c. Vide Diodor. Sicul. lib. 4. cap. 5. Id est, vinum istud innocens non creabit ebrietatem, nullasque proinde contentiones ac certamina Marti propria provocabit. Nam τὸ παροινεῖν ἐκ τοῦ μεθύειν. Athen. lib. 10.

24. *Nec metues protervum suspecta Cyrum.*) Cyrus iste Horatii rivalis, Tyndaridis autem vel amicus, vel etiam maritus non bene cum ea consentiens. Qui quidem si rescisset cum alio familiariter versari, haud æquo tulisset animo, sed zelotypiâ accensus, aut velut in suam manus injecisset, aut etiam verbera intentaret, ruptâ convivali coronâ, laceratâ veste ultus adulterium quod suspicaretur.

25. *Male dispari.*) Viribus impari ad resistendum, ictusque declinandos. Vel moribus plane diversis, ut Tyndaris lepida hilarisque fuerit, Cyrus tristis, morosus ac ferox: unde non ferat ejus ingenium ac vivendi institutum.

26. *Injiciat manus.*) Jure sibi vindicans quod suum est, ubicumque repererit. Quo vir ejus fuisse indicari videtur. Numquid enim in alienam tantum ausus fuerit alienus, in liberam liber? nisi forte vis & impetus zelotypiæ significetur illius, qui ab amica sua alium amari intellexerit: quique sibi temperare seque continere haud queat, cum epulantem cum alio viderit, quin pugnas misceat, coronamque ex more conviviorum capiti additam discerpat, nec vestibus parcens, quoquo modo suo dolori satisfaciat.

28. *Immeritamque vestem.*) Quid enim peccavit, quid male meruit vestis mœchæ, vel infidæ amasiæ, ut ab irato zelotypoque diffringatur?



Digitized by Google

## *AD QUINTILIUM VARUM.*

# ODE XVIII.

*Usum vini moderatum commendat.*

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
Circa mite solum Tiburis, & mœnia Catili.
Siccis omnia nam dura Deus proposuit: neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?

### INTERPRETATIO.

*O Vare, nullam arborem potius quam vitem sacram plantes circa benignum terram Tiburis, ac muros Catilli. Sobriis enim cuncta prabet gravia Deus: nec alias fugantur edaces cura. Post vina epota, quis incommoda belli*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 11.

Horatius monet Quintilium Varum, ut nimium vel Reipublicæ, vel litterarum studium usu vini temperet moderato. Quis vero ille? Videtor certe is quem in Arte Poetica celebrat velut optimum judicem ac censorem Poematum. Epist. ad Pisones, v. 438. inscriptionem tamen hujus Odes falsam asserit Marcilius, vultque sibiipsi Horatium loqui, sicut & Epod. 5. & 17. Adde quod abest illa a plerisque membraois.

1. *Nullam, Vare, sacrâ vite prius severis arborem.*) Metrum pariter & sententiam mutuatus est ab Alcæo; cujus apud Athen. hæc leguntur μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω: *sacrâ vite.* Baccho nempe consecratâ: vel quia libationes in sacris inde fiebaot.

2. *Mite solum.*) Plin. lib. 17. cap. 5. *Optima terra est quæ vocatur pulla; tenera, temperata ubertatis, mellis facilisque cultura, nec madida, nec sitiens, post vomerem nitescens.* Ibid. *optimus ager est ad radicem montium, planitia in meridiem excurrente: qui totius est Italia situs:* ex Catone lib. 34. cap. 5. Columell. lib. 2. cap. 2. & lib. 3. cap. 21.

*Tiburis.*) De ea urbe jam ante ad Od. 7. Hodie *Tivoli*, sita est ad fluvium Anienem, in Sabinorum confinio, singulari vero gaodet aeris temperie. Hinc forte *mite solum* appellatur. *Tiburtes originem multo ante Romam habent. Conditor eorum Tiburtus, quem filium fuisse tradunt Amphiarai, qui apud Thebas obierit; una atate ante Iliacum bellum.* Plin. lib. 16. c. 44.

*Mœnia Catili.*) Urbem Tibur iterum designari aliis verbis ajunt: quippe quam opera communi condiderunt Amphiarai filii tres Tiburtus, Cosas, Catillus, ac de nomine fratris maximi natu appellarunt. Virgil. Æneid. 7. vers. 670.

*Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,*
*Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,*
*Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus.*

Repugnat vero Theod. Marcil. cit. tum quod bis idem perperam dixisset Horatius: tum quod ex Servio ad cit. Æn. locum, aliæ quoque urbes ab illis fratribus ædificatæ referuntur: contenditque *mœnia Catili*, esse montem Catilli. Catilus autem seu Catillus Arcas classis Evandri præfectus; Tibur qui, & Tiburnus, & Tiburtus, ejus frater fuit.

3. *Siccis omnia nam dura, &c.*) Qui naturâ vinosi, sunt plerumque hilares, nullaque aut valde exigua cura torquere se consueverunt: contra, sobrii res penitus considerant, atque hinc solliciti, difficiles, ac morosi esse solent. Quare *dura* & gravia his esse notum est, quæ aliis levia. Sicut enim omnia sana sanis, & contra: sic tristi ingenio præditis tristia sunt omnia; læta vero aut saltem parum molesta quælibet jocosis ac festivis hominibus. *Siccis* vino non madidis, sobriis, jejunis. Plaut. in Persa. *Jam diu factum est, cum bibimus: nimis sicci sumus.* Tull. contra Rullum in Senatu. *An concilia siccorum, an vinolentorum somnia videntur?*
Pers. Satir. 5. v. 163.
*An siccis dedecus obstem cognatis!*

*Neque mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.*) Lib. Judic. c. 9. *mustum Deo & hominibus lætitiam dare solet.* Sapient. 31. *Date vinum iis qui amaro sunt animo: bibant, & obliviscantur egestatis sua: & doloris sui non amplius recordentur.* Ps. 103. *Vinum lætificet cor hominis.*

5. *Quis post vina gravem, &c.*) Anacreon. ὅταν ὁ Βάκχος εἰσέλθῃ, εὕδουσι μέριμναι, *cum Bacchus advenerit, dormiunt cura.* Tibull. lib. 1. Eleg. 7.

Quis non te potius, Bacche pater, teque decens Venus?
At, ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata; monet Sithoniis non levis Evius:
Cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,

## INTERPRETATIO.

*queritur aut paupertatis? Quis non te magis, Bacche pater,* laudat; *teque o decora Venus? Verum enimvero pugna Centaurorum adversus Lapithas inter potandum commissa docet, ut nemo dona Bacchi moderati pratergrediatur: docet & Bacchus Thracibus gravis: quando voluptatum cupidi licitum & illicitum parvo discrimine separant. O Bacche sincere, non ego te repugnan-*

## ANNOTATIONES.

*Bacchus & agricola magno confecta labore*
*Pectora tristitia dissoluenda dedit.*

*Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert.* Sensus Horatii est; cum quis se plusculum vino exhilaravit, tum nec meminit laborum, nec ægritudines sentit: imo jocatur hilariter, Bacchi munera laudat, & cantiunculis animum recreat, *decentique Venere*, seu non indecore aut invenusta festivitate. Sic ajunt Catonem Uticensem cum amicis ad auroram perpotando vigilasse, quod existimaret vini potu largiori animam reddi hilariorem, ex Platone videlicet.

7. *At, ne quis modici transiliat, &c.*) At vero cavendum in primis illud Græcorum, *μηδὲν ἄγαν, ne quid nimis:* Item quod monet Plin. lib. 14. cap. 5. *nec viribus corporis aliud, si modus adest, utilius;* nec *aliud perniciosius vino, si modus absit.* Ibidem, Androcydes sapientie clarus ad Alexandrum Magnum scribebat intemperantiam ejus cohibens: *Vinum poturus Rex, memento te bibere sanguinem terra.* Quibus ille si obtemperasset, profecto amicos in temulentia non interemisset. Hactenus Plinius. Belle suo more Apulejus; *prima cratera pertinet ad sitim: secunda ad hilaritatem: tertia ad voluptatem; quarta ad insaniam.* Vide Athen. lib. 2. cap. 1. & 2. ubi de juvenibus temulentis triremi sa navigare credentibus, faceta historia: quam quidem haud a vero alienam probat Casaubonus in dictum locum. Ibidem Mnesitheos, *vinum recte utentibus Dii monstrarunt summum bonum: intemperantibus summum malum, &c.*

8. *Centaurea monet cum Lapithis, &c.*) Centauri Thessaliæ populi cum venissent ad nuptias Pirithoi Principis Lapitharum, prope montem Olympum in Thessalia pariter degentium; vino immodice hausto, in furorem ac libidinem acti, novam nuptam Hippodamiam rapere, vel, ut scribunt alii, Lapitharum uxoribus vim inferre tentarunt. Unde gravis pugna, cædesque Centaurorum fere omnium. Tull. In Pisonem meminit: *istius in his Reipublica luctibus symposium quasi aliquod Lapitharum aut Centaurorum convivium ferebantur.* Vide Ovid. Metamorph. 12.

9. *Sithoniis non levis Evius.*) Ipse quoque Bacchus rectum vini usum docet, qui populis eam Thraciæ partem incolentibus, quæ *Sithonia* dicta est, Thracibusque universis infensus & ultor instat, quoties illi suis abusi muneribus, nimio potu in insaniem, indeque in flagitia ruunt. Vide infra, Oden 27. Apud Athen. cit. Eubulus ita Bacchum fingit loquentem. *Tria ego pocula tantum misceo illis qui sapiunt: unum sanitatis; alterum voluptatis; soporis tertium. Quo quidem epoto, ii quos dicimus sapientes, domum sese recipiunt. Postea vero si quartum additur, non est id amplius nostrum, sed protervia; quintum vociferationis; sextum petulantis comessationis; septimum macularum & vulnerum; octavum apparitoris; nonum iracundia; decimum furoris, quo prosternuntur qui bibunt, &c.*

*Evius.*) Ita Bacchus est appellatus, vel e voce Bacchantium εὐοῖ: vel potius ex eo quod cum debellatis fortiter gigantibus revertentem Jupiter sic effatus est: *εὖ υἱε, euge fili.*

*Exiguo fine libidinum.*) Per fas & nefas voluptates quærit & consectatur temulentus, accensa vino libidine. Juvenal. Sat. 6.

*Quid enim Venus ebria curat!*

11. *Non ego te, candide Bassarea, &c.*) Quasi diceret: Thraces, & Bacchantes, specioso sacrorum prætextu, cum celebrent Orgia, infanda pleraque committunt ultra modum poti, te quidem invito, o bone pater Bacche; at ego sanior illis, temulentiam vitabo, neque proinde præter aut contra Numen tuum quidquam perpetrabo: nec te irritabo ebrius, nec indecore agitabor, aut discurram furiosus.

*Candide Bassareu.* Simplex, aperte, verax. Tibull.

*Candide Liber ades.*

Item:

*Candidior semper, candidiorque veni.*

*Bassareus.* Vel ob tunicam e pelle vulpina; vel a calceamento, quæ *βασσάραι* dicuntur: vel a talari veste apud Bassaram Lydiæ locum confici solita: quorum usus in Orgiis. Alii alias quoque etymologias comminiscuntur.

Tibull. cit. de Baccho.

*Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.*

*Non ego te invitum quatiam.*) Etsi videntur hæc satis intellecta ex iis quæ ante dixi; amplius tamen explicantur, enodanturque, allato ritu veteri Bacchanalium seu Orgiorum, in quibus Thyades seu Bacchæ sacra movere dicebantur, cum furiosæ his in festis cursitantes, thyrsos quaterent, ipsumque Bacchi simulacrum loco suo mo-

Digitized by Google

Invitum quatiam: nec variis obsita frondibus
Sub divum rapiam. Sæva tene cum Berecynthio
Cornu tympana, quæ subsequitur cæcus amor sui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem,
Arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

## INTERPRETATIO.

*tem exagitabo: neque proferam in lucem abscondita foliis diversis. Comprime dira cymbala cum Phrygio cornu, quæ comitatur abcæcatus sui amor, atque arrogantia plusquam satis efferens inane caput, & fides secretum prodens, vitro pellucidior.*

## ANNOTATIONES.

motum circumferentem, ac velut invitum temulentæ sacrificulæ exagitarent.
Virgil. Æneid. 4. v. 301.
*Qualis commotis excita sacris*
*Thyas, ubi audita stimulant trieterica Baccha*
*Orgia.*
Catull. de nuptiis Pelei ac Thetidis:
*Lymphatâ mente furebant,*
*Evoe bacchantes, Evoe capita inflectentes.*
...... *Pars tectâ quatiebant cuspide thyrsos.*

12. *Nec variis obsita frondibus, &c.*) Non temere pervulgabo tua mysteria, aut secreta revelabo: alludit rursum ad Orgiorum morem, quo sacra Bacchi in cistis condita, hederaque & pampinis contecta, e templo atque urbe in montes agrosque exportabantur.
Catull. cit.
*Pars obscura cavis celebrabant Orgia cistis;*
*Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.*
Tibull. Eleg. 7 lib. 1.
*Et levis occultis conscia cista sacris.*

13. *Sub divum.*) Pro *sub dio*, vel *sub dium*, id est sub cælo, quod Græci δῖα vocant. Varro. Ascon. in Verr. 3. id est, ex arculis & cistis non extraham tua sacra, quæ foras & in publicum efferam.

*Sæva tene cum Berecynthio.*) Contine cymbala & cornua tua apud Berecynthum Phrygiæ montem in sacris adhiberi solita, quibus ad furorem incitantur Sacerdotes. Porro illa duo jungit Horatius, ob affinitatem sacrorum Bacchi, & Cybelæ matris Deûm, quæ Berecynthia inde nuncupatur: pariter ut & supra, Od. 16. v. 5. ac seq. sensus est: a me coerce ac depelle ebrietatem, insaniam, furorem. Catull. cit.
*Plangebant alii proceris tympana palmis,*
*Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant.*
*Multi raucisonis efflabant cornua bombis,*
*Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.*

14. *Quæ subsequitur cæcus amor sui, &c.*) Ebrietatem nempe sequuntur multa mala, quorum alia jam proposuit: hæc sunt rixæ, contentiones, flagitiosæ libidines absque ulla cujusquam reverentia. Alia vero jam exponit; quæ sunt φιλαυτία, superbia, loquacitas, arcanorum proditio.

*Cæcus amor sui.*) Congruens epithetum: nihil enim tam impellit in errorem, quam *sui amor*. Hinc Tull. ad Attic. lib. 13. Epist. 13. *nisi forte me communis φιλαυτία decepit*. Et de Offic. lib. 1. num. 91. *Tales non esse putamus, ut jure laudemur ..... cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur, & in maximis versantur erroribus.*

15. *Tollens vacuum plus, &c.*) Vana gloriatio, qua homo inaniter se extollit, prudentiâ *vacuus*. Quod si plerisque passim, at nemini frequentius accidit, quam vino effervescentibus.

16. *Arcanique fides prodiga.*) Denique sicut vitrum nihil abscondit, sic vinum tegenda revelat, retinenda prodigit, involvenda silentio divulgat; adeoque fidem labefacit ac violat, cum religiosæ taciturnitati commissa & credita temere profert & propalam effutit.

ODE

Digitized by Google

# ODE XIX.

*Glyceræ se uri amore scribit.*

Mater sæva Cupidinum,
Thebanæque jubet me Semeles puer,
Et lasciva licentia,
Finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius:

## INTERPRETATIO.

*Crudelis amorum genitrix, & filius Semeles Thebanæ, atque luxuriosa libertas cogit me ad extinctos amores reducere animum. Accendit me decor Glyceræ marmore Pario clarius refulgentis.*

## ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 3.

1. *Mater sæva Cupidinum.*) Tria sunt incentiva libidinis præcipua, humorum crasis & temperies, vinum, familiaritas & comessatio cum mulieribus. His se revolvi in abjectos amores atque absipi scribit Horatius, *Venere*, *Baccho*, *lasciva licentia*. Cæterum versiculus iste non temere scriptus, qui rursus habetur Od. 1. lib. 4. Singulas ergo voculas ponderemus. *Mater sæva*, Venus. Nam

*quisquis amores*
*Aut metuet dulces, aut experietur amaros.*

Virgil. Eclog. 3. & Eclog. 8.

*Sævus amor docuit, &c.*
*puer improbus ille.*

Bene Anacreon:

Χαλεπὸν τὸ μὴ φιλῆσαι,
Χαλεπὸν δὲ καὶ φιλῆσαι,
Χαλεπώτερον δὲ πάντων
Ἀποτυγχάνειν φιλοῦντα;
*Durum est non amare:*
*Durum est etiam amare:*
*Durissimum vero est*
*Non frui re amatâ.*

*Cupidinum.*) Non una Venus, nec unus Cupido fuit. Duas Veneres esse ait Plato in convivio, alteram veterem, juniorem alteram. At Cic. 3. de Natura Deorum n. 58. *Venus prima*, inquit *Cælo & Die nata, cujus Elide delubrum vidimus. Altera spumâ procreata .... Tertia Jove nata & Dione. Quarta Syria, quam Adonidi nupsisse traditum est:* & n. 60. *Cupido primus Mercurio & Dianâ primâ natus dicitur: secundus Mercurio & Venere secundâ: tertius quidem est Anteros, Marte & Venere tertiâ.* Quid ergo hic? Certe Poetis solemne est uni tribuere quod plurimum est, præsertim cum nomen idem occurrit. Sic uni Herculi ea tribuunt omnia, quæ tamen a diversis confecta sunt. Pariter ab Ovid. init. Fast. 4. Venus appellatur *geminorum mater Amorum*. Et hic *mater Cupidinum*. Sic & a Pausan. in Attic. tres Veneris filii referuntur Ἔρως. Ἵμερος. Πόθος. Apud Lucianum vero Venus Paridem alloquens duos sibi filios jactat eximios esse Ἵμερον καὶ Ἔρωτα. Alii *Cupidinum matrem* dici Venerem contendunt, ob varios & multiplices affectus, qui eam & amorem numquam non comitantur. Nam qui amant, modo spe recreantur, aut gaudio fruuntur. sæpius autem tristitiâ ob repulsam, irâ adversus rivalem, interdum etiam desperatione aguntur, usque ad suspendium: &c. minus placent qui *matrem Cupidinum* explicant per amoris asseclas, ludum, jocum, saltus, cantus, &c.

2. *Thebanæ Semeles puer.*) Bacchus, qui natus fertur Semele Cadmi Thebarum Regis filiâ: ibique ipse colebatur. Quod autem e vino accendatur Venus quis nescit? Apost. ad Ephes. c. 5. v. 18. *nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* S. Hieronym. *venter mero æstuans facile despumat in libidinem.*

3. *Lasciva licentia.*) Otium, indulgentia, lascivia. Theophrastus ait amorem esse *affectum animi otiosi*: πάθος ψυχῆς σχολαζούσης.

5. *Urit me Glyceræ nitor.*) Amoris tyrannidem excusserat Horatius, at aspectus Glyceræ novas catenas injecit. Nimirum pulchritudo est *splendor quidam in oculorum fulgore, in lineamentorum concinnitate ac decore consistens, humanum ad se rapiens animum.* Virgil. Georgic. 3. v. 215.

*uritque videndo*
*Fœmina.*

6. *Splendentis Pario marmore purius.*) Paros insula maris Ægæi, Cycladum una, candidi marmoris ferax, eoque nomine celeberrima. Strab. lib. 10. Plin. lib. 36. c. 5. &c. Pindar. de Callicle.

Παρίας λίθου λευκοτέραν.
*Pario lapide candidiorem.*

Digitized by Google

Urit grata protervitas,
  Et vultus nimium lubricus aspici.
In me tota ruens Venus
  Cyprum deseruit: nec patitur Scythas,
Et versis animosum equis
  Parthum dicere: nec quæ nihil attinent.
Hîc vivum mihi cespitem, hîc.

## INTERPRETATIO.

*Inflammat me jucunda ejus procacitas, & facies intuitu nimis periculosa. Venus Cyprum relinquens me tota invasit, neque sinit me referre Scytharum* bella, *neque Parthos equis conversis strenuos, nec quæcumque* ad ipsam *nihil spectant. O famuli, istic cespitem virentem, istic*

## ANNOTATIONES.

7. *Urit grata protervitas.* ) Superbia quædam & severitas saltem ficta; ferocia quæ plerumque amantes plus accendit, qui quod negari videtur, eo ferventius appetunt, eoque jucundius prosequuntur.

8. *Vultus nimium lubricus aspici.* ) Aspectus enim mulieris formosæ in lapsum statim impellit; metaph. a locis lubricis, in quibus sine cadendi periculo nemo stat aut incedit. Virgil. Eclog. 8.

*Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.* Alii interpretantur, oculos Glyceræ mobiles, lubricos, petulantes, ad libidinem pellicentes. Anacreon. carm. 2. ait, *Naturam dedisse tauris cornua, calces equis, cursum leporibus, dentes leoni &c. viris prudentiam: at mulieribus pulchritudinem, qua parmis & lanceis fortior ferrum flammamque vincit & domat.*

9. *In me tota ruens Venus Cyprum deseruit.* ) Adeo nempe me Venus obsidet & occupat, inquit, ut videatur reliquisse Cyprum, ubi tamen dominatur potentissime, & colitur. Virgil. Eneid. 1. v. 722.

*inscia Dido*
*Insideat quantus misera Deus.*

10. *Nec patitur Scythas, &c.* ) Non me patitur aliis vacare quibuslibet rebus, nisi amori: unde nequaquam possum scribere Scytharum vel Parthorum prœlia: id est, nec aliena bella, sed nec ea, quæ ad Romanam Rempublicam & gloriam spectant. Posterius huc opinatur Cruquius dici ab Horatio, ut se excuset atque commendet, & adulетur Augusto, cui, inquit, tunc forte remissa fuerint ultro a Parthis ea signa militaria, quæ M. Crasso & M. Antonio erepta fuerant. De quibus Justin. in fine lib. 42. Infra citand. Verum hæc nullo sunt argumento subnixa.

*Scythas.* ) Hi populi sunt Asiæ Borealis celeberrimi, & late patentes; de quibus fuse Strabo, Ptolem. Plin. &c. tria de illis notatu digna memorantur a Justino lib. 2. antiquitas, virtus bellica, & quod Parthicum regnum condiderint. Adde Amazonum famam toto orbe omnibusque seculis diffusam. *Non virorum magis imperio, quam fœminarum virtutibus claruere. Quippe cum ipsi Parthos Bactrianosque; fœminæ autem eorum Amazonum regna condiderint . . . . . Imperium Asiæ ter quæsivere, ipsi perpetuo ab alieno Imperio aut intacti, aut invicti mansere. Darium Regem Persarum turpi ab Scythia summoverunt fugâ, Cyrum cum omni exercitu trucidaverunt. Alexandri Magni ducem Sopyriona cum copiis universis deleverunt. Romanorum audivere, non sensere arma . . . . . Gens laboribus & bellis aspera. Vires corporum immensæ. Nihil parare quod amittere timeant: nihil victores præter gloriam concupiscunt.*

11. *Et versis animosum equis Parthum.* ) Virgil. Georgic. 3. v. 30.

*Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque Niphatem,*
*Fidentemque fugâ Parthum, versisque sagittis.*

Justin. lib. 41. *Parthi,* inquit, *pugnant procurrentibus equis, aut terga dantibus. Sæpe etiam fugam simulant, ut incautiores adversum vulnera insequentes habeant . . . . . . Intolerandi forent, si quantus his impetus est, vis tanta & perseverantia esset. Plerumque in ipso ardore certaminis prœlia deserunt, ac paulo post pugnam ex fuga repetunt, ut cum maxime vicisse te putes, tunc tibi discrimen subeundum sit.* Ergo non abs re Horatius *Parthum* dicit *animosum*: adeo virtus etiam in hoste laudatur. Nam Romanis Parthi formidabiles semper fuere sub Mithridate præsertim illo, *cui res gestæ Magni cognomen dedere*, ut ait Justin. lib. 42. Imo sæpe illorum fuderunt exercitus Ducesque. Justin. lib. 41. init. *a Romanis quoque trinis bellis per maximos Duces florentissimis temporibus lacessiti, soli ex omnibus gentibus non pares, solum, verum etiam victores fuere.* Tandem illi tamen Augusti fama perculsi, ejus arma pertimescentes, captivos e Crassiano atque Antoniano exercitu totâ Parthiâ recollectos, signaque cum his militaria remiserunt. Unde & cusi nummi cum hac epigraphe: SIGNIS RECEPTIS. *Plusque Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius Imperator facere potuisset.* Hæc Justin. cit. lib. 42. in fine. Vide & Flor. lib. 3. cap. 11. & lib. 4. cap. 9. præsertim autem cap. 10. ubi virtus Romana hanc expressit laudem e Barbaris: *Ite, & bene valete, Romani; merito vos victores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fertis.* Vide & supra Od. 12. Annot. ad v. 53.

*Hic vivum mihi cespitem, &c.* ) Victus denique

Verbenas, pueri, ponite, thuraque
Bimi cum patera meri,
Mactatâ veniet lenior hostiâ.

INTERPRETATIO.

*verbenas & thura mihi afferte tum cratere vini bimi.* Post *immolatam victimam mitior fiet* Glycera.

ANNOTATIONES.

que amore Glyceræ Horatius, sacra parat, quibus ejus animum, placata Venere, demereator. Sui vero ardorem amoris & impatientiam denotat vel ex eo quod aram n cespite exstruat, brevi quidem & expedita rationn: quod fieri solitum duntaxat in subitis rebus, & moram haud fereotibos.

24. *Verbenas.*) Herbas in sacris assuetes parate. Proprie verbena est herba quædam, Gall. *de la verveine.* De hac Plin. lib. 25. cap. 9. *Herba nulla Romana nabilitatis plus habet, quam hierabotant: nostri verbenacam vocant. Hac est, quam legatos ferre ad hostes indicavimus. Hac Jovis mensa verritur; domus purgantur lustranturque.* Servius ait esse virgulta, quæ semper virent. Ex Donato verbena quasi herbena dicitur, estque herba e puro loco decerpta cum terra adhærente. Similiter Plin. lib. 22. *Verbena nomine significatur gramen ex arce* (al. arex) *cum sua terra evulsum, &c.* Constat eo nomine censeri eas omnes herbas, quæ in sacrie adhibeotur. Virgil. Eclog. 8.

*Verbenasque adole pingues & mascula thura.*

Ubi per epithetom, *pingues*, volont indicari olivam. Terent.

*ex ara hinc sume verbenas tibi.*

Atqui apud Menandrum, unde sententiam ille transtulit & verba, verhenæ suot myrti. Plinius quoque dixit *myrteam verbenam.* Ergo per catachresin verbenæ appellaotur rami, virgæ, frondes, e laoro, myrto, oliva, rore marino; aliæque felices herbæ religioni & sacris servientes, his nempe aras coronabant; deinde thus adolebant: postea vinum e patera libabant.

15. *Bimi cum patera meri.*) *Bimi*, id est, duorum annorum: *du vin de deux feuilles.* Affectabant veteres in sacris vetus vinum, tanquam optimum, item *merum*, & purum sine aquæ admixtione. Qoapropter *Græca vina libare nefas, quoniam aquam habeant*; ex Plin. lib. 14. cap. 19.

16. *Mactatâ veniet lenior hostiâ.*) An Venus *sæva Cupidinum mater?* an Glycera *proterva?* Hanc ego potius, quam illam intelligi ab Horatio censuerim, lenioeem futuram, quæ dura prios erga illum & immitie fuerat. Scilicet hec sperat per Veneris favorem, qoem sacro peracto ambit & sibi conciliare nititur. Atenim quod illud sacrificium; quæ hostia mactanda? *hostia* quidem & victima differunt, quod hæc minor eit, illa major. *Mactata* porro dicitur, quasi magis aucta, cujus capiti nimirum imposita ex hordeo tosto mola, eale conspersa, thure suffita. Sunt qui Veoerem sanguine non placari nec cæsâ victimâ pridem eolitam cootendant: eo quod genitrix passim vocaretur; nec deceret eam ita coli, per quam vita datur: afferuntque Virgil. Æn. e. ubi in templo Veneris Paphiæ thus & eerta duntaxat memorantor:

*Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit*
*Læta suas, ubi templum illi, centumque Sabæo*
*Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.*

Hinc & Erasmus locum hunc sic explicat: postquam Venerem placavero verbenis, thure, vino, ex more; Glycera veniet lenior, eritque tam facilis ac domita, qoam sit hostia mactata. Dormitasse vero ille bonus tunc credendus, meo quidem judicio. Alii contra sentiunt, hostiam hic ab Horatio vere mactandam significari, seu columbam, utpote Veneri sacram; seu qoamcumque aliam. Cruquius, Turnebus. Certe *Veneri suem immolari quandoque Callimachus scribit. Factum id Argis adnotavit historia.* Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 26. *Apud Thasas autem in Ægypto Veneri; quæ ibi Corunna colitur, vaccam sacrificari*, refert Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 12. Ajunt vero, primis quidem sæculis incruenta fuisse quævis sacrificia, litatomque dontaxat arborum fructibus, ramis, foliis, herbis: at postea usom invaluisse mactandi victimas Diis quibuslibet, ipsique Veneri.

ODE

Digitized by Google

# ODE XX.

*Mœcenati spondet convivium, sed frugale.*

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græcâ quod ego ipse testâ
Conditum levi, datus in theatro
Cum tibi plausus,
Care Mœcenas eques: ut paterni
Fluminis ripæ, simul & jocosa

## INTERPRETATIO.

*O Dilecte Mæcenas eques*, apud me quidem *mediocribus in poculis bibes ignobile Sabinum, quod egomet illivi Græco fictili reclusum: quando in amphitheatro acclamationes tibi concessa* fuerunt tantæ, *ut applausum iterarent tibi litora patrii fluvii, pariter & adumbratio*

## ANNOTATIONES.

Hæc Ode ejusdem est metri, ut supra 2. *Jam satis terris.*

1. *Vile potabis, &c.*) Profectoros erat Mœcenas seo in Apuliam (ut vult Cruquius ex Divæi codice, quod idem notat Lubinus) seu quovis alio: antea vero se Horatio pro summa inter eos familiaritate convivam fore significarat. Hac Ode rescribit Horatius Mœcenati, gratum id sibi quidem, at pro sua tenuitate tenue fore convivium: cœnæque caput ex more proponit *Sabinum vinum*, ut erudite monet Theod. Marcilius.

*Sabinum.*) Non quale tu habes in cellariis generosum bibes apud me: sed tantum modo *vile* & modicum: nempe vinum vel ex *uva Bithuica, quæ in eligendo solo morosa, pingui putrescit, gracili omnino non provenit: mediam temperiem delicate quærit, ob hoc Sabinis collibus familiaris. Ex Plin. lib. 14. cap. 2.* vel e *vinaciola, quam soli novere Sabini ac Laurenti;* ex eodem ibid. cap. 3. Atheneus autem lib. 1. cap. 21. cit, *inter Italica vina levissimum esse Sabinum, potuique tempestivum ab anno septimo usque ad decimum quintum.*

*Modicis Cantharis.*) *A petits brocs.* Pro quolibet vase hic ponitur *cantharus*, qui quidem non parvum est vas, cum Sileno attribuatur perquam ebrioso, gravisque appelletur, Eclog. 6.

*Et gravis attritâ pendebat cantharus ansâ.*

Xenarchus apud Athen. lib. 11. cap. 6.

*Ne affunde, o puer, in argenteum poculum: sed potius in profundum cantharum.* Ibid. Epigenes. *At cantharos nunc non fingunt amplos illos & capaces, sed humilia pocula, &c.*

2. *Græcâ quod ipse testâ conditum levi.*) Vinum alioqui non exquisitum ex eo commendat Horatius, quod ipse studiose condiderit, condierit, obturarit, notarit. Quatuor iste nempe veteres vinom servaturi faciebant: diffundebant in vasa: deinde condiebant *admista calce, sale, croco, resina, pice, &c. ut odor vino contingeret, & saporis acumen*, ex Plin. lib. 4. cap. 19. 20. & 21. tum diligenter obturabant atque illinibant pice, gypso, limo. Docet Columella lib. ult. & Plin. citat. *picari dolia oportere, dein perfundi aqua marina aut salsa; postea cinere sarmenti aspergi.* Et paulo post, *sic opercula doliorum medicanda, addita mastiche ac pice.* Pers. vero Sat. 4. v. 29.

*Seriola veteris metuens deradere limum,*
*Ingemit:*

Denique notabant quale vinum, & quo tempore conditum fuisset. Id passim observare est, & postea notabimus pluribus locis. Hic ergo priora tria quatuor verbis exprimuntur, quartum sequentibus *Græcâ testâ conditum levi*, inquit, *datus in theatro cum tibi plausus.* Quasi diceret: condidi, seu in vasa infudi: *Græcâ testâ*, vel super fœcem vini Græci, vel in dolia, in quibus ante fuerit vinum Græcum, ut ita vis Sabino saporque accederet. Tertio *levi*, seu pice, seu gypso. Demum tempus notat, addendo a *cum datus tibi plausus, &c.*

*Testâ Græcâ.*) Cedo testaceo, quod vasis genus e Græcia ortum. Plin. lib. 14. cap. 21. cit. *circa Alpes ligneis vasis condunt, circulisque cingunt.* Quibus verbis ostendit Romæ ista vasa nondum tunc in uso fuisse.

3. *Datus in theatro cum tibi plausus.*) Jucunde simul & honorifice refricat Horatius Mœcenati memoriam dati per Populum Romanum plausus, seu cum ad spectacula venisset; solebant enim viri graves ac de Republica bene meriti acclamantionibus excipi: seu cum ludos ipse exhibuisset pro sua liberalitate magnificos: seu ob lætitiam recuperatæ a Mœcenate valetudinis, varias enim varii plausus hujus causas comminiscuntur.

5. *Eques.*) Modestia hic Mœcenatis celebratur, qui cum summos quosque capessere magistratus potuisset, oblatos etiam recusavit, & Equestri dignitate contentus vixit. Propert. lib. 3. Eleg. 9.

*Mæcenas Eques Etrusco de sanguine Regum,*
*Intra fortunam qui cupis esse tuam.*

*Ut paterni fluminis ripæ, &c.*) Tantus porro

fuit

Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.
Cæcubum, & prælo domitam Caleno
Tu bibes uvam. Mea nec Falernæ
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

INTERPRETATIO.

*festiva vallis Vaticani.* Tu domi *potabis Cacubum, atque uvam in torculari Caleno pressam.* Nam certe *mea vasa neque Falerni condiunt vascemi, nec montes Formiani.*

ANNOTATIONES.

fuit ille plausus, ut inde personarent ripæ Tiberis scaturientis in Hetruria, quæ Mœcenatis patria erat: nec non acclamantium voces ingeminaret Echo residens in concavis locis apud montem Vaticanum, qui theatro Pompeji proximus, sicut & fluvius Tiberis.

7. *Vaticani montis.*) Hic unus a collibus, quibus Roma inædificata est, adhuc retinet vetus nomen, insuper autem ostentat insignem S. Petri Basilicam, & palatium Pontificium dictus est, a vaticiniis illic edi pridem solitis. Vide Gell. lib. 16. cap. 17.

8. *Imago.*) Repetitio vocis, & acclamationum populi repercussio facta in monte. *Jocosa*, quia jocari videtur Echo, dum ultima tantum verba repetit atque ingeminat. Supra Od. 12.

*Cujus recinet jocosa nomen imago.*

Virgil.

*Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.*

Tullius Tuscul. 3. initio simile quid habet ubi scribit; *popularem gloriam in summa inanitate versari*, neque hanc *esse eminentem virtutis effigiem, sed adumbratam imaginem gloriæ.* Additque, *est enim gloria solida quædam res, & expressa, non adumbrata. Ea est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene judicantium de excellenti virtute. Ea virtuti resonat, tanquam imago gloria.*

9. *Cæcubum, & prælo domitam Caleno tu bibes, &c.*) Tu quidem apud te bibes vina ejusmodi haud vulgaria, non ita vero apud me. Exquisita certe vina sectatum esse Mœcenatem indicat quod ejus nomine quædam celebrata sint ac Mœcenatiana dicta: quæ quidem refert & inter generosa censet Plinius lib. 14. cap. 6.

*Cæcubum.*) Cæcubus mons Latii ad sinum Cajetanum, Fundis vicinus & Amyclis, optimi vini ferax.

Martial. lib. 13. Epigram. 115.

*Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis:*
*Vitis & in media nata palude viret.* Plin. lib. 14. cap. 6. *generositas celeberrima in palustribus populetis.* Athen. lib. 1. cap. 21. ex Galeno scribit *Cæcubum generosum, firmum, infestum capiti, non nisi post annos plures vetustum.* Porro non a loco dictum vult Cæcubum Galenus variis locis, sed ita vocari vetustissimum quodlibet & ob vetustatem fulvum.

*Caleno.*) Cales, vel Calenum, urbs Campaniæ seu Regni Neapolitani, in provincia terræ Laboris: a Cala Boreæ filio Argonauta, ut ferunt, condita; fertilem habet agrum vino generoso: nec minus celebrem aquâ temulentos faciente, si Plinio fides. Athen. cit. *Calenum leve magis quam Falernum stomacho* placet, ὁ Καλινὸς κοῦφος τοῦ Φαλέρνου εὐστομαχώτερος.

10. *Mea nec Falernæ.*) Mea vina non sunt e nobilioribus.

*Falernæ.*) Cui non audita fama vini e monte & agro Falerno in Campania; De eo Strabo lib. 5. Athen. cit. *Falernum anno decimo tempestivum est potui, &c.* Plin. cit. *secunda nobilitas Falerno.* Lib. vero 23. cap. 1. ejus salubritatem persequitur, sicut & aliorum.

11. *Formiani.*) Et hoc celebre vinum erat ex agro Formiano in Campania, non procul Cajeta. Athen. cit. *Formianum statim viget.*



Digitized by Google

# ODE XXI.

## IN DIANAM ET APOLLINEM.

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonsum pueri dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.
Vos lætam fluviis, & nemorum comâ,
Quæcumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi

### INTERPRETATIO.

*Molles puellæ canite Dianam: adolescentuli canite Apollinem crinitum, & Latonam omnino charam summo Jovi. Vos celebrate gaudentem fluminibus & silvarum densis frondibus, quæcunque vel frigido exstat Algido, vel nemoribus umbrosis Eryman-*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 5.

Triplex apud Horatium carmen seculare inscriptum legimus. Unum tamen ludis secularibus decantatum; illud nempe quod est post Epodos: alia duo, (ut volunt quidam) hoc scilicet & Od. 6. libri quarti ludis Apollinaribus, de quorum origine fuse disserit Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 17. Est hic igitur Hymnus Apollini & Dianæ Diis averruncis & ἀλεξικάκοις dedicatus, ut mala in hostes avertant, Populo vero Romano securitatem, sanitatem, frugumque abundantiam impertiant: Augustum autem Principem diu servent. De seculari carmine plura suo loco.

1. *Dianam.*) Hanc forte priorem invocat, quia prior nata parturienti fratrem geminum Apollinem matri Latonæ obstetricis officium præstitisse fertur: *Dicite virgines*, his mandabatur cantandum carmen in honorem Deorum, quia *casta placent superis*.

2. *Intonsum.*) Pindaro ἀκερσεκόμην, *non raso capillo*. Nimirum ob radios solares: vide Macrob. ante cit. & ob perpetuam juventutem. Tibull.

*Solis æterna est Phœbo Bacchoque juventus:*
*Et decet intonsus crinis utrumque Deum.*

*Pueri.*) Tit. Liv. Lib. 31. *carmen ab ter novenis virginibus cani per urbem jusserunt*. Et lib. 37. *decem ingenui, decem virgines, patrimi omnes matrimique ad id sacrificium adhibiti*. Zosimus histor. novæ lib. 11. *ter novem pueri illustres, totidemque puellæ*. Flav. Vopiscus Aurelian. *patrimis matrimisque pueris carmen indicite*.

*Dicite Cynthium.*) Apollinem, qui natus apud Cynthum montem in Delo insula. Hunc vero pariter & Dianam præcipue celebrat, quod eorum oraculis motus Æneas in Italiam venit. Æneid. 3. v. 97. & 381. Æneid. 4. v. 345. Æneid. 6. initio, v. 67. ubi sic precatur Æneas:

*Da Latio considere Teucros....*
*Tum Phœbo & Triviæ solido de marmore templa*
*Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.*

In carmine seculari postea Horatius ad Apollinem & Dianam,

*Roma si vestrum est opus.*

3. *Latonam.*) Hæc velut Apollinis & Dianæ mater ab Horatio jungitur hic iis Numinibus, quibus edebantur Ludi Seculares. Ita vero recensentur ab Zosimo citat. *Jupiter, Juno, Apollo, Diana, Parcæ, Lucina, Ceres, Pluto, Proserpina*.

4. *Dilectam penitus Jovi.*) Et quidem tanta Junonis zelotypia, ut eam pellicem ejusque fœtus omni conatu perdere tentarit, immisso adversus prægnantem Pythone serpente; incassum tamen. Varias enim illa regiones fugiendo pervagata, appulit in Ortygiam insulam, quæ & Delos nominata: ubi ea Jove Dianam & Apollinem uno partu edidit. Vide Ovidium, Macrob. cit. &c.

5. *Vos lætam fluviis, & nemorum comâ.*) Vos o virgines, laudate virginem Dianam, propterea gaudentem *silvis* ac venationi, ut virorum fugiat consortium: *fluviis* autem, in quibus abstergeret sudorem in sectando feras contractum. Ovid. Metamorph. 3.

*Hic Dea silvarum venatu fessa solebat*
*Virgineos artus liquido perfundere rore.*

6. *Quæcumque aut gelido prominet, &c.*) Sive in *Algido* Latii, ab urbe pass. 20000. sive in *Erymantho* Arcadiæ, sive in *Crago*, Lyciæ montibus. In hoc ajunt fuisse agrestium Deorum antra. Apud *Erymanthum* venari Diana scribitur Homer. Odyss. 6. *Algidum* denique perinde ac Aventinum tenere, seu in iis dominari jactatur Diana in Carmine seculari, sub finem.

Digitized by Google

Sylvis, aut viridis Cragi.
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalemque, mares, Delon Apollinis,
Insignemque pharetrâ,
Fraternâque humerum lyrâ.
Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,
Pestemque a populo, & principe Cæsare in
Persas, atque Britannos
Vestrâ motus aget prece.

## INTERPRETATIO.

*thi, vel Cragi viridantis. Vos, o masculi, tot encomiis efferte Tempe, & Delum Phœbi natalibus* inclytam; *& scapulam ejus exornatam pharetrâ, & fratris citharâ. Vestris ille votis exoratus, a plebe & Augusto Imperatore luctuosum bellum ac famem ærumnosam, atque luem propulsabit ad Persas & Britannos.*

## ANNOTATIONES.

9. *Vos Tempe totidem, &c.*) Vos autem, o casti pueri, canite loca Phœbo dilecta, velut *Tempe* in Thessalia, crebris lauris, quæ sacræ sunt Apollini, præcipuâque amœnitate inclyta: *Delum* item insulam ejus ortu, summâque eam ob rem religione nobilem ac reverendam. Cic. Verr. 3. n. 47. & seq. *Apollinem tu Delium spoliare ausus es? Illine tu templo tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias ac sacrilegas afferre conatus es .... proditum memoria ac literis Latonam ex longo errore & fuga gravidam, & jam ad pariendum vicinam, temporibus exactis, fugisse Delum, atque ibi Apollinem ac Dianam peperisse: qua ex opinione hominum, illa insula eorum Deorum sacra putatur: tantaque ejus auctoritas religionis & est, & semper fuit, ut ne Persæ quidem, cum bellum toti Græciæ, Diis hominibusque indixissent, & mille numero navium classem ad Delum appulissent, quidquam conarentur aut violare aut attingere.*

*Tempe.*) Plin. lib. 4. cap. 8. *Inter Ossam & Olympum nemorosa convalle, .... Tempe vocantur quinque millium passuum longitudine, & ferme sesquijugeri latitudine ultra visum hominis attollentibus se dextrâ lævâque leniter convexis jugis: intus suâ luce viridante allabitur Peneus viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus avium concentu.*

10. *Delon.*) Plin. mox cit. cap. 12. *Longe clarissima, Cycladum media, templo Apollinis & mercatu celebrata Delos: quæ diu fluctuata, ut proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem .... hanc Aristoteles ita appellatam prodidit, quoniam repente apparuerit enata ..... Cynthiam, Ortygiam, &c. alii vocant .... cingitur quinque millibus passuum: assurgit Cynthio monte.* Et sub finem ejusdem cap. scribit, *Hyperboreos frugum primitias solitos Delon mittere Apollini, quem præcipue colunt. Virgines ferebant eas, hospitiis gentium per annos aliquot venerabiles, &c.*

11. *Insignemque pharetrâ.*) Jaculandi peritus habitus est semper Phœbus, atque *certâ metuendus sagittâ*, ut est Ode 12. supra: tum ob interfectum Pythonem serpentem, occisosque Niobæ filios. Adde Virgil. Æneid. 6. v. 57. tum vero quod radiis in mortales ferventi æstu vibratis, morbos pestemque signat. De quo Macrob. cit. cap. 17. lib. 1. Saturnal.

12. *Fraternâque humerum lyrâ.*) Insignem etiam lyræ inventione & melodiâ ipsi quidem a Mercurio concessâ; quæ fuse explicui Annot. ad Oden 10. supra. *Fraternâ.* Apollo & Mercurius fratres noscuntur, ambo nimirum ex eodem patre Jove procreati: hic quidem Maiâ genitrice, ille vero Latonâ Cœi Titanis filiâ, ut supra jam dictum.

13. *Hic bellum lacrymosum, &c.*) Apollo Deus averruncus prece vestra permotus in hostes depellet impendentia nobis mala. *Bellum* matribus filios amittentibus ac deflentibus detestatum, ut est Od. 1. *Famem*, qua nihil miserabilius, cum proprios aliquando filios parentes comederint, urgente fame. *Pestem* denique e fame sæpius exortam; tria nempe mala omnium maxime formidanda.

15. *In Persas ac Britannos.*) Ab Augusto Cæsare feliciter Rempublicam administrante Phœbus dicta svertet mala in hostes populi Romani. *Persas*, qui pro Parthis hic positi videntur; quos ille per Ventidium legatum subegit: Suetnn. Flor. *Britannos*, hodie *Anglos*, de quibus Virgil. Eclog. 1.

*Toto divisos orbe Britannos.*

ODE

Digitized by Google

# ODE XXII.

*Innocentiam ubique tutam esse.*

Integer vitæ, ſcelerisque purus
Non eget Mauri jaculis, neque arcu,
Nec venenatis gravidâ ſagittis,
Fusce, pharetrâ.
Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

## INTERPRETATIO.

O *Fusce*, quisquis *innocenter vivit & sine criminе, non habet opus Maurorum telis, nec arcu, nec pharetra plena sagittis toxico infecta. Seu ambulet per Syrtes fervidas, seu per Caucasum hospitibus carentem, seu per regiones quas alluit Hydaspes fabulis celebratus. Enim-*

## ANNOTATIONES.

Metrom idem qood Ode 2.

Eidem hanc Oden, atqoe Epistolam decimam ejusdem fere argumenti scribit Horatius, Aristio-Fusco, viro probo, Grammatico, amico. Apud bonum morum integritatem laodat: amico declinatum a se vitæ pericolum significat; Philologo dictionum & verborum elegantiâ studiose velificatur. Hæc tria, Lector, observa, dum ego cætera persequor.

2. *Non eget Mauri jaculis, &c.*) Vir Innocens sua satis probitate tutus, armis non eget, quibus arcest quævis pericula. *Mauri*. Quidam legunt *Mauris*. Hi jaculatores eximii pedem efferre domo vix audent sine telis, ob frequentiam ferarum, a qoibos discrimeo imminet. Herodiao. Ælian. lib. 14. de animal. cap. 5. Mauritania Africæ regio Barbarica, ubi oune Regna Fesianum, Marochium, Tremissenum, Algerianum.

3. *Venenatis sagittis.*) Plin. lib. 18. cap. 1. *Quod animal tela sua, excepto homine, venenis tingit. Nos & sagittas ungimus, ac ferro ipsi nocentius aliquid damus ...... a nullo animalium, præter hominem, veneno pugnatur alieno.* Vide Cœl. Rhodig. lib. 23. cap. 10. ubi de multiplici ratione tela veneno imbuendi plura.

5. *Syrtes æstuosas.*). Non de Syrtibus maritimis hic agitor; sed de arenosis iis locis Africæ, apud Libyam, Solis ardore sabuliqoe siccitate æstoantibus seu fervidis, per quæ iter fieri nequit nisi ex siderum observatione, & eum magno quidem vitæ periculo, tum a feris, venenosisqoe animalibus, cum ob volubiles arenæ cumolos, qoos ventos tollit ac transfert. Prudent. in Apotheosi, cap. 4. adversus Judæos.

*Nec responsa refert Libycis in Syrtibus Ammon.*

6. *Inhospitalem Caucasum.*) Asiæ montem altissimum atque celebratissimum, vel ob Prometheum, quem ibi fabulantor vinctum, ejusque jecur ab aquila perpetuo arrodi. *Inhospitalem*, ob nives assiduas inhabitatum, item ob scopulos, onde Virgil. Æn. 4.

*cautibus horrens*
*Caucasus.*

Mons ille inter duo maria Caspium & Euxinom, tantæ fertur altitudinis, ut ejus vertex ad tertiam noctis partem Solis radiis illostretor. Vide Arist. Meteor. 1. c. 3. Quint. Curt. lib. 7. ejos pars a quibusdam creditur mons Ararath versus Armeniam, in quo post diluvium quievit arca Noe.

7. *Vel quæ loca fabulosus lambit Hydaspes.*) Per Indiam nimirum. Duplex est Hydaspes fluvius in Asia: Alter Medos alloit, & hinc Georg. 4. dicitur *Medus Hydaspes*: alter Indiam citeriorem irrigat, hodie *Rouvey*, fuitqoe terminus victoriarum Alexandri Magni; in Indum illabitur, apud Nysam orbem: onde a Lucano lib. 8. vocator *Nysæus Hydaspes*. Hic porro nuncupatur *fabulosus*, quoniam multa de illo fabulantur; ut quod arenam volvat auream; quod gemmas ferat: unde *aurifer* Claudiano, *gemmifer* Sen. Trag. in Medea appellatur: quod tanto sonitu vortices agat, ondas collidat, spumas attollat, ut non sine trepidatione procul aspiciatur atque remiges Alexandri Magni reddiderit attonitos ac stupentes, ipsis etiam gobernatoribus rei novitate suspensis. Arriao. lib. 6. paulo post initium.

Namque me sylva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen, & ultra
Terminum curis vagor expeditus,
Fugit inermem:
Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit esculetis,
Nec Jubæ tellus generat, Leonum
Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor æstivâ recreatur aurâ:
Quod latus mundi nebulæ, malusque
Jupiter urget:

## INTERPRETATIO.

*vere nuper in Sabina silva, dum canerem Lalagen meam* amicam, *atque præter limites exerrarem liber* ab omni *sollicitudine, armis* licet *destitutum, vitavit me lupus: quale monstrum haud nutrit Apulia bellicosa in patentibus esculetis, nec gignit terra Jubæ sicca leonum altrix. Colloca me in agris sterilibus, ubi nulla arbor fovetur tepenti aere; quam orbis partem infestant nubila, & malignus Jupiter: Con-*

## ANNOTATIONES.

9. *Sabina.*) Hæc Italiæ ragio pridem Latium inter Umbriam atqua Hatruriam adhuc nomen servat, sed angustioras habat fines, inditiona Pontificis continatur.

10. *Dum meam canto Lalagen.*) Dum meditor & compono de amoribus muis in Lalagen versus & carmen; *& ultra terminum vagor:* dum œstro poetico & amatorio abreptus in sylvam aliquanto longius progredior, non advurtans incidi in lupum *ingentem* & magnitudina portentosum, qui tamen non modo non læsit, sed sponte me sicut *inermem fugit.*

11. *Curis expeditus.*) Quidam lagunt, *expeditis*, perinde est.

12. *Fugit inermem.*) Meam reveritus innocentiam, non armis territus ille lupus cessit fugitque, inquit Poeta. S. Aug. lib. 1. contra Julianum: *omnes bestiæ*, inquit; *ante peccatum homini erant subjectæ. Quod autem nunc nocent, pœna primi est peccati. A principatu decidimus, a fiducia, & honore.* Ille quidem principatus utcumque est restitutus, post diluvium Deo sic Noa & filiis ejus loquenta, Genes. c. 9. *sit terror vester ac tremor super cuncta animalia terræ:* unde S. Ambr. Epist. 38. *feræ suos morsus sæpe suspenderunt revocantes seu voce humana. Leones ipsos vidimus, si vox hominis resultaris, prædam dimittere: pardos & ursos incitari ac revocari vocibus.* At cum sanctitate morum ac vitæ integritate, ad priorem innocentiam atque ad planam apud Deum gratiam homo redit, tum certe bestiis, ut in falici quondam illo statu, dominatur plane & ad arbitrium. Sic leones in eremo dejecta cervice ad S. Antonium accedentes ejus manus ac pedes lingabant: Serpens Hilarioni morem gessit, duo dracones Ammoni, crocodilus Helenæ, leæna Joanni Abbati, hyæna Macario Alexandrino, &c.

13. *Quale portentum, &c.*) Talis ac tantus erat lupus iste, ut major haud occurrat bellua sive in Apuliæ silvis, sive in Libyæ desertis.

*Militaris Daunia.*) A Dauno Rege, Diomedis, aut ajunt, socero, Daunia dicta est olim Italiæ regio quædam in Apulia, hodie *la Capitanata:* alluitur Adriatico mari, regni pars est Neapolitani. Synecdoch. Vide Plin. lib. 3. c. 11. & alibi. *Militaris*, aptos habens militiæ viros bene multos.

14. *In latis esculetis.*) In late patentibus silvis, quæ consitæ sunt esculis arboribus glandiferis: Plin. lib. 16. *Jovi sacris*. lib. 12. cap. 1. *arborum genera Numinibus dicata* . . . *Jovi esculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus.*

15. *Nec Juba tellus.*) Mauritania, in qua regnavit Juba, qui Pompejo addictus, Cæsari primum acriter restitit, & ab eo tandem debellatus est. Plutarc. in Cæsare. Synecdoch. ponitur pro Africa, cujus est pars versus Occidentem. Plin. lib. 5. c. 1.

*Leonum arida nutrix.*) Tum arenarum siccitate, tum etiam aquarum penuria laborat & arescit tota illa regio: leones aliasque feras innumerabiles gignit. Vide Plin. lib. 8. cap. 16. ubi inter alia multa, sic ait initio quidem: *Leoni præcipua generositas, tunc cum colla armosque vestiunt jubæ* .... *Africa hæc maxime spectat, inopia aquarum ad paucos amnes congregantibus se feris. Ideo multiformes ibi animalium partus* . . . . *unde vulgare dictum: Semper aliquid novi afferre Africam.* Vide & Cœl. Rhodig. lib. 13. c. 8. & 19. ubi de leonum natura quæpiam disserit non spernenda.

17. *Pone me, pigris ubi nulla, &c.*) Ergo intrepidus ubique futuro & securus, utiamsi me ponas in terris horrorem incutientibus vel ob nimium frigus, vel ob æstum intolerabilem.

Pone sub curru nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata,
Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem.

INTERPRETATIO.

*stitue me sub curru Solis nimis vicini, in regione ædificiis carente, ubicumque diligam Lalagen suaviter arridentem, suaviter & verba facientem.*

ANNOTATIONES.

*Ubi nulla campis arbor, &c.* ) Apud utrumque mundi Polum Arcticum, & Antarcticum, ubi assiduum prope gelu terras facit steriles: longioreque Solis absentiâ, per sex nempe circiter menses, *pigri* manent *campi*, *arborque nulla* crescit, ubi *non æstiva recreatur aura:* benigno scilicet eo tepore, quo plantis incrementum ac fœcunditas præstatur. Hoc etiam *latus mundi* infestant semper *nebulæ*, quippe quas non discutit Sol; *malusque Jupiter urget*, id est, rigidum, insalubre, graveque cælum; seu aer numquam serenus & clemens. Ovid.

*Triste solum, sterilis sine fruge, sine arbore tellus.*

*Frigus iners, illic habitant pallorque tremorque.*

21. *Pone sub curru nimium, &c.* ) In Zona torrida, inter utrumque Tropicum, ubi Sol *nimium propinquus* terras adurit, nullosque proinde incolas ac domicilia permittit.
Ovid. Metamorph. 1.

*Quarum quæ media est non est habitabilis æstu.* In eo scilicet errore versati sunt antiqui, quo nos levarunt ii qui navigando peragrandoque totum orbem lustrarunt, habitatoresque non deesse iis in plagis viderunt, quas inhabitatas olim existimavere. Neque est immodicus illic æstus, quem valde temperari constat noctium dierumque æqualium longitudine. Adde quod ait Justinus lib. 2. initio: *Naturam, cum primum incrementa caloris ac frigoris regionibus distinxit, statim ad locorum patientiam animalia quoque generasse: sed & arborum atque frugum pro regionum conditione apte genera variata.* Compertum itaque modo est & salubrem satis aerem, & frequentes adesse populos in regionibus Æquatori subjectis ac vicinis: ver. gr. in insulis Java, Sumatrâ, Borneo, Maldivis, Delphina, seu Madagascaria: &c. In continentibus vero terris, apud Malacam, in Asia; Guineam in Africa, in America vero, apud Castellam auream, Guajanam, Peruviam, &c.

## *AD CHLOEN.*

# ODE XXIII.

*Ut jam nubilis haud ita viros fugiat.*

1 Vitas hinnuleo me similis, Chloe,
Quærenti pavidam montibus aviis
Matrem, non sine vano.

INTERPRETATIO.

O *Chloe, me fugis velut hinnulus timidam parentem requirens per montium devia, haud abs-*

ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 5.

Arguit Horatius in Chloe id quod in ingenua maxime laudandum puella videri debeat. At proprie tum Veneri litat, cum queritur quod illa jam grandior non audeat absente matre virum se alloqui, sermonesque miscere.

1. *Vitas.* ) Quibusdam placet *vitat*. Verum, ut bene monet Theodorus Marcilius, Flaccum velle *vitas*, liquet, cum subjungit, *atqui non ego te, &c.*

*Hinnuleo similis.* ) Tam meticulosa quam hinnulus, cervi, damæ, aut capreoli pullus, a matre præsertim abstractus.

*Chloe.* ) Nomen adolescentulæ conveniens. Nam χλόη est herba virens.

2. *Quærenti pavidam matrem.* ) A qua exerravit. *Pavidam*, cerva enim semper timet, ejusque in fuga securitatem natura constituit, tum a venatoribus, cum a feris.

Aurarum & silvæ metu.
Nam seu mobilibus veris inhorruit
Ad ventum foliis, seu virides rubum
Dimovere lacertæ,
Et corde & genibus tremit.
Atqui non ego te tigris ut aspera,
Gætulusve leo, frangere persequor.
Tandem desine matrem
Tempestiva sequi viro.

## INTERPRETATIO.

*que inani formidine ventorum ac nemoris. Corde enim ac genibus contremiscit, sive frondes vitis leves aurâ concutiuntur; sive lacerti virides dumum commovent. Verum ego te nequaquam insequor, ut dilacerem quasi tigris violenta, aut leo e Gætulia. Ergo viro matura desine aliquando genitrici inhærere.*

## ANNOTATIONES.

*Montibus aviis.* ) A trita nempe via declinare amant feræ.

4. *Silva.* ) Diæresis. Sic Tibull. Eleg. 10. lib. 1.

*dissoluisse comas.*

5. *Nam seu mobilibus vitis inhorruit ad ventum foliis.* ) Hanc in interpretatione secutus sum lectionem, quæ Mureti est atque Scaligeri: quamquam non satisfacit. Quid enim hinnulo per nemus cervam matrem quærenti, cum vite? Legunt vulgo: *nam seu mobilibus veris inhorruit adventus foliis*: ut sit hypallage; pro, seu folia veris adventu inhorruere mota, scilicet vento quolibet tenui, puta Zephyro. Quod nec omnino placet. Quid si referatur ad vocem antecedentem, *silvæ*; legamusque, planiori certe sensu ac sententia: *seu mobilibus veris inhorruit ad ventum foliis*: id est; seu motis foliis silva inhorruit ad ventum levem, Zephyrum nempe veris comitem. Vel *seu mobilibus veris inhorruit adventu foliis*: id est; seu tremuit silva foliis motis veris adventu, flante Zephyro nimirum.

6. *Seu virides rubum dimovere lacertæ.* ) Sive latentes in rubo lacertæ, discurrendo strepitum edidere, tantulum commoventes fruticem & spinas: tum vero hinnuleus trepidat, cor palpitat, & genua labant. De lacertis vide Plin. lib. 8. cap. 39. & alibi.

9. *Atqui non ego te tigris ut aspera, &c.* ) Ego non nocendi, sed amandi cupiditate persequor te, Chloe: cur me fugis?

Apud Ovid. Apollo Daphnen insequens:

*Nympha precor Peneia, mane: non insequor hostis:*
*Nympha mane. Sic agna lupum, sic cerva leonem,*
*Sic fugiunt aquilam penna trepidante columbæ.*

*Tigris ut aspera.* ) Hujus tanta fertur crudelitas, ut sponte hominem petat, cum reliquæ feræ, nisi fames aut ira stimulet, ultro fugiant. Plin. lib. 8. cap. 18. *Tigrin Hircani & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ, &c.*

*Gætulusve leo.* ) *Gætulia tenus ad flumen Nigrim, qui Africam ab Æthiopia dirimit*: inquit Plin. lib. 5. cap. 4. lib. vero 8. cap. 16. *leoni tantum ex feris clementia in supplices: prostratis parcit: & ubi sævit, in viros prius quam in fœminas fremit: infantes non nisi magna fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum. Captivam certe Gætuliæ reducem audivi, multorum in sylvis impetum a se mitigatum alloquio, ausam dicere se fœminam, profugam, infirmam, supplicem animalis omnium generosissimi cæterisque imperantis, indignam ejus gloriâ prædam. Varia circa hæc opinio, &c.* Gætulia Libyæ interioris regio, hodie *Biledulgerid*; magnam habere ferarum copiam a nemine ignoratur.

*Frangere persequor.* ) Phrasis Græca.



Digitized by Google

## AD VIRGILIUM.

# ODE XXIV.

*De Morte Quintilii Vari.*

Quis desiderio sit pudor, aut modus
Tam chari capitis? Præcipe lugubres
Cantus, Melpomene; cui liquidam pater
Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget? Cui pudor, & justitiæ soror
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando ullum invenient parem?

### INTERPRETATIO.

*Quæ sit verêcundia, vel finis dolori*, ob jacturam *viri adeo dilecti? Doce querulum carmen, o Melpomene, cui genitor impertivit amœnam vocem cum lyra. An igitur sempiternus Varum somnus occupat? Cui verecundia, atque integra fides justitiæ germana, & veritas simplex, quando reperient similem quemquam?*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 6.

Suas Horatius querelas jungit lacrymis & querimoniis Virgilii dilectum caput morte sublatum deflentis; ejusque dolorem dividit artificiose quidem, ut imminuat atque consoletur. Vult Sigonius prosopopœjam esse & dialogum Virgilii & Melpomenes, quos Horatius inducit: illum a Musa consilium opemque implorantem, duabus strophis prioribus: hanc respondentem deinceps & consolantem, ab his verbis, *Multis ille bonis*, &c. Sigon. emendat. lib. 2.

1. *Quis desiderio sit pudor*, &c.) Quem dolere pudeat, quia luctui modum putet adhibendum, amisso tam charo capite; Seneca tamen Epist. 100. sic præcipit: *Est aliquis & dolendi decor: hic sapienti servandus est: & quemadmodum in cæteris rebus; ita & in lacrymis aliquid sat est. Imprudentium ut gaudia, sic dolores exundavere. Æquo animo excipe necessaria.*

*Chari capitis.*) Eam dicendi formam Græcia Homeroque imprimis amatam notat Eustath. Sic Odyss. Penelope de absente Ulysse:

Τοίην κεφαλὴν ποθέω Τ.. χρι φίλη κεφαλή.

*Tale caput desidero*, *Teucer*, *charum caput*. Hanc & Latini usurparunt: *lepidum caput*, &c.

*Præcipe lugubres*, &c.) Quidam legunt, *lugubris*, & subaudiunt, *Dea*; hoc sensu: o Melpomene lugubris cantûs Dea, præcipe modum lugendi tam dilectum caput. Hanc vero Musam præ cæteris invocat, utpote inventricem Tragœdiæ, rebusque mœrtis præsidentem. Auson. Eidyl. 20.

*Melpomene Tragico proclamat mœsta boatu.*

3. *Cui liquidam pater vocem*, &c.) Musæ sunt filiæ Jovis & Mnamorynæ. Melpomene a cantus suavitate dicta: *μέλπομαι cano*. *Liquidam*, suavem, dulciter fluentem. Macrob. lib. 6. cap. 3. ex Hortio Poeta:

*si mihi linguæ
Centum, atque ora sient totidem, vocesque liquatæ.*

Pers. Sat. 1. v. 35.

*plorabile si quid eliquat.*

5. *Ergo Quintilium*, &c.) Exclamatio gravis index doloris. Sic amici luctum luctu suo evincere conatur; sic & illabitur in ejus animum, ut majorem habens fidem solatium facilius admittat, imo & aliquantulam objurgationem. Sic bene utitur Poeta consilio a Musa, quam statim invocavit, accepto.

*Quintilium.*) Vel Cremonenrem illum Virgilii atque Horatii amicum, cujus meminit Euseb. Chron. Olymp. 189. vel præfectum Romani exercitus, qui cum tribus legionthus atque auxiliaribus copiis cæsus in Germania ab Aruiniq Germanorum Rege. Dio lib. 56. Sueton. August. cap. 23.

*Perpetuus sopor.*) Sic & *longus somnus*, pro morte, lib. 3. Od. 11. v. 38.

6. *Cui pudor*, &c.) Breve, sed ingens Quintilii elogium. *Pudor*, quem Tull. de finibus 2. *moderatorem cupiditatis* appellat. Hinc & de orat. 2. n. 222. Crassum ita laudat: *fuit mirificus quidam in Crasso pudor.*

*Justitiæ soror incorrupta fides.*) Ex Platone justitia cum in Deos observatur, vocatur pietas; fides autem, cum erga homines. Tull. Offic. 1. n. 23. *fundamentum justitiæ fides.* Et Partit. orat. *justitia erga Deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas; creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur.*

7. *Nudaque veritas.*) Cujus *magna vis, quæ contra hominum calliditatem & solertiam se per*

se

Digitized by Google

Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior quam tibi, Virgili.
Tu frustra pius, heu, non ita creditum
Poscis Quintilium Deos.
Quod si Threicio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virgâ semel horridâ
Non lenis precibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum: sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

## INTERPRETATIO.

*Is certe plurimis occubuit probis lugendus:* at *nemini magis quam tibi, Maro. Tu religiosus incassum, eheu! Quintilium repetis a Numinibus, haud sic concessum. Etiamsi dulcius, quam Thrax Orpheus, chordam pulses arboribus auscultatam, minime tamen vita reddatur inani simulacro, quod tremendo semel caduceo ad turbam atram aggregarit Mercurius nequaquam facilis exorari, ut fata rescindat.* Grave quidem est illud: *at tolerabilius ferendo efficitur quodcumque immutare haud licet.*

## ANNOTATIONES.

*se ipsa defendunt*, ut ait Tull. pro Cœlio, & Offic. I. n. 109. *sunt alii simplices & aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici.*

9 *Multis ille bonis, &c.*) Legunt alii: *Multis ille quidem, &c. nulli flebilior quam tibi, Virgili:* utpote vir bonus, amicus, cognatus.

11. *Tu frustra pius, &c.*) Jam castigare incipit leniter immoderatum amici luctum: *non ita creditum*, id est, non ea lege ut non moreretur. Scilicet quæ donantur non solent repeti: at quæ credita & commissa sunt, cum libuerit repetuntur. Quintilius ita creditus nobis ad tempus, tandem sine injuria eripitur: imo tum creditor utitur jure suo. Vide ergo, Virgili, ne cum poscis Quintilium Deos, videare non solum pius heu frustra, sed & præpostere, atque in Deos iniquus. Lucret. lib. 3. sub finem:

*Vitaque mancipio nulli datur; omnibus usu.*

13. *Quod si Threicio.*) Alii legunt, *quid si*. Alii: *quo si*. Et pro, *non*, interrogative *num*. *Threicio blandius Orpheo, &c.* Adverte comparationem Virgilii cum Orpheo. Sensus est: nosti Orpheum arboribus cantus suavitate pertractis, a se demolcendum etiam sperasse Inferorum tyrannum, ut Eurydicem uxorem morte ablatam redderet; sed irrito & inani conatu: sic tu etsi vincas Orpheum carminis dulcedine, haud tamen flectas Numina, ut Quintilium restituant.

15. *Non vana redeat sanguis imagini.*) Non vita redeat mortuo, non anima remittatur in corpus exanime. Itaque *vanam imaginem* interpretari libet hominis umbram, manes... Virgil. Æneid. 4. v. 654.

*Et nunc magna mei sub terras ibit imago.*

Et Æneid. 6. v. 292.

*Et ni docta comes tenues sine corpore vitas*
*Admoneat volitare cava sub imagine formæ.*

*Sanguis.*) Vita Æneid. 9. v. 349.

*Purpuream vomit ille animam.*

16. *Quam virgâ semel, &c.*) De caduceo Mercurii, ejusque animas deducendi potestate, vide supra Ode 10. v. 18.

17. *Non lenis precibus fata recludere.*) Virgil. Georgic. 4. v. 469. de Orpheo:

*Manesque adiit, regemque tremendum,*
*Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.*

Æneid. 6. v. 376.

*Desine fata Deûm flecti sperare precando.*

18. *Nigro compulerit gregi.*) Cæteris Manibus aggregarit, & ad Plutonem perduxerit.

19. *Levius fit patientia quidquid, &c.*) Euripid. Phœniss. δεῖ φέρειν τὰ τῶν θεῶν. Senec. *optimum est pati quod emendare non possis.* Plaut. Captiv. *actes id pati æque animo: si id feceris, levior labos erit.*

Virgil. Æneid. 5.

*superanda omnis fortuna ferendo est.*

Ovid. Metamorph. 8.

*paupertatemque ferendo*
*Effecere levem.*

Contra vero, quisquis mala necessaria impatienter & inique fert, quid aliud, quam novum sibi dolorem creat, & malum malo addit? Ejusmodi hominem, qui communia cunctis mortalibus incommoda respuit, egregie suggillat Juvenalis, & *gallinæ filium albæ*, per ludibrium vocat, Sat. 13. v. 141.

# ODE XXV.

*Lydiæ jam vetulæ amatoribus carenti insultat.*

Parcius junctas quatiunt fenestras
Ictibus crebris juvenes protervi,
Nec tibi somnos adimunt: amatque
Janua limen:
Quæ prius multum faciles movebat
Cardines. Audis minus & minus jam:
Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?
Invicem mœchos anus arrogantes
Flebis, in solo levis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento:

## INTERPRETATIO.

*Fenestras* tuas *clausas varius* modo *verberibus impetant adolescentes procaces: neque tibi soporem auferunt; jamque limini adhærent fores, quæ antea valde volubiles agebant cardines. Infrequentius deinceps & infrequentius audis:* dum *ego tuus pereo, Lydia, quiescis longis noctibus? Jam vetula plorabis vicissim adulteros superbos, contempta in angiportu deserto; dum Thrax ventus sævit gravius circa Lunæ intermenstrua;*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 2.

*Parcius junctas quatiunt, &c.* Solebant juvenes meretricum fores ac fenestras lapidibus quatere, noctu quidem, ut aperire cogerent, seque admittere. Vide plura Annot. ad Od. 10. & 26. lib. 3.

3. *Amatque janua limen.*) Janua vix discedit a limine, illudque videtur amare: jocus amarulentus, quo significatur raro januam aperiri, paucis adeuntibus, Lydiamque annis deflorescentem cunctis fastidientibus.

5. *Quæ prius multum faciles movebat cardines.*) Usu nempe assiduo volubilis erat cardo, vel bene unctus haud strepebat, atque ut ait Plautus, *lepidus non mutiebat, dum aperirentur ædes festivissimæ;* & paulo antea, *bellissimum herele & tacitarnissimum ostium, quod nunquam ullum verbum mutit, cumque aperitur, tacet; cumque noctu clanculum exit meretricula, tacet.* Curcul. Scen. 1. Item, *placide egredere, sonitum prohibe forum, & crepitum cardinum ... suffundam aquulam.* Ib. Sen. 3. init.

6. *Audis minus & minus jam, &c.*) Minus minusque in dies ad te mœchi ventitant: pauciores jam habes amatores, qui occentent fores tuas, id est, ante illas cantiones amatorias canant; qualis est Ode 10. lib. 3. qualis & hæc: *me tuo longas pereunte noctes, Lydia, dormis:* id est, me præ amore tuo contabescente, somnumque haud capiente, altum dormis: tu quieta valde stertis longas noctes, dum inquietum me sollicitumque tui desiderium excitat & vigilare cogit..

7. *Longas noctes.*) Exspectanti nimirum & desideranti longum semper videtur tempus.

9. *Invicem mœchos anus arrogantes flebis, &c.*) Tandem vices tum adventarunt: olim flore juventutis ac formæ superba depereuntes te ridebas adolescentes virosque quoslibet: jam anus facta frustra lucrum & mœchos quæres: hi vero te senio deformatam spernent arrogantes. Ovid. 3. de Art. Amand.

*Tempus erit quo tu, quos nunc excludis amantes,*
*Frigida desertâ nocte jacebis anus.*

10. *In solo levis angiportu.*) Vaga, observans si quis triobolaris agaso commeet ad te: vel, amans leviter, juvenili more, & flens te despici: vel nullius pretii, jamque ab omnibus relicta, *in angiportu* solitario, & a paucissimis frequentato.

11. *Thracio bacchante magis, &c.*) Tumque frigidum perpetiera ventum: & sicut olim tui amatores eo algentes vidisti, & contempsisti: ita nunc alii te ridebunt sub dio pernoctantem. *Thracio vento*: hic respectu Græciæ Septentrionalis est: adde quod regio perquam frigida est Thracia: unde & officina ventorum appellata: atque in ea regnasse Aquilo fertur; hinc apud Græcos Poetas, Thracius ventus, pro Aquilone passim usurpatur. Latini vero eam quoque dictionem imitati sunt, quanquam improprie & [illegible]; quandoquidem ventus Septentrionalis in Italiam nequaquam a Thracia venit. Epod. 13.

Nam

Digitized by Google

Cum tibi flagrans amor, & libido,
Quæ solet matres furiare equorum,
Sæviet circa jecur ulcerosum,
Non sine questu:
Læta quod pubes hederâ virenti
Gaudeat, pulla magis atque myrto,
Aridas frondes hyemis sodali
Dedicet Hebro.

## INTERPRETATIO.

*quando libidinosus ardor, qui suevit equas reddere furiosas, inflammabitur ad hepar tuum ulceribus plenum, haud absque luctu: eo quod juventus hilaris hedera virenti myrteque subnigra lætetur amplius; sicca vero folia consecret Hebro hyemis socio.*

## ANNOTATIONES.

*Nunc mare, nunc silva*
*Threicio Aquilone sonant, &c.*

*Bacchante magis sub interlunia.*) Eo tempore quod intercedit inter duas Lunas, veterem & novam; id est, cum Luna non apparet, tum crebræ sunt tempestates, & frigidiores vehementioresque venti. Theoph. libello de ventis. χειμεριώτεροι τῶν μηνῶν αἱ σύνοδοι *Interlunia*: Plinius lib. 16. cap. 36. *Interlunium alii Lunæ coitum* (quia nempe tunc Sol cum Luna conjungitur & congreditur: Græci σύνοδον vel συνόδιον) *alii silentis Lunæ appellant*: & lib. 18. cap. 32. *in coitu, quod inter interlunium vocant, cum apparere desierit*. Hoc porro Virg. Lunæ silentium; Apul. illunium, Varro intermenstruum nuncupat. Lege, si vacat, Cœl. Rhodig. lib. 20. cap. 32.

14. *Quæ solet matres furiare equorum.*) Rem explicat Virgil. Georg. 3. v. 266.

*Scilicet ante omnes furor est insignis equarum:*
*Et mentem Venus ipsa dedit, &c.*

Prudent. lib. 1. contra Symmachum:

*Advena quos profugus gignens, & equina libido*
*Incutit Italiæ: Tuscis namque ille puellis*
*Primus adhinnivit, simulato numine mœchus.*

Hoc etiam pertinet audax & elegans ea dictio, quam in Pisonem adhibet Tullius: *Itaque admissarius iste, simul atque audivit a Philosopho voluptatem tantopere laudari, nihil expiscatus est: sic suos sensus voluptarios omnes incitavit, sic ad illius hanc orationem adhinnivit, ut non magistrum virtutis, sed auctorem libidinis a se illum inventum arbitraretur.*

15. *Sæviet circa jecur ulcerosum.*) Cum te libidinis aget furor talis qualis esse solet equina, inflammabitque jecur tuum; tum certe miram in modum discruciabere. *Jecur*, in quo amoris sedes est atque libidinis; ex Platone & aliis. *Ulcerosum*, intus libidine multa saucium, tectisque ulceribus corruptum. Non. Marcell. *ulcus*, inquit, *tecta est & clausa malignitas*. Et Servius ex Varrone, *vitium obscœna libidinis ulcus vocatur*.

16. *Non sine questu: læta quod pubes, &c.*) Neque poteris dolorem continere quin erumpat in querimoniam, quod juvenes vetulam te fastidiant, marcescentem posthabeant; adolescentulas autem ætate virentes sectentur.

17. *Hederâ virenti gaudeat atque myrto.*) Apposite comparat juvenculas cum *hedera*, quæ facile adhærescit, & *sequax* vocatur a Persio in Prologo: item cum *myrto*, quæ Veneri sacra est: cujus etiam color nigricans & constans est, & quod veteribus in formosis laudabatur, eabibet, teste nostro Poeta in Epist. ad Pisones, v. 37.

*Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.*

19. *Aridas frondes, &c.*) Vetulas cute contracta & rugosa arescentes non pluris faciat, quam aridas frondes arborum flumini adsitarum.

20. *Dedicet Hebro.*) Sponte relinquat, oblivioni tradat ac devoveat non secus ac decidentes in flumen frondes circa autumnum. *Hyemis sodali*, ob regionis illius frigus asperrimum, ut ante dixi. Hebrus enim ex Hæmo fluens monte, Thraciam perfundit, ac in Ægæum mare delabitur. Indicat Horatius vultum mulieris jam marcidum non longe abesse a senili fœditate ac deformitate, quæ cum hyeme similitudinem habet. Quidam legunt, *Euro*: ut indicetur vilitas ac levitas scorti vetuli, per folia Euro vento seu quovis alio velut ad ludibrium volvi rapique solita. Scaliger mavult, *igni*: multaque in hac Ode carpit, at profecto κακοζήλως toties lilasse videatur. Judex sit literator quisque. En ejus reprehensionis capita. Sic igitur ille: *Vicesima quinta in humili genere dicendi est. Illa duo membra sine copula non cohærent:*

*Audis minus & minus jam:*
*Me tuo longas pereunte noctes,*
*Lydia dormis?*

*Neque satis mollis illa locutio:* flebis mœchos arrogantes, *nisi addas* effectos.
*Levem pro unda videtur posuisse, satis dure.*
*Illa quoque omnia*, bacchante magis sub interlunia vento, *videntur esse, annum epithetum Boreæ: alioqui ipso Borea frigidiora sunt.*
Ulcerosum, *non servit potius jecori indicando, quam metro sustinendo.*

Tu Lector erudite, hinc jam infers, sine affectu esse oportere omnem Aristarchum: intelligisque quam Censoriâ dignus interdum virgâ sit magnus quisque Censor.

ODE

Digitized by Google

# ODE XXVI.

*Ælium Lamiam egregie laudat.*

Musis amicus, tristitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis: quis sub Arcto
Rex gelidæ metuatur oræ:
Quid Tiridatem terreat, unice
Securus. O quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,

## INTERPRETATIO.

*Ego Musis charus ægritudinem ac timores dabo procacibus ventis deferre in mare Creticum: nequaquam sollicitus, quis ad polum Arcticum regionis frigidæ tyrannus timeatur, quidve Tiridati formidinem incutiat. O Pimplea suavis, quæ puris fontibus delectaris, apricos flores collige, coronam texe meo Lamiæ.*

## ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 9.

1. *Musis amicus, &c.*) Poleram init Horatios laudandi viam, quæqua a trita imperitorum consuetudine longa recedst. Illi si laudum quidem acervum congesserint, bella sa fecisse existimant. At ingeniosus Poeta Lamiam arta nova celebrat. Primo curâ liberum se ab omni jubet esse: tum se convertit ad Musam, quasi minus idoneum tanto se operi intelligat: illamque obtestatur, ut Lamiæ coronam paret, hoc est, eum consecret immortalitati. Hæc bena ut omnia notavit Parthenius Horatii adversus maledicos acerrimus vindax.

*Musis amicus.*) Nimirum quisquis Musas colit, earum præsidio tutus ac lætus semper esse debet: nemo vero iis sedulam potest operam navare, quia omnem animi sollicitudinem antea deposuerit.

*Carmina secessum scribentis & otia quærunt.*

2. *Mare Creticum.*) Pro quolibet mari ponitur mare, quod proximum est Cretæ insulæ magis Mediterranei amplissimæ, quæ hodie *Candia* vocitatur.

3. *Quis sub Arcto.*) Quis dominetur & regnet ad Boream.

*Sub Arcto.*) Sub Ursa: quod cælesta sidus Septentrionale duplex est, Ursa Major, & Minor, quas Græci ἄρκτους nuncupant. Ab his Polus Arcticus dicitur ea pars orbis, quæ axi & Aquiloni propinqua est. Ovid. Fast. 3.

*Esse duas Arctos, quarum Cynosura petatur*
*Sidoniis: Helicen Graja carina notet?*

4. *Gelidæ oræ.*) Ad utrumque polum sævire frigus nemo nescit. Ad Arcticum, mare congelatum seu glaciale, quod anni parte maxima gelu concretum sit, omnibus auditu saltem cognitum. Vide Annot. supra Od. 22. v. 17. & seq. Terræ Arcticæ versus Boream sunt Spitzberga, Groenlandia, nova Dania, Estotilandia, &c. Has vero omnino Boreales non videtur habuisse in animo Horatius, sed potius magis cognitas ipsius ævo, & paulo minus Septentrionales, nempe Britanniam, Scotiam, Germaniam, Daciam, Scythiam, &c.

*Metuatur.*) Respicit fortasse ad duas clades in Germania acceptas de quibus Sueton. Octav. cap. 23.

5. *Quid Tiridatem terreat.*) Is ejecto in exilium Phraate Parthorum rege, nobilitatis unanimi conspiratione in locum ejus fuerat subrogatus: at cum audisset maximo Scytharum auxilio Phraatem juvari ad recuperandum imperium, ita perterritus est, ut ad Augustum relicta Parthia fugerit. Hæc fuse Justin. lib. 42. sub finem. Dio l. 51. & 52. Plutarch. in Antonio, &c.

*Unice securus*). Quidam vocem, *unice*, referant ad verbum *terreat*: alii jungunt cum hac voce; *securus*: id est, singulariter ego & maxime abjeci magnas curas de Republica, & Imperiis exterarum gentium, ut Musis vacem.

6. *O quæ fontibus integris gaudes, &c.*) O Musa tuum est laudare meum Lamiam; meos conatus parum valere intelligo: virum immortali dignum honore a te celebrari convenit. Ergo quod mihi imprudens sumpseram, tu tibi assumas æquum est.

7. *Apricos necte flores.*) Necte coronam ex optimis floribus in aprico nascentibus, quibus exornes pro meritis meum amicum Ælium Lamiam.

9. *Lamia.*) In anno post Horatii mortem octavo Consul fuisse cum M. Servilio dicitur, ann. ab U.C. 755. Corn. Tacit. lib. 6. Annal. circa medium ita scribit: *extremo anni mors Ælii Lamiæ funere Censorio celebrata; qui administranda Syria imagine tandem exsolutus, urbi præfuerat. Genus illi decorum, vivida senectus, & non permissa provincia dignationem addiderat.* Vide Od. 17. lib. 3.

Pimplea dulcis. Nil sine te mei
Prosunt honores. Hunc fidibus novis,
Hunc Lesbio sacrare plectro,
Teque tuasque decet sorores.

INTERPRETATIO.

*Absque te nihil juvant mea laudes. Novis illum cantilenis, illum cithara Lesbia aquum est consecrari cum a te, cum a tuis sororibus.*

ANNOTATIONES.

9. *Pimplea.* ) A Pimpla Macedoniæ monta pariter & fonte Musis sacro, Musæ dictæ sunt Pimpleæ & Pimplaides.

*Nil sine te.* ) Huc pertinet adaginm, *μετὰ μουσῶν*, quo significatur opa Musarum grave quodvis inceptum perfici.

10. *Hunc fidibus novis, &c.* ) Præter solitum magnifico ganare carminis vir tantus immortalitati consecrandus ast.

11. *Lesbio plectro.* ) Carmina Sapphico & Alcaico, vel eximils versibus, qualaa fuera Alcæi & Sapphus, qui in Lesbo Ægæi maria insola nati. Hæc hodia *Metelina*, olim *Misilene*, celebrata ast vini generositate, ubertate soli, cantorum peritia, & ædificandi ratione speciali, e qua natum proverbium, *Lesbia regula*, de quo Aristot. Moral. 5. cum uempe lex ad moras neaommodatur; nun, quod oportet, mores ad lagem. A Lesbiis siquidem ad lapidum figuram plumbea ædificationis regnla dirigebatue: *non* contra. Vide Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 22. & Annut. ad Od. 17. v. 21. supra.

# ODE XXVII.

*Sodales hortatur ne inter potandum rixentur.*

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare, Thracum est: tollite barbarum
Morem; verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibere rixis.
Vino & lucernis Medus acinaces
Immane quantum discrepat. Impium

INTERPRETATIO.

*Thracum est decertare paculis ad hilaritatem idoneis. Rescindita immanem consuetudinem; & cruentas cautentianes a Bacche madesta removete. Persicus gladius mirum quantum distat a mera &*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9.

2. *Thracum est.* ) Hi enim non solum bibacitatis infamia, sed & intar potandum petulantiæ vitio laborabant. Hinc *τελωνάτης*, & *ἀκρατοπόται* dicti Athen. lib. 10. Ibidem & *ὑπερμηκέστατοι ἐρεσιώνες*. c. 12. Ibidem lib. 1. cap. 24. magnam fuisse scribit ob vini præstantiam Thraciæ celebritatem. Vide supra Od. 18. ibique Annot.

*Tollite barbarum morem.* ) Solebant Thraces non solum hianti ora statim vinum bibere, ex Callimacho apud Athen. cit. l. 10. c. 12. sed etiam ferro accincti epulabantur, & quemlibet cogebant æquales bibere cyathos. Quod certe barbarum.

3. *Verecundumque Bacchum.* ) Cum verecundia & moderatione tractandum: alias enim ulciscitur vino abutentes & immodice haurientes furore aliisque malis percutiendo. Supra, Od. 18.

4. *Sanguineis prohibete rixis.* ) De Centaurea cum Lapithis rixa super mero, supra Od. 18. & Virgil. Georg. 2. v. 456.

*Ille furentes
Centauros leto domuit, Rhætumque Pholumque,
Et magna Hylaeum Lapithis cratere minantem.*

5. *Vino & lucernis Medus acinaces, &c.* ) Quid gladio, qoid armis cum hilaritate & epulis? Vide Macrob. l. 7. c. 1. & Plutarch. Sympos. l. 1. c. 4.

*Lucernis.* ) Convivia vespere incipiebant, & in moltam sæpe noctem protrahebantur: ad hæc igitur lucernis opos erat. Quod autam veterea largius cœnarent, quam prandarent, idque recta & ad sanitatam, exponit Cœl. Rhodig. lib. 14. cap. 9. sub finem.

*Medus.* ) Quoniam Medi Persæque vicini, atque uni Cyro paruera: hinc promiscua ponuntur maxima a Poetis.

*Acinaces.* ) Est Persarum hasta pariter & ensis, ex Hesychio & Suida. *Περσικὸν ξίφος ἀκινάκην καλοῦσι*. Herodot. lib. 7. *Persicum ensem acinatem vocant, παρὰ τὴν ἀκὴν*, ob mucronem scilicet & auspidem. Erat igitur acinaces ut & sagaris, Persis ac Medis proprius, sicut pila Romanis, gesa Gallis, gladius Lacedæmoniis, sarissa Macedonibus, lancea Hispanis, falarica Saguntinis, romphæa Thracibus, framea Germanis, sparus rusticis, Theutonicis cataiæ, &c. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 22.

6. *Immane quantum.* ) Cicer. de finib. *nimium quan-*

Digitized by Google

Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso.
Vultis severi me quoque sumere
Partem Falerni? Dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagittâ.
Cessat voluntas? Non aliâ bibam
Mercede. Quæ te cumque domat Venus,
Non erubescendis adurit
Ignibus: ingenuoque semper
Amore peccas. Quidquid habes, age,
Depone tutis auribus. Ah miser,

## INTERPRETATIO.

*tandelis. O socii, cohibete vociferationes execrandas: cubitoque innixi consistite. An jubetis etiam me capere portionem Falerni austeri? Declaret Opuntia Megilla frater, quo felix ictu, quo telo intereat.* Scilicet *renuis?* At *ego non alia conditione potabo. Certa quisquis te amor tenet, haud pudenda incendit flamma: atque liberali semper amore delinquis. Euge, quodcunque tibi sit, fidelibus crede auriculis. Ah infelix quam pravâ*

## ANNOTATIONES.

*quantum*, & de Oratore num. 87. *mirum quantum*. Corn. Tacit. lib. 19. *Flavianus exercitus immane quantum animo exitium Valentis, ut finem belli accepit*. Græci, θαυμαςὸν ὅσον. Plato Epist. 7. &c.

*Impium*.) Mensa res inter sacras numerabatur, ex Plutarch. Sympos. itaque genialem mensam, & convivalem hilaritatem vociferando confundere, impium est. Adde quod sic violatur silentium mensæ & Angeronæ Deæ debitum. Just. Lips. mox citandus. *Angerona* silentii Deæ *sacra mensa habetur*.

8. *Cubito remanete presso*.) Ita compositi veteres mensæ accumbebant, reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta & jacente: capite leviter erecto, dorso pulvillis modice suffulto. J. Lips. antiq. Lect. lib. 3. cap. unico. Cætera notabuntur postea ad istos Horatii locos.

*Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.*

Et

*In cubitum sese conviva reponit.*

9. *Severi Falerni*.) Acrioris, inquiunt, saporis; vel meri, ut placet Theod. Marcilio: alii, veteris. Seneca Epist. 63. *in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo delectat*.

10. *Dicat Opuntiæ, &c.*) Ut rixandi animum a conviviis arceat Horatius, statim læta proponit, imprimisque morem hunc, quo suos quisque amores ex ordine debebat proferre. De eo cit. Lipsius. Inter leges convivii, hæc una est ibidem.

*Dominam si quis habessit, indicium facito.*

Interpres Theocriti ad Idyll. 14. *solebant*, inquit, *merum sumere in symposiis, & nominare aliquos amores aut amicos, tum terra invergere, & pronuntiare amicissimorum nomina*. Nempe & cottabismus illic habebat locum. Sic igitur epuli prægrassu merum poscebant, atque amico vel amicæ libabant, ac bene precabantur. Tibullus.

*Sed, bene Messalam, sua quisque ad pocula dicat.*

*Nomen & absentis singula verba sonent.*

Quin etiam tot cyathos hauriebant, quot literas amici vel amicæ nomen continebat. Martial.

*Nævia sex cyathis, septem Justina bibatur.*

*Opuntiæ frater Megillæ.*) Per notam pulchritudinem Megillam ejus frater indicatur. Oriundi erant ex Opunte Locridis urbe.

11. *Quo beatus vulnere.*) Cujus amore teneatur: qua Cupidinis sagitta percussus langueat, quam virginem aut mulierem deperear. *Beatus*, siquidem redamabatur.

13. *Cessat voluntas.*) Renuebat indicare Horatio Megillæ frater, quam adamaret: at ille monet jus esse convivarum id ab unoquoque sodalium exigere: quare hic statim postea obtemperat, suosque amores, clam tamen, & in aurem declarat.

*Non alia bibam mercede.*) Nisi hanc convivii legem observas, nec aliam ego. Si quæ sit amica tua, recusas aperire; ego quoque more majorum bibere detrectabo. Apud J. Lips. cit. & hæc convivii lex habetur: *a summo ad imum more majorum bibunto*. Item hæc altera: *decem cyathi summa potio sunto*.

14. *Quæ te cumque domat Venus, &c.*) Instat Horatius, ne erubescat ille indicare amasiam; cujus sane amor utpote ingenuæ & honestus sit, & gloriosus: quantum ipse quidem existimabat.

17. *Quidquid habes, depone tutis auribus.* Quisquis sit amor tuus, totò mihi declara fideli arcanorum custodi: clam saltem saltem apesi, si non vis palam: ne dubita mihi secretum committere, quod invito te nunquam revelabo.

18. *Ah miser.*) Ergo Megillæ frater annuit tandem & amicam suam indicat Horatio: at hic audiens quæ sit illa, erumpit in commiserationis voces istas.

Digitized by Google

Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma!
Quæ saga, quis te solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimærâ.

## INTERPRETATIO.

*tam voragine luctaris! O adolescens elementiares amores meritus* fuisti. *Ecqua venefica, quis incantator herbis e Thessalia venenosis, quod Numen te queat expedire?* Ipse *Pegasus implicitum te vix liberabit* ex ista *Chimæra triformi.*

## ANNOTATIONES.

19. *Quanta labaras in Charybdi.* ) Tam periculose amas, quam cum Charybdi luctarere. Scilicet ejusmodi mulierem deperis? Ah miser perlisti: meliori profecto sorte & amore dignus eras. *Charybdi* omnia absorbenti bene comparatur avara meretrix. Cicero Philip. 2. *qua Charybdis tam vorax?* Est proprie vorago, seu gurges vorticosus in freto Siculo, ad Messanam, hodie, *Capo di Faro*, vel *Capo Faro*, ob Pharum illic excitatam. Fabulantur autem scortum fuisse rapacitatem famosum, quod cum Herculis abduxisset boves, a Jove fulminatum, in mare præcipitatum est atque in hanc voraginem mutatum. Virgil. Æneid. 3. v. 420.

*Dextrum Scylla latus, lævum implacata Charybdis*
*Obsidet: atque imo barathri ter gurgite vastos*
*Sorbet in abruptum fluctus, &c.*

Seneca ad Lucilium: *Charybdis an respondeat fabulis, perscribi mihi desidero. Fac nos certiores utrum uno tantum vento agatur in vortices; an omnis tempestas illud mare contorqueat: & an verum sit quicquid illo freti turbine abreptum est, per multa milia trahi.*

21. *Quæ saga, &c.* ) Cum videaris fascino & incantamentis tam pernicioso amori implicitus, vix apparet salutis via. Quis enim te homo magicis artibus pollens, Quis & Deus expedire queat fatali velut nexu astrictum atque illigatum?

*Thessalis magus venenis.* ) Venenatis & ad incantamenta efficacissimis herbis in Thessalia copiose crescentibus. Ajunt nimirum Poetæ, Medeam illac fugientem, aere sublatam, scriniolum veneficiis & herbis magicis plenum dejecisse, sicque sparsa illa pullulasse. Apulejus apud Thessaliam in asinum se mutatum scribit: Metamorph. seu de asino aureo: ibidemque describit veneficarum Thessalarum apparatum, atque, ut ille ait, *feralem officinam*. Vide Plin. lib. 30. c. 1. ubi & refert *Menandrum Thessalam cognominatam fabulam, complexam ambages feminarum detrahentium Lunam*.

23. *Vix illigatum te triformi, &c.* ) ipse Bellerophon qui Pegaso insidens Chimæram interfecit, capite aut forma triplici horrendam, vix te liberabit ab ista praea muliere huic monstro non absimili. Vide infra.

24. *Pegasus.* ) Apud Strab. & Palæphat. Pegasus non est equus, sed navis longa & citissima, hoc ideo nomine insignita, qua Bellerophon insecutus comprehendit & cecidit Lyciorum Ducem, nomine Chimæram, piraticâ infamem, vectum navi, cujus prora leonis, puppis draconis, medium capræ effigiem aut imaginem depictam exhibebat. Hincque fabulæ locus datus; teste etiam Plutarcho, de claris mulieribus.

*Chimæra triformi.* ) Ex Strab. cit. Mons ille Lyciæ ignivomus, in vertice leones, in medio capras, ad radicem serpentes habebat. Hunc vero Bellerophon expurgavit, & inhabitatum prius exinde habitabilem reddidit. Apud fabulatores *Chimæra* est monstrum *triforme*, caput & pedes leonis habens; capræ ventrem, draconis caudam, πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα. Hinc Lucretius lib. 5.

*Prima leo, postrema draco: media ipsa Chimæra.*

Ovid. Metamorph. 9.

*Mediis in partibus hircum,*
*Pectus & ora lea, caudam serpentis habebat.*

Hoc vero Bellerophon Neptuno adjutus, alato equo invectus, sagittis confecit. Lucianus Dial. de Astrol. ait minime sibi persuasum, allatum Bellerophonti equum fuisse: verum putare, illum talis sapientiæ studio deditum, sublimia & quæ ad sidera pertinent meditantem in cœlum ascendisse non equo, sed mente. Vide & Cœl. Rhodig. lib. 13. cap. 9. Porro bene Horatius meretricem cum Chimæra confert. Hujus enim habet illa venenum, fœtorem, feritatem; impuræque libidinis flammas passim eructat. Adde quod amoris principia impetum leonis, medium capræ salacitatem; finis autem doloris morsus velut serpentis ac draconis letiferos nunquam non exerit. Fulgent. Mithol. lib. 3. Chimæræ, tanquam rei quæ nunquam fuit aut esse potuit, meminit Tullius de Natura Deorum lib. 1. num. 109. & ad Attic. lib. 2. Epist. 16. ubi & citat versiculum Græcum, qui supra habetur.



Digitized by Google

# ODE XXVIII.

*Inducitur Archytas naufragus orans nautam prætereuntem ne se insepultum relinquat.*

Te maris & terræ numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent, Archyta,
Pulveris exigui prope litus parva Matinum
Munera: nec quidquam tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

## INTERPRETATIO.

O *Archyta, te qui mare terramque & sabulum innumerabile dimensus es, modici pulveris donum tenue coercet juxta oram Matinam. Nihil ergo proficit tibi mortali*, quod *cælestes regiones lustrasti, ambitumque orbis mente circuisti.*

## ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 7.

1. *Te maris, &c.* ) Idolopœjam insignem simul & irrisionem Pythagoricæ disciplinæ exhibet Horatius, ipse quidem Epicureus: in primis autem carpit Mathematicas artes divinandi. Inducit nautam obvio cadaveri Archytæ non leviter exprobrantem, quod misere jaceat; *nec* Babyloniorum numerorum ope tam dirum fatum evitarit. Ecce vero Jos. Scaliger humilem stilum, interruptaque orationis membra culpat: nimirum hoc vitio dat quod erat laudi vertendum. Agitur de humano cadavere: Archytas sortem suam lamentatur: an non ista decet oratio tenuis? An magniloquentia hic congrueret? At insurgit ille porro: *quid quod tibi Poeta contradicis? &c.* vide infra v. 23.

*Te maris & terra, &c.* ) Alloquitur Poeta Archytam: siccine deest sat pulveris ad operiendum totum cadaver: idque fata negant tibi, qui Geometra egregius Astrologusque & in Pythagorica disciplina perfectus fuisti? Ajunt apud Ægyptios inventam primum Geometriam. Cum enim singulis annis exundaret Nilus, & limo cuncta cuæquaret, ut illo abeunte nulli agrorum limites, nulla discrimina apparerent; atque lites hinc frequentes orirentur: tum demum per lineas & mensuras agri notati sunt: eaque illa sacerdotibus demandata. Hanc porro scientiam ad Græcos transtulisse Pythagoras fertur. Vide Cæl. Rhodig. lib. 18. cap. 34.

*Numeroque carentis arenæ mensorem.* ) Ecclesiastici cap. 1. *arenam maris quis dinumeravit?* Pindar. Olymp. Od. 2. in fine. *ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγε, arena fugit numerum. Mensorem.* Hyperbole. Scilicet, quod erat innumerabile cæteris ipse numerare potuisset. An respicit Horatius ad oraculum Apollinis, quo numerum arenæ sibi notum esse gloriatur; *οἶδα δ' ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης*: an ad librum ab Archimede compositum, cui titulus *Ψαμμίτης*, in quo initur ratio arenam numerandi, si mundus ea foret appletus? Vide Turneb. lib. 26. cap. 5. Hyginus lib. de limitibus: *Archimedem præclari virum ingenii ferunt scripsisse quantum arenarum capere mundus queat, si ea repleretur.*

2. *Archyta* ) Cruquius perperam intelligit quemdam Archytam Firmanum Horatio coævum, geometricis & Astronomicis observationibus nimis indulgentem, de quo Cicero de Divin. 2. *o vim magnam erroris! &c.* Juvat cum cæteris omnibus accipere hic Archytam Tarentinum, Platonis familiarem, & a Dionysii crudelitate vindicem, siquidem illum ob verba quædam de tyrannide liberius prolata neci addictum per epistolam eripuit. Diogen. Laert. lib. 3. & 8. Is præfuit septies suæ civitati, cum tamen imperandi tempus anno esset uno aliis definitum: idem ibidem. Honorificam Archytæ mentionem habet Tullius in Catone majore, *virumque magnum in primis & præclarum* nominat, dicere quidem egregie solitum: *capitaliorem hominibus pestem nullam esse a natura datam, quam corporis voluptatem, cujus avidæ libidines temere & effrænate ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, &c.* Is Pythagoricæ in Philosophis, Platonica in Geometricis præcepta hauserat. Mathematicis & mechanicis artibus excellens, columbam ligneam *libramentis suspensam, & aurâ spiritus inclusâ atque occultâ concitam fecerat volantem.* Gell. lib. 10. cap. 12. Cubum primus invenit, Platone teste in Republ. Diogen. Laert. cit. lib. 8.

3. *Pulveris exigui.* ) Te dignum insigni mausolæo, nempe tot meritis præstantem heu cohibet ac tegit pulvisculus marinis quidem undis advolutus.

*Prope litus Matinum.* ) Ad oram Apuliæ, ubi in Lucaniæ confinio populi degunt Matini: sunt & saltus buxetis abundantes, de quibus Lucanus lib. 9.

*calidi lucent buxeta Matini.*

4. *Nec prodest aerias tentasse domos.* ) Qui factum ut mortis hoc genus miserandum ab astris tibi parari non intellexeris nec effugeris eruditus apprime astronomiâ & mathesi? Quin præscisti & eluctatus es fatum, o Archyta? Sic Astrologos futura prævidere & præjudicare tentantes data semper occasione sugillat Horatius. *Aerias tentasse domos.* Planetarum domicilia, siderum affectiones, virtutes, situs, aspectus, contemplatum fuisse: *animoque rotundum percurrisse polum*, sphæram sphæræque inclinationes, orbis varia climata, diversasque regiones cognovisse.

6. *Moriture.* ) Est qui vocem hanc jungat cum præ-

Digitized by Google

Occidit & Pelopis genitor, conviva Deorum,
Tithonusque remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos admissus: habentque
Tartara Panthoiden iterum Orco
Demissum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora testatus, nihil ultra
Nervos, atque cutem morti concesserat atræ,
Judice te, non sordidus auctor
Naturæ verique. Sed omnes una manet nox:

## INTERPRETATIO.

*Sic & Pelopis obiit pater, Numinum conviva: Tithonus etiam in cælum sublatus: nec non Minos secretorum Jovis particeps: Panthi filius quoque rursum ad Inferos trusus ibidem tenetur; quamquam detracto scuto res Trojanas testificatus, præter nervos & pellem nigro letho nihil tradiderat, te arbitro, non ignobilis testis naturæ & veritatis. Verum nox eadem cunctos exspectat:*

## ANNOTATIONES.

præcedente *animo*, ut ex opinione Epicuri (cujus e grege Horatius) mortales animi asserantur. Ita Plutar. de placitis Philosophorum lib. 4. cap. 7. Ἐπίκουρος τὴν ψυχὴν φθαρτὴν τῷ σώματι συνδιαφθειρομένην.

7. *Occidit & Pelopis genitor.*) Hæc verba quidam & sequentia usque ad ista: *me quoque devexi, &c.* Nautæ esse continua pronuntiant: alii attribuunt Archytæ ad nautam respondenti sic: quid miraris quod interierim, cum nemo summorum virorum hoc usque mortem effugerit? En Pelopis genitor occidit, Tantalus ipse Deorum conviva: &c. Pindar. Olimp. Od. 1. canit si quem mortalium honorarunt Dii, maxime Tantalum.

*Pelopis genitor, &c.*) Tantalus Phrygiæ rex, Agamemnonis & Menelai avus Deos convivio excepit, utque eorum divinitatem experiretur, Pelopem filium iis epulandum apposuit: quas illi dapes exhorruere, detrusoque ad Inferos Tantalo facinus vindicavere. Diodor. Sicul. lib. 6. c. 11. ait, Tantalum Jovis filium divitiis & gloria insignem, apud Asiæ partem quæ Paphlagonia dicitur, Diis etiam charum ob generis claritatem: postea vero felicitate insolentiorem evulgasse hominibus immortalium secreta quæ mensæ communione & consuetudine cum Diis noverat: cujus criminis pœnas solvit ad inferos trusus; ut usque ad mentum insurgant aquæ, & ad labia usque poma dependeant: & tamen in magna siti & fame nec bibere liceat nec edere. Pindar. mox cit. addit, Tantalum suam felicitatem utpote nimiam concoquere non potuisse, sed saturitate damnum tulisse immensum ab ipso Jove patre irrogatum.

8. *Tithonusque remotus in auras.*) Quin & Tithonus Auroræ maritus quamquam ab uxore cælesti succo perfusus, atque ita vivax effectus, fatis tandem concessit. *Remotus in auras*, ab Aurora adamatus & hinc in cælum raptus. Insuper fabulantur Tithonum senectutis incommoda pertæsum in cicadam optavisse converti, sicque adeo transformatum in aere suspensum in canistro fuisse. Eustath. ad Iliad. penult. Athen. lib. 1. & lib. 12. cap. 12.

9. *Et Jovis arcanis Minos admissus.*) Pariter & Minos Jovis familiaritate insignis tamen mortuus est. Is apud Hom. Odyss. 19. Διὸς μεγάλου ὀαριστής. Plato in Min. hunc affert Homeri locum, scribitque Minoem a Jove eruditum, & nono quoque anno cum eo versari solitum & colloqui. Ajunt nempe Minoem regem Cretensibus dare leges volentem in antro sese condidisse, ubi se cum Jove sermocinatum prædicavit, atque ex ejus consilio cuncta statuisse: porro justitiæ fama clarum apud Inferos judicem a Plutone constitutum. Hinc non abs re credunt aliqui per *Jovem* hic significari Plutonem, qui quidem *Jupiter Stygius* a Virgilio dicitur Æn. 4. v. 638.

10. *Habentque Tartara Panthoiden.*) Ex hac etiam vita denuo cessit, jamque in Inferis degit celebratissimus ille transmigrationis animarum auctor Pythagoras, qui se fuisse jactabat Euphorbum Panthoi filium apud Trojam, atque a Menelao interfectum subinde revixisse & factum Pythagoram; idque intellexisse agnito clypeo quem gestarat olim in Trojano bello dum Euphorbus esset. Clypeus autem ille repertus in templo sive Apollinis apud Cariæ oppidulum, sive Junonis apud Argos. Prius illud refert Diogen. Laert. lib. 8. Hoc vero posterius Ovid. Metamorph. 15. cap. 3. Ex his habes explicata quæ sequuntur, *iterum Orco demissum*. Item, *quamvis clypeo Trojana refixo tempora testatus*. Ovid. cit. sic loquentem inducit Pythagoram:

*Morte carent animæ, semperque priore relicta*
*Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ.*
*Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli*
*Panthoides Euphorbus eram: cui pectore quondam*
*Hæsit in adverso gravis hasta minoris Atridæ.*
*Cognovi clypeum lævæ gestamina nostræ*
*Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.*

12. *Nihil ultra nervos, &c.*) Animo semper vivens, corpore dumtaxat mortuus non semel. Sic palingenesiam & metempsycosin Pythagoræ explodit noster Poeta. Vide Pers. Sat. 6. v. 11. ubi & annotavi non pauca. Cic. 1. de Nat. Deorum. Valer. Max. lib. 8. c. 7. &c.

15. *Sed omnes una manet nox.*) Universi per-

Et calcanda semel via leihi.
Dant alios Furiæ torvo spectacula Marti:
Exitio est avidis mare nautis.
Mista senum ac juvenum densantur funera: nullum
Sæva caput Proserpina fugit.
Me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus & capiti inhumato

INTERPRETATIO.

*semelque mortis iter peragendum* est. *Quesdam Furiæ prubent ludom atroci Marti: perniciosum mare est nautis cupidis. Confusn vetulorum ac juvenum mortes conglobantur: caput nullum eripitur crudeli Proserpina.* Sic *etiam me Illyricis fluctibus submersit Auster declivis Orienit assecla praceps. Tu vero nauta, ne improbus* mihi sis, *neve te pigeat errantis sabuli portionem injicere ossibus & capiti insepulto. Ita*

ANNOTATIONES.

inde morteles serius ocyus hinc migrere debent & vitem exnere. Catul.

*Nobis cum semel occidit brevis lux,*
*Nox est perpetua una dormienda.*

16. *Calcanda semel via lethi.*) Apostolus ad Hebr. c. 9. v. 27. *statutum est omnibus hominibus semel mori*. lib. Reg. 3. c. 2. David morti proximus ita loquitur: *ego ingredior viam universæ terra:* pariter & Josue, c. 23. vrt. 14. Propertius.

*Sed tamen hue omnes, hue primus & ultimus ordo:*
*Et mala sed cunctis ista terenda via est.*

17. *Dant alios Furia torvo spectacula Marti.*) Quosdem Furiæ mactant, & quasi ludum Marti dant: id est; alios ad mortem trahit bellandi ardor, alios navigandi, negotiandi, lucrum faciendi cupidites.

19. *Nullum sævum caput Proserpina fugit.*) Nullum caput fugit suyam Proserpinam, id est, mortem eluctatur nemo. *Proserpina* uxor Plutonis credebatur morituris capillos resecare, ac velut primitias inferis sacras præmittere; nec alias putasse animem corpore exsolvi. Ad hanc superstitionem respicit Horatius hic, pariter & Virgil. Æn. 4. v. 698.

*Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem*
*Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.*

Allusit & Martial. lib. 3. Epigram. 43.

*Non omnes fallis. Scit te Proserpina canum.*
*Personam capiti detrahet illa tuo.*

Vide Macrob. lib. 5. Saturnal. cap. 19. ubi quædam habet eximie de illo crinis abscindendi ritu.

21. *Me quoque devexi*, &c.) Ne mirere igitur, nauta, quod interii, inquit Archytas: sicut illi suo quisque modo obiere mortem, ita ego submersus Illyrico mari.

*Devexi.*) Sive quod Australis est Orion, adeoque in parte cæli devexa, sicut opposita Borealis est convexa & superior; seu quod Orionis figura statuitur prona in phænomenis: unde & *Pronus Orion:* lib. 3. Od. 27. v. 18. vel denique notatur occasus hujus sideris; quod ad rem certe magis videtur. Nam tempestates tunc maxime excitat Orion, cum oritur vel occidit. Hinc *comes* ejus dicitur *Notus*, ventus meridionalis valde nebulosus: *νοτὶς humor:* unde nomen. Gell. lib. 2. cap. 22.

*Orionis.*) De Orione viro multa fabulantur, quæ ad rem præsentem non attinent. De Sidere agitur stellas continente plurimas, quæ dum refulgent, serenitatem, sin minus tempestates minantur: jugula vocatur Latinis. Plaut. Amphitr. Act. 1. Scen. 1.

22. *Illyricis Notus obruit undis.*) Obrutus aquis perii in sinu Illyrico, (Dalmatico, Hadriano, hodie *Veneto*) tempestatem cientibus Austro pariter & Orione. Sic & jungit utrumque Virgilius Æneid. 1. v. 539.

*Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion*
*In vada cæca tulit, penitusque procacibus Austris, &c.*

Æneid. 4. v. 52. *aquosus Orion*. Noster Epod. 10.

*Nec sidus atra nocte amicum appareat,*
*Qua tristis Orion cadit.*

Epod. 15.

*Nautis infestus Orion.*

*Illyricis.*) Illyricus olim sinus dicebatur universum illud mare, quod est Italiam inter & Illyricum. Postea Adriaticum mare continebatur ab Epidamno a parte Illyrici ad Garganum montem a parte Italiæ: reliquum autem mare ad sinûs fauces Ionium vocatum est; Adriaticum vero Dalmatici nomen accepit. Tandem sinus universus hodie Venetus appellatur.

23. *At tu, nauta, vagæ ne parce, &c.*) Hic gravem Horatio dicam dicit, magnamque litem movet magnus Scaliger tanquam contraria loquenti; Quid enim, inquit, rogat nautam *ut pauxillam sibi terram injiciat inhumato, quem in ipso statim Odes initio, pulvere contectum ait? Satis erat quippe vel minima terræ partem quampiam corporis tegi*. Scilicet arenam mare advolverat aliquantulam, & corpus utcumque texerat. At nunquid hæc erat legitime sepulturæ? Talem vero poscit Archytas,

qui

Digitized by Google

Particulam dare. Sic quodcumque minabitur Eurus
 Fluctibus Hesperiis, Venusinæ
Plectantur sylvæ, te sospite: multaque merces,
 Unde potest, tibi defluat æquo
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti.
 Negligis immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere forsan:

### INTERPRETATIO.

*quisquid Eurus minitabitur Italico mari, luant silva Venusinæ, te insilumi: præmium quoque multiplex, undecunque fas erit, tibi conferatur a Jove justa, & a Neptuna sacrati Tarenti defensere.* Quod si *forte spernis admittera delictum posterie innocantibus exitio futurum; ipsi tibi jus acquisi-*

### ANNOTATIONES.

*qui solus honos Acheronte sub imo est,*
ex Virgil. Æneid. 12. vers. 23. Eo porro qui carebant, annos centum errare, veterum superstitio existimabat.
Virgil. Æneid. 6. v. 325.
*Hac omnis quam cernis inops inhumataque turba est.*
*Portitor ille Charon: hi quos vehit unda, sepulti.*
*Nec ripas datur horrendas nec rauca fluenta*
*Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt.*
*Centum errant annos, volitantque hac litora circum.*
*Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.*
Adde quod habet Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 16. ubi sic scribit: *Ludi ad Tarentum seculares dicti, qui singulis centum annis ex præcepto Sibyllinorum carminum fiebant ad placandos Manes: quorum auctor Valer. Publicola ... Proditur decretum inter Pontifices, ut si defuncto cadaveri justa quispiam exhibere vult, & an humatum esset, in dubium veniret, satis haberent si quibusdam sacris precationibusque exhibitis glebam absenti cadaveri aut terram injicerent, terque injecto pulvere a labe erroris cadaver manesque expiatas ducerent: atque si operto humo cadavere, os exceptum fuisset, donec purgetur, inhumatum videri.* Hæc illa. Atqui hic *inhumato capiti arenæ dari particulam* orat Archytas. Ergo caput opertum non erat; qua corporis præcipua parte non contecta, insepultum censeri debet corpus. Quod quidem intelligitur ex sententia Jurisconsultorum, apud quos sacrum habetur sepulcrum, in quo conditum sit caput hominis, etiamsi reliqua absint membra: item offenso capite, violatum habetur sepulcrum quoniam arx sensuum & rationis caput est, eoque amoto cætera prorsus ignobilia omniaque decora jacent exuta; & quicquid honoris contribuitur capiti, universo plane corpori attributum existimatur: quæ Ambrosii sententia est. Hæc apposite Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 19.

25. *Sic quodcumque minabitur, &c.*) Sic te pietas numinum ab omni vindicet malo, teque bonis cumulet, ut erga me pius fueris, & quæ juxta pato concesseris. Ergo si me sepelieris, avertant Dii a te pericula tempestatum, ventorumque furorem mari quod navigas minantium in silvas propinquas depellant, insuper autem & quæstum lucrumque tuum promoveant: adeoque sit exigui laboris pro me tui *merces multa ab Jove Neptunoque* concessa.

*Eurus.*) Synecd. pro quolibet vento. Ille dicitur ab ἠὼ ῥέων, ab *oriente fluens*, aliis nomina ἀπηλιώτης; Romanis autem nautis Subsolanus. Gell. lib. 2. cap. 22.

26. *Fluctibus Hesperiis.*) Italiam Græci Hesperiam dixere, quod sit ipsis ad occasum: hoc imitati Poetæ Latini pariter vocavere.
Virg. Æneid. 1. v. 534.
*Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt.*
Vel sic appellata est Italia ab Hespero, qui regionem istam a fratre Atlante pulsus adiit: vel etiam ab Hespero stella quæ Vesper dicitur, & ad occasum apparet. Postremam hanc originem asserit Macrobius Saturn. l. 1. c. 3. ita scribens: *Italia dicta est Hesperia, quod occasui subjecta sit.*

*Venusina silva.*) Metonym. Venusia & Venusium est urbs Apuliæ in Lucaniæ confinio: continetur hodie Basilicatâ Neapolitani regni provinciâ, ad radices Apennini montis sita; parva quidem, sed principatûs titulo nobilitatur, vernacule, *Venosa*.

29. *Neptunoque sacri custode Tarenti.*) Cic. de Nat. Deor. 2. num. 66. *datum est Neptuno alteri Jovis, ut volunt, fratri maritimum omne regnum: nomenque productum, ut Portus a portu, sic Neptunus a nando, paulum primis litteris immutatis.* Porro sacrum illi Tarentum dicitur, quod in ejus sit tutela, eumque præcipue colat; sive quod ajunt Phalantum Herculi & Neptuno templa ibi erexisse: vel quod ea urbs a Taranta Neptoni filio condita atque nominata: olim magnæ Græciæ fuit in Salentinis; hodie vero in terra Hydruntina, arcem habet portumque & principatûs insignia.

30. *Negligis immeritis nocituram, &c.*) Id est, si mihi suprema & justa persolvere parum curas, sique per socordiam admittis piaculum tibi posterisque tuis nociturum. Semper enim grande nefas habitum est, insepultum relinquere obvium cadaver: quique id neglexisset, piacularis existimabatur. Athenis autem Buzyges ejusmodi reum criminis etiam execrabatur.

31. *Fraudem.*) Nam debito defraudat officio mortuum qui inhumatum negligit.

*Forsan.*) Legunt alii *forsit*, vel *forset*: alii *fors &*, junguntque cum sequentibus. Sed quid inde?

Digitized by Google

Debita jura vicesque superbæ
Te maneant ipsum. Precibus non linquar inultis;
Teque piacula nulla resolvent.
Quanquam festinas, non est mora longa: licebit
Injecto ter pulvere curras.

## INTERPRETATIO.

*tum ac vices arrogantes reddantur. Haud* ego *destituar votis inutilibus: te vero nullæ purgabunt expiationes*. Itaque *licet properes, non diu tardabit: ter injecto pulvere, transgredi fas erit.*

## ANNOTATIONES.

32. *Debita jura vicesque, &c.*) Par tibi sors contingat jure merito, tuæque superbiæ & socordiæ debita: sic tu quoque inhomatus aliquando projiciare. *Superbæ*. Passeratius legit, *superbe*. Alii per *superbas vices* intelligunt graves atrocesque pœnas, ex Prisciano.

33. *Precibus non linquar inultis.*) Dii certe meas preces exaudient justi justas; nec inultum me, nec te impunitum dimittent. Plaut.

*Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditque & videt.*

34. *Teque piacula nulla resolvent.*) Nullis sacris tantum scelus eluere unquam licebit. Nimirum execrationes veteribus credebantur inexpiabiles. Nam alioqui præcidaneâ porcâ expiari consueverat qui insepultum reliquerat forte obvium cadaver, nec glebâ operuerat. Festus.

36. *Injecto ter pulvere curras.*) Hæc est illa tandem quam a nauta petit Archytas, humatio legitima; glebæ injectio scilicet; sive ut quis mortalium cadaveri ter injiciat pulverem. Rem totam explicat Tullius de Leg. 2. n. 66. *Antiquissimum sepulturæ genus id fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur: redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur*. Et paulo post: *Siti dicuntur ii qui conditi sunt, nec tamen eorum ante sepulcrum est quam justa facta & corpus incensum est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis penitus humati dicantur, id erat proprium tum iis quos humus injecta contegerat; eumque morem Jus Pontificale confirmat. Nam priusquam in eos injecta gleba est, locus ille ubi crematum est corpus, nihil habet religionis: injecta glebâ tumulis, & humatus est, & gleba vocatur; ac tum denique multa religiosa jura complectitur*. Igitur hoc est quod istic Archytas deposcere putandus, tum ne religioso isto careat honore, tum ne centum annos errans ab Elysio diutius arceatur, quemadmodum ante annotavi. Sic & Palinurus idem insepultus rogat Æneam, apud Virg. Æn. 6. v. 365.

*Eripe me his, invicte, malis; aut tu mihi terram*
*Injice: namque potes.*

Vide Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 20.

AD

Digitized by Google

## *AD ICCIUM.*

## ODE XXIX.

*Miratur illum relicto Philoſophiæ ſtudio militiam ſectari.*

Icci, beatis nunc Arabum invides
Gazis, & acrem militiam paras
Non ante devictis Sabææ
Regibus, horribilique Medo
Nectis catenas? Quæ tibi virginum,
Sponſo necato, barbara ſerviet?
Puer quis ex aula capillis
Ad cyathum ſtatuetur unctis,
Doctus ſagittas tendere Sericas
Arcu paterno? Quis neget arduis

### INTERPRETATIO.

*O Icci, jam ergo felices Arabum theſauros æmularis: atque grave bellum moliris tyrannis Sabæ nondum ſubactis: & Medo formidabili vincula fabricas? Quæ vero puellarum barbararum ceciſo ſuo ſponſo obſequetur tibi? Quis puer ex aula crinibus unguento perfuſis ad pocula præficietur; arcu patrio tela Serum vibrare peritus? Et quis* modo *inficiabitur fluvios defluentes retro*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9.

1. *Icci.* ) Sunt qui legi velint *Iti*, quod familia ſit Itia, nuſquam autem Iccia. Is fuiſſe dicitur Agrippæ in Sicilia Procurator, ab eoque opimis ibidem agris donatus.

*Beatis nunc Arabum invides gazis.* ) Grandes igitur accumulare theſauros ſtatuiſti? Tantane eſt avaritiæ vis, divitiarum cupiditas tanta, ut faciat, te ſapientiæ deſertorem? *Beatis*, ex opinione vulgi, nemo felix niſi dives.

*Arabum.* ) *Felix appellatur Arabia, ingrati licet & falſi cognominis, quæ hoc acceptum ſuperis ferat, cum plus ex eo inferis debeat. Beatam illam fecit hominum etiam in morte luxuria ... Verum Arabiæ etiamnum felicius mare eſt: ex illo namque margaritas mittit; minimaque computatione millies centena millia ſeſtertium annis omnibus India, & Seres, peninſulaque illa imperio noſtro adimunt. Tanto nobis deliciæ & feminæ conſtant.* Plin. lib. 12. cap. 18.

*Gazis.* ) Perſica vox. Virg. Æneid. 1. & 2. *Troja gaza.* Tull. pro Pomp. *qui ab auro gazaque regia manus abſtinuiſſet.*

2. *Acrem militiam paras non ante devictis Sabææ regibus.* ) Acer habendi ardor, ac diteſcendi acrem militandi animum creat ſcilicet. *Non ante devictis*: victis olim ab Alexandro, ſed nondum a Romanis. Ex Dione lib. 53. Ælius Gallus Ægypti præſes in Arabiam cum exercitu venit, multaſque urbes cepit. Plin. lib. 6. cap. 28. ſub finem. *Romana*, inquit, *arma ſolus in eam terram adhuc intulit Ælius Gallus ex equeſtri ordine. Nam C. Cæſar Auguſti filius proſpexit tantum Arabiam. Gallus oppida diruit ... retulit Sabæos ditiſſimos ſilvarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum riguis, mellis ceraque proventu.* Porro *Saba* felicis Arabiæ civitas in monte perampla & regia Sabæorum: ubi thus, myrrha, caſia, cinnamomum abunde proveniunt. Vide infra Od. 35. Annot. ad v. 31.

4. *Horribilique Medo.* ) Medi terribiles Romanis ob cæſum ab eis Craſſum, fugatumque Antonium. At poſt bella civilia miſſis ad Auguſtum legatis mitiores ſe oſtenderunt. Vide ſupra Od. 2. v. ult. Græcis etiam infeſtus dicebatur Medorum exercitus. Theogn. στρατὸν ὑβριστὴν Μήδων.

7. *Puer quis ex aula, &c.* ) Tit. Liv. lib. 45. *Pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi ad miniſterium regis electi.* Ita veteres opulenti pueros egregiæ formæ miniſtros ſibi conquirebant, item generis claritate conſpicuos. Patet ex Daniel c. 1. Athen. lib. 10. c. 6. *capillis unctis*, ad majorem laſciviam & luxuriam. Vide lib. 2. Od. 7. v. 8. Annot. *ad Cyathum ſtatuetur*, pocillator, qui epulanti tibi vinum fundat. Nota fabula de Ganymede Jovi ad cyathos. Sueton. Jul. Cæs. cap. 49. *Sed C. Memmius etiam ad cyathum & vinum Nicomedi ſtetiſſe objecit, cum reliquis exoletis pleno convivio, &c.*

9. *Doctus ſagittas tendere Sericas arcu paterno.* ) More patrio eruditus ſagittas arcu torquere, perinde ac Parthi, Medi, aliique orientales, inter quos Seres numerantur. Vide ſupra Annot. Od. 12. verſ. 56. ad vocem *Seras*.

Digitized by Google

Pronos relabi poſſe rivos
Montibus, & Tiberim reverti:
Cum tu coemtos undique nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum
Mutare loricis Iberis,
Pollicitus meliora, tendis?

INTERPRETATIO.

*ferri ad altos montes, ac Tiberim regredi poſſe, quando tu comparatos undequaque Panætii codices eximios, & familiam Socratis univerſam permutare ſtudes thoracibus Hiſpanicis? certe laudabiliora promiſeras.*

ANNOTATIONES.

10. *Arduis pronos relabi poſſe rivos montibus.*) Surſum fluere ad montes, e quibus defluunt. Proverb. Græc. ἄνω ποταμῶν, quo ſignificatur naturæ ordinem inverti. Initium autem eſt verſûs Euripidis in Medea: qui ſic habet: ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί. *Surſum fluminum ſacrorum feruntur fontes.* Ovid.

*Xanthe retro propera, verſæque recurrite lymphæ.*

13. *Cum tu coemtos, &c.*) Cum tu repente mutatus deſeras Philoſophiæ ſtudium quod fueras amplexus, atque longe contrariam militiæ nempe viam ineas.

14. *Panæti.*) Is natione Rhodius, Inſtituto Stoicus, Scipionis Africani ac Lælii præceptor fuit. Scripſit libros tres περὶ τοῦ καθήκοντος, quos laudat, citatque, atque eſt imitatus Cicero ſuis lib. de Officiis. A. Gell. lib. 13. cap. 26. *Legebatur*, inquit, *Panætii Philoſophi liber de officiis ſecundus ex tribus illis inclytis libris, quos M. Tullius magno cum ſtudio maximoque opere æmulatus eſt.* Tum ex multis ab eo ſapienter ſcriptis & *ad bonam frugem ducentibus*, eam affert ejus ſententiam, qua præcipit, exemplo Pancratiaſtarum ad vitandos ictus in certaminibus omni ſe ratione præmunientium, debere viri prudentis mentem adverſus injurias ſemper eſſe paratam, *erectam, arduam, ſeptam, ſolidam, expeditam.*

*Socraticam domum.*) Socraticæ diſciplinæ anteſignanos & coryphæos, Platonem, Xenophontem, aliaque Academiæ lumina.

15. *Loricis Iberis.*) Hæ ferebantur optimæ, ob eximiam ferri temperaturam, inquit Torrent. & Plinius auctor eſt lib. 34. cap. 14. ubi ita ſcribit; *ferri metalla ubique propemodum reperiuntur ... differentia ferri numeroſa .... fornacum maxima ... ſumma autem in aqua eſt, cui ſubinde candens immergitur. Hæc alibi atque alibi utilior nobilitavit loca gloria ferri, ſicuti Bilbilin in Hiſpania, &c.* Idem lib. 7. cap. 56. ait loricam inventam a Midia Meſſenio. Porro nomen a loris, e quibus primum confecta, poſtmodum longe alia tamen retinuit.

*Iberis.*) Hiſpania ex Strabone & Plinio dicta eſt Iberia ſive ab rege, ſive ab flumine Ibero. Hoc enim affatim rigatur atque ſcinditur regio Tarraconenſis. Scaturit in Caſtella veteri, perfuſiſque variis terris in mare Mediterraneum delabitur.

16. *Pollicitus meliora.*) Meliorem ſane de te ſpem concitaveras. Certe militiâ quam aſſumpſiſti, relictum a te ſapientiæ ſtudium multo melius eſt.

*Tendis.*) Quidam legunt *temnis.*

## ODE XXX.

*Rogat Venerem ut veniat in ſacellum a Glycera ipſi dedicatum.*

1 O Venus, regina Cnidi Paphique,

INTERPRETATIO.

*O Venus, Cnidi & Paphi domina,*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod ſupra Ode 2.

1. *O Venus.*) Glyceram ſe amore torreri ſcribebat ſupra Ode 19. ejuſque animum reddere mitiorem mactatâ hoſtiâ ſatagebat. Jam voti reus Veneri μέλος ἐπιβώμιον canit in dedicatione ædiculæ quam in ſuo larario Glycera ei conſecraret. Simile carmen & Epigramma ſcribit Poet Tibullus lib. 1. Eleg. 10.

*Regina Cnidi Paphique.*) Æſchyli circumfertur hic verſiculus de Venere:

Κύπρι Πάφου τ' ἔχουσα τὸν πάντα κλῆρον.

Sci-

Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.
Fervidus tecum puer, & solutis
Gratiæ zonis, properentque Nymphæ,

INTERPRETATIO.

*contemne charam Cyprum, & migra in exornatum Glyceræ sacellum, te plurima thure invitantis. Veniant tecum flagrans tuus filius, & Charites cingulis laxatis, & Nymphæ, &*

ANNOTATIONES.

Scilicet in istis urbibus sanctius illa colebatur, ex Pausania in Atticis. Strab. Plin. &c.

*Cnidus.* ) Urbs Cariæ portu duplici insignis, magis autem natalibus Eudoxi Mathematici Platonis condiscipuli; Agatharsidis tempore Strabonis historici; ( quem tamen Samium Plutarchus facit ( Theopompi Jul. Cæsari familiaris, atque Artemidori ejus filii; Ctesiæ rerum Syriacarum & Persicarum scriptoris; ex Strabone lib. 14. at maxime Veneris statuâ; quod Praxitelis opus tam admirabile videndi causa multi Cnidum navigaverunt. Auctor est Plin. lib. 36. cap. 5. ubi & addit: *Voluit eam a Cnidiis mercari rex Nicomedes, totum æs civitatis alienum dissolvere promittens. Illi vero omnia perpeti maluere, nec immerito, Illa enim signa Praxiteles nobilitaverat Cnidum. Ædicula ejus tota aperitur, ut conspici possit undique effigies Deæ, favente ipsa, ut creditur, facta. Nec minor ex quacumque parte admiratio est.*

*Paphos.* ) Urbs Cypri portum habens, & templa egregie structa. Strabo. Plinius autem lib. 2. cap. 96. ita scribit: *Celebre fanum habet Veneris Paphos, in cujus quandam aram ( al. aream ) non impluit.* Cornel. Tacit. Histor. lib. 2. init. idem refert. *Vespasianum cupido incessit adeundi visendique templum Veneris Paphiæ inclytum per indigenas advenasque .... certissima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum: precibus & igne puro altaria adolentur; nec ullis imbribus quamquam in aperto madescunt.*

2. *Sperne dilectam Cyprum.* ) Cypro tibi licet tot nominibus dilectæ præfer tamen, obsecro, Glyceræ sacellum. Quamvis enim tot sacras ædes illic habeas, universaque insula tibi devota sit; at apud Glyceram quoque domicaris, novamque possidebis ædem, quam magna cura, summo studio exornavit, & tibi paravit. Illuc insuper thure te plurimo invitat. Veni ergo ad ejus consecrationem. De Cypro Strabo l. 14. Plinius l. 5. c. 31. *quondam ibi novem regnorum sedem* fuisse scribit. Vide & supra Od. 3. Annotationes.

3. *Thure te multo.* ) Floribus enim & thure, potius quam victimis, placari Venus & coli amabat. Æneid. 1.

*Ipsa Paphum sublimis adit, sedesque revisit*
*Læta suas; ubi templum illi, centumque Sabæo*
*Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.*

Vide Annot. ad Od. 19. v. ult.

4. *Transfer.* ) Propria vox, & solemnis, e Jure Pontificio accersita, cum ædes sacratur. At contra, cum locus e sacro privatus redditur, *evocari sacra* dicuntur. Plin. lib. 10. epist. 58. Trajano Pontif. Max. sic ait: *Cum quærerem num esset aliqua lex templa dicta, cognovi alium esse hic, alium apud nos morem dedicationis ... Despice ergo Domine, an putes ædem salva religione posse transferri, &c.* Vide & Epist. 73. & 74. ejusdem libri.

5. *Fervidus tecum puer.* ) Solitus Veneris comitatus pariter ab Horatio invocatur, atque in dedicatum a Glycera sacellum invitatur; in primis autem Cupido filius ejus. *Fervidus*, quia πυρφόρος, & facem gestat, qua indicatur ea, qua pollet, vis accendendi animos & amore inflammandi. *Puer* vero dicitur, ut significetur stulta & puerilis libidinosorum cupiditas, eo studio turpia consectantium, quo pueri solent crepundia.

*Solutis Gratiæ zonis.* ) Plin. lib. 35. cap. 11. *a Nicearcho picta Venus inter Gratias & Cupidinem ( al. Cupidines ) celebratur.* Apol. lib. 11. *Venus amœni Gratiarum choro stipata.* Hesiod. in Theogn. tres Charites nominat Aglajam, Euphrosynem, Thaliam: pariter & Pindarus Olymp. Oda ultima, ubi & ait: *per eas omnia mortalibus fieri dulcia, si quis vir sapiens, si pulcher, si splendidus: sed nec Deas sine Charitibus in Cœlo quidquam moliri,* πάντων ταμίαι ἔργων ἐν οὐρανῷ. *omnium dispensatrices in cœlo operum.* Senec. lib. 1. de benefic. c. 3. *Nunc dicam quare tres Gratiæ, quare sorores, quare implexis manibus, quare ridentes, juvenes, & virgines, solutaque ac pellucida veste.* Et paulo post: *Hesiodus Aglajam maximam natu appellavit, mediam Euphrosynem, tertiam Thaliam. Homerus nomen uni mutavit. Pasitheam appellavit* ( nempe Iliad. ξ. ) *Meretricius anà stat.* Gratiæ porro *solutis zonis* pinguntur ac pellucidis vestibus, quia amicorum animi sibi invicem debent esse aperti, sine fuco, sine ambagibus.

6. *Nymphæ.* ) Et hæ comitatum Veneri præstant, quia matres amorum, illa vero unius mater Cupidinis fertur: ex Philostrato. Claudian. de Nuptiis Honorii:

*Gens mollis amorum.*
*Hos Nymphæ pariunt; illum Venus aurea solum*
*Edidit.*

Nymphæ aliæ maris, quæ Nereides, fontium ac fluminum Najades, silvarum Dryades, Hamadryades, quæ cum arboribus oriuntur & cadunt, Oreades montium, Napeæ florum.

Et parum comis sine te Juventas,
Mercuriusque.

INTERPRETATIO.

*Juventas absque te minimum suavis, & Mercurius.*

ANNOTATIONES.

7. *Parum comis sine te Juventas.*) Hæc juventutis Dea, Græcis Hebe; etiam Veneri comes additur, ut apud Homer. in Odyss. ἦβετ' ἐιὸς ἐυ-ϛατας τ' ἀφρδίτη. Quoniam vero ii qui a Venere abhorrent, etsi juvenes, solent esse morosi, severi, tristes, difficiles, quod senum est proprium, hinc *parum comis sine Venere Juventus* dicitur. Vel Horatium ex Horatio interpretari licet hoc modo: *Juventus parum comis*, decora, gratiosa, *sine Venere*, id est, sine venustate. Epist. ad Pisones, seu de Art. Poet. v. 42.

*Ordinis hæc virtus erit, & Venus.*

*Juventas.*) Tit. Liv. sub finem lib. 5. *cum augurato liberaretur Capitolium, Juventas Terminusque, maximo gaudio patrum nostrorum, moveri se non passi sunt.*

8. *Mercuriusque.*) Denique Veneri Mercurius adjungitur, sermonis nempe Deus. Seu quod amor disertos faciat, seu quia per disertam & facundam orationem solet amor conciliari. Unde Ovid. 2. de Arte:

*Non formosus erat, sed erat facundus Ulysses;*
*Et tamen æquoreas torsit amore Deas.*

Hinc etiam Veneri σύμβωμος & σύνθρονος celebrator ille, & ejusdem cum ea ædis, sedis, ac religionis consors. Plutarch. in præceptis connubialibus scribit, juxta Venerem in eodem sacello veteres collocasse Mercurium συγκαθιδρυμένον, inquit, rationemque ibidem subjungit, eo quod sermone blando, non jurgiis aut contentione a se mutuo quod cupiunt conjuges debeant obtinere.

# ODE XXXI.

*Quid petat ab Apolline, explicat.*

1 Quid dedicatum poscit Apollinem
Vates? Quid orat, de patera novum
Fundens liquorem? Non opimas
Sardiniæ segetes feracis:

INTERPRETATIO.

*Quid Poeta petit a Phœbo consecrato? Quid precatur recens vinum effundens e cratera? haud arva pinguia Sardiniæ fertilis: haud pulchros gre-*

ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 9.

Longe se alienum ab omni avaritia declarat Horatius hac Ode, cum summa votorum ejus sit, ut ab Apolline Vatum Patrono nihil aliud exposcat præter mentem sanam in corpore sano, quod ait Juvenalis unice postulandum a Diis, Sat. 10. v. 356. Vide Pers. Sat. 2. Lucian. in Icaromenippo.

1. *Dedicatum.*) Vel ab ipso Poeta consecratum Phœbo sacellum suis in ædibus intelligit; vel ab Augusto post Actiacam victoriam templum Apollini in Palatio dedicatum.

2. *De patera novum fundens liquorem.*) Tunc cum vini primitias libat & sacrificat Apollini Palatino. Hoc intelligi potest ab Horatio factum inter epulas: nam supra notavimus id observatum ab antiquis, ut in mensa aliquid vini funderetur, ac Diis libaretur. Hinc Æneid. 1. v. 740.

*Dixit, & in mensa laticum libavit honorem.*

Et Æneid. 8 v. 279.

*In mensam læti libant, Divosque precantur.*

Vide J. Lips. antiq. lect. lib. 1. ubi morem hunc in omni convivio religiose servatum pridem asserit, tum ex Homero, tum ex allatis mox Virgilii locis, tum ex Dione Cassio: additque; *ergo ut amatores Veneri, bellatores Marti; quidni Musis & Apollini studiorum præsidi rite libemus nos eorum alumni?* Vel Poeta de Vinalibus prioribus dixit, in quibus gustabantur vina, novumque vinum libabant; nempe 9. Calend. Maii: nec enim antea censebant prisci vinum deferbuisse, nec purum aut sacris idoneum. Vide Varron. 5. de Ling. Latin. Plin. l. 18. c. 29. Festum, in voce *Calpar*; quo nomine vocabatur patera, qua vinum novum libabant. Huic interpretationi posteriori favet quod ait Horatius, *novum*, &c.

4. *Sardiniæ.*) Hæc insula inter mare Tyrrhe-

num

Digitized by Google

Non æstuosæ grata Calabriæ
Armenta: non aurum, aut ebur Indicum:
Non rura, quæ Liris quietâ
Mordet aquâ taciturnus amnis.
Premant Calenâ falce, quibus dedit
Fortuna vitem: dives & aureis
Mercator exsiccet culullis
Vina Syrâ reparata merce,
Diis charus ipsis: quippe ter & quater
Anno revisens æquor Atlanticum
Impune. Me pascunt olivæ,

## INTERPRETATIO.

*ges ferventis Calabriæ: haud aurum, vel ebur Indiarum; haud agros, quos undis lente fluentibus lambit Liris silens fluvius. Ii quibus sors donavit Calenas vineas, eas cultro reprimant.* *Opulentus etiam negotiator vina Syriis mercibus commutata bibat poculis ex auro, ipsis numinibus gratiosus: siquidem ter & quater annis singulis sine infortunio lustrat mare Occiduum. Me nutriunt*

## ANNOTATIONES.

num & Balearicum sita, tritici feracissima, à Sardo Herculis filio dicta est Sardinia. *Segetes*, ex Varrone de re rust. lib. 1. cap. 29. Seges est quod aratum & satum est: arvum, quod aratum necdum satum.

5. *Calabriæ.* ) Italiæ regio est inter mare Tyrrhenum & Ionium, ubi olim Brutii populi & magna Græcia: hodie pars est regni Neapolitani versus Austrum ac Siciliam porrecta.

*Æstuosa.* ) Solis ardoribus valde expositæ & æstuantis.

6. *Armenta.* ) Laudantur equi Calabri in ea regione abondantes: *sicut* & in Apulia, quæ proxima est Calabriæ. Vide Varronem de re rust. lib. 2. cap. 7. Ibidem & pascua erant optima, quorum mentio est Epod. 1.

*Aurum aut ebur Indicum.* ) Ab Indo flumine dicta ea Orientis ampla regio, auri & argenti metallis, gemmis quoque dives est. Ebur quoque præ cæteris habet. Hinc Virgil. *India mittit ebur*. Vide Plin. &c.

7. *Non rura quæ Liris, &c.* ) Non agros peto in Campania fertiles.

*Liris.* ) Hic fluvius aliis vocatur *Liternus*, supra Soram scaturit, ad Minturnas labitur in mare Tyrrhenum. Ejus meminit Martial. lib. 13. Epigram. 83.

8. *Taciturnus amnis.* ) Leniter fluens ac tacite, non rapido cursu, aut ingenti murmure.

9. *Premant Calenâ falce, &c.* ) Non aliis invideo vites optimas ac generosa vina. De Caleno supra Od. 20. v. 9.

*Falce.* ) Coltello incurvo falcis instar.

*Premant.* ) Scindant racemos e vite, vel ipsam vitem putando, luxuriantem coerceant. Vel, uvas e Calenis vitibus in torculari calcent ac premant. Virg. Georgic. 1. v. 157.

*ruris opaci*
*Falce premes umbras.*

10. *Dives & aureis mercator, &c.* ) Per me licet, fruantur alii sua felicitate, suis opibus, suis deliciis: ego vero tenui mea sorte victuque contentus sum.

11. *Culullis.* ) Fictilibus calicibus, qui cululli dicti sunt, Vestæ ac Diis libabant Vestales: inquit Alex. ab Alex. lib. 5. c. 24. significatur hic quodlibet poculi genus. A culeo, inquiunt, quod ingens est vas, seu maxima liquorum mensura, fit culeolus, & inde culullus, quod poculum fuit sat capax, quo usi Pontifices olim in sacris, & reges in conviviis. De his rursum de Art. Poet. v. 434.

12. *Vina Syrâ reparata merce.* ) Vina exquisita empta per commutationem pro mercibus e Syria advectis, nardo, balsamo, unguentis, odoribus, &c. Syria Asiæ provincia, hodie, *la Sourie*, continet Palæstinam, Phœniciam, & Syriam proprie dictam; Euphrate rigatur. Cic. pro domo. *Illa opima fertilisque Syria*. Paul. Pandect. 18. tit. 1. *Non aliud olim merx, aliud pretium vocabatur: sed quisque secundum necessitatem utilibus inutilia permutabant; quando plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego desiderarem, invicem haberem ego quod tu accipere velles: electa materia est, cujus publica ac perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret. Ea materia forma publica percussa, &c.*

13. *Diis charus ipsis.* ) Castori & Polluci, Neptuno, quorum favor est navigantibus optabilis.

14. *Æquor Atlanticum.* ) Quod Africam alluit ad occasum, ita dictum ab Atlante Mauritaniæ monte.

Virgil. Æneid. 4. v 480.

*Oceani finem juxta Solemque cadentem*
*Ultimus Æthiopum locus est: ubi maximus Atlas*
*Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.*

15. *Impune.* ) Ironice dictum volunt quidam in mercatorem fraudibus & avaritiæ obnoxium, qui tamen mare quodlibet anno toto quæstui inhians percurrat, citra ullum naufragii periculum, Diis ad ejus crimina conniventibus, certe ne-



Digitized by Google

Me cichorea, leveſque malvæ.
Frui paratis & valido mihi,
Latoe, dones: &, precor, integra
Cum mente, nec turpem senectam
Degere, nec citharâ carentem.

INTERPRETATIO.

*olivæ, me cichorea, & malvæ tenuet. O Latonæ fili, da mihi valere, & potiri acquisitis; nec non cum sana mente senectutem ducere haud fœdam, quæso, & lyrâ non destitutam.*

ANNOTATIONES.

nequaquam vindicantibus. Interim vero ille merces ab Oriente advectas in Occidente commutat, Syriis unguentis vina comparat generosa, lætus *bibit, ac fruitur Diis iratis*, non secus ac Marius apud Juven. Sat. 1 v. 49. Atat cum iste mihi locus objicitur, *Cynthius aurem vellit, & admonet* parum solerter ac naviter illum a me haud ita pridem explanatum, imo vim & lucem diminutam eximiæ alioqui Satyrici sententiæ. Fatebor quod res est. Ego candidi semper ingenii: mens tum læva dormitavit. Enimvero illic Juvenalis non modo significare vult Marium impune ferre sua furta, & raptis frui, ut ibidem annotaram, sed & de exilio suo lætari, in quo a curis Reip. expeditus genio liberius indulget, *ab octava hora* suaviter *bibit*, otiose epulatur, atque adeo ex infensis Diis capit emolumentum, ex ira numinum sibi quasi delicias facit. Vide Epist. ad Pis. v. 445. ibique Annot.

*Me pascunt oliva, &c.* Ego vero me feliciorem illis hominibus existimem, modico & parabili cibo victitantem, si modo largiantur Dii bonam valetudinem, fortunæ tenuis usum tranquillum, ac poeseos oblectamenta.

*Olivæ.*) Plin. lib. 15. c. 3. *Olivæ in Ægypto carnosissimæ olei tamen habent exiguum; in Syria parvæ nec cappari majores, carne commendantur. Quam ob causam Italicis transmarinæ præferuntur in cibis, cum oleo vincantur: & in ipsa Italia ceteris Picenæ & Sidicinæ. Sale illæ primum condiuntur, & ut reliquæ, amurca, (marsa) sapave: nec non aliquæ oleo suo .... herbarumque viridium sapore condiuntur:* præcipue fœniculi, in Narbonensi Gallia, inquit Dalecamp.

16. *Cichorea.*) κιχόρειν, κιχόρια, & κιχόρεια, pluralis nempe numeri, quæ agrestes herbæ sicut & *malva*, inter cibos & edulia veterum, pariter & *oliva*, recensentur a Jul. Polluce lib. 6. cap. 9. Vide Casaubon. in c. 32. lib. 3. Athen. ubi Alexidis versum ita corrigit; τῶν ζῆν κιχόριον ἐν ... Porro qua ratione coqui veteres olera ista pararent & condirent, edisserit Galenus ex Erasistrato lib. de sectione venæ ad Erasistrateos. Id. Casaub. Ibid. Latinis vocatur ambubeja, intybus, & intybum. Non. Marcel. ex Lucil. Sat. lib. 5. Virg. Georg. 4. v. 120.

*Quoque modo potis gauderent intyba rivis.*

Pomponius in Placenta. *Rustici edant libenter atros intybos.*

*Leveque malvæ.*) Quæ ventrem leniunt, gravem atque emolliunt. Apud Athen. lib. 2. cap. 18. Diphilus tradit, malvam esse boni succi, arteriam lenire, acres in corporis superficie succos educere, renum & vesicæ irritationibus prodesse, excerni facile, mediocriter alere, hortensique silvestrem esse meliorem. Ibidem Hermippus Callimach. *malvam utilissimam* appellat. Quo autem modo in cibum paretur, docet Dioscor. lib. 2. cap. 144. Tzetzes ad hunc Hesiodi versum 41.

*οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.*
*neque norunt quam magnum sit bonum in malva & asphodelo.*

17. *Frui paratis.*) Ecclesiastæ cap. 5. *cui dedit Deus divitias atque substantiam, potestatemque ei tribuit ut comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo; hoc est donum Dei.*

18. *Latoe.*) Apollo filius Latonæ, inde Latous & Latonius dictus, sicut & Diana ejus soror, & eodem cum eo partu edita.

*Et precor.*) Non absurde Theod. Marcilius quovis pignore certet, fuisse a manu Horatii; *adprecor integra cum mente*. sicut lib. 4. Ode ultima: *rite Deos prius apprecati*. Sacerdos nimirum precatur, adprecatur Populus, id est, verba precantis Sacerdotis iterat; quod, *favere linguis*, dicebatur. Ita ille.

19. *Nec turpem senectam.*) Non corporis infirmitatibus aut animi gravem & molestam; non languidam, inertem, imbecillam: non delirantem, non querulam, morosam, anxiam, sed vegetam, honoratam, jucundam. Cicero de Senect. ex Cæcilio; *hoc in senecta miserrimum, sentire eâ ætate esse se odiosum alteri*. Plin. lib. 7. c. 50. *In senectute*, inquit, *hebescunt sensus, membra torpent, præmoritur visus: auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta.* Vide & cap. 43. ejusdem libri, ubi mentio de Gorgia Leontino, qui centum & septem complevit annos: interrogatus autem qua ratione tamdiu fuisset robusto corpore, sensibus integris, memoria firma, ingenio vegeto, prospera denique valetudine, respondit: *οὐδὲν πώποτε ἡδονῆς ἕνεκα πράξας, nihil unquam voluptatis causa faciens.* Is Empedoclis fuerat discipulus: præceptor autem Periclis, Isocratis, aliorumque. Cic. de Senect. & alibi. Philostrat. Plato, &c.

20. *Nec citharâ carentem.*) Poeseos facultates quæ solet in senibus senescere: vel suavitate musicæ & cantus, qua Solon narratur senectutis mala temperasse ac levasse: & Socrates ætate provectus citharæ operam dedisse. Sic & Achilles apud Homer. Iliad. 9.

ODE

# ODE XXXII.

*Ad Lyram suam, quam commendat.*

Poscimus, si quid vacui sub umbra
Lusimus tecum, quod & hunc in annum
Vivat & plures: age, dic Latinum,
Barbite, carmen:
Lesbio primum modulate civi:
Qui ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat udo
Litore navim,

## INTERPRETATIO.

*Depostimus, si quidpiam privatim etiasi tecum cecinimus, quod vigeat & hunc in annum, &* in alios *multas; heus recita poema Latinum, o testudo, quæ Lesbio primum civi modules dedisti: qui militiâ* licet *efferatus, tamen seu in bella, seu navem agitatam* in *humida ripa alligaverat,*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 2.

1. *Poscimus, si quid, &c.* ) Suam ipse lyram compellat: quud Poetis familiare est. Sic Virg. Eclog. 8.

*Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.*
Sic & Pind. Olymp. Od. 2. ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, & Pyth. Od. 1. χρυσέα φόρμιγξ Ἀπόλλωνος. Sic etiam regius Psaltes Psal. 107. *exsurge Psalterium & cithara.*

*Poscimus.* ) Placet sane quorumdam lectio, *poscimur.* Hoc sensu: a Mæcenate poscimur, si quid dignum memoria *sub umbra*, in secessu & inter privatos parietes scripsimus, id in lucem edamus & in publicum: utque palam omnibus fiant nostri versus solis prius amicis dumtaxat auditi.

*Vacui.* ) Curis soluti.

2. *Lusimus.* ) Animi relaxandi causa lyram pulsantes, & Lyricos versus conscribentes. Vel potius ex more Poetarum, carmina sua, studio quamvis & arte elaborata, lusus vocat.

*Tecum.* ) Modo voce tantum, modo fidibus & voce simul canebant veteres: modo alternatim ac vicissim fidibus ac voce. Ammian. Marcell. lib. 15. *Bardi* ( Gallorum vates ) *fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus cum dulcibus lyræ modulis cantitarunt.*
Tibull. lib. 3. Eleg. 4.

*Hanc primum veniens plectra modulatus eburno*
*Felices cantus ore sonante dedit.*
*Sed postquam digiti fuerant cum voce locuti,*
*Edidit hac tristi dulcia verba modo.*

*Quod & hunc in annum vivat & plures.* ) Non *metuentia scombros carmina, nec thus; sed digna cedro*, idest: immortali hominum memoria. Pers. Sat. 1. v. 43.

3. *Dic Latinum, barbite, carmen.* ) Latini carminis Lyrici auctor ac princeps Horatius, sicut Alcæus Græci.

4. *Barbite.* ) Βάρβιτον musicum instrumentum pluribus intentum chordis; unde Theocrit. πολύχορδος. Supra Od. 1. *Lesboum barbiton.*

5. *Lesbio primum modulate civi.* ) Celebrate In primis ab Alcæo, duce poetaque eximio, Mitylenis oriundo, in Lesbo insula, de qua ante.

*Modulate.* ) In modulis obsecute, id est, qui modulatus es, modulos reddidisti, ad Alcæi arbitrium. Alii passivam hic significationem notant; sicut in Arte Poet. v.263. *Immodulata poemata.* Quod autem ait Horatius, *primum*, videtur Alcæum facere barbiti inventorem, quod quidem Anacreonti ipso posteriori tribuitur apud Athen. lib. 4. cap. 23. Verum ibid. cap. 25. Euphorion ait, barbiti meminisse tum Sapphonem tum Anacreontem, novumque non esse instrumentum. Dicendum igitur antiquius videri ipso Alcæo, sed ab eo modulis novis auctum ac perfectum dumtaxat: vel, quod primus Odas Alcaicas barbiti fidibus cecinerit, hinc ejus inventionem ipsi adscribi. Ex Lylio Gyraldo, Attilio Donatiano, & aliis, in Musicis & in arte modulandorum carminum peritissimus Alcæus, & Athen. lib. 14. cap. 5. *Alcæus poeta, si quis alius, Musices erat scientissimus.* Floruit ante Christum annis sexcentis.

6. *Qui ferox bello, tamen inter arma, &c.* ) Qui seu in castris, seu a bello & navigatione quiesceret, citharæ studium & oblectationem non omittebat. Athen. lib. 5. Alcæus dicitur fortissimus ac belliger poeta. Et lib. 14. cit. pugnacem strenuitatem anteposuisse poeticæ, plus æquo bellicosum: ibidemque refertur ejus carmen, quo suas ædes omni genere armorum splendidas & ornatas ostentat & gloriatur; illaque fuse describit. Cic. Tuscul. 4. n. 71. *fortis vir*, inquit, *Alcæus in sua Republica cognitus.* Pittacum nempe tyrannum Mitylenis expulit, aliosque armis persecutus est; Athenienses quoque & Tyrrhenos bello fatigavit. Strabo, Laert. Suidas. Quint. lib. 10. cap. 1. sic scribit: *Alcæus in parte operis*

Digitized by Google

Liberum, & Musas, Veneremque, & illi
Semper hærentem puerum canebat;
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.
O decus Phœbi, & dapibus supremi
Grata testudo Jovis, o laborum
Dulce lenimen, mihi cunque salve
Rite vocanti.

## INTERPRETATIO.

*cantabat Bacchum, atque Musas, & Venerem, puerumque semper eam comitantem, nec non Lycum oculis & capillis nigris conspicuum. O lyra Apollinis ornamentum, summique Jovis epulo jucunda, ave, o ærumnarum levamen suave mihi quandocunque bene advocanti.*

## ANNOTATIONES.

*vis aureo plectro merito donatur, quia tyrannos insectatur: multum etiam moribus confert: in eloquendo quoque brevis, & magnificus, & diligens Homero similis, sed & in lusus & in amores descendit, majoribus tamen aptior.* Dionys. Halicarn. *Alcæi*, inquit, *ingentem considera spiritum, & brevitatem & suavitatem cum vehementia: præterea figuratam orationem cum perspicuitate .... ante omnia vero politicorum negotiorum affectus.* lib. de structura orationis. Vide & l. 2. Od. 13.

9. *Liberum.*) Apud Athen. l. 1. c. 19. Alcæus Mitylenæus ita canit: Τέγγε πνεύμονας οἴνῳ &c. *riga pulmones vino.* & alibi: μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω. *nullam aliam plantaveris arborem prius vite.* Quod imitatus Horatius Od. 18. supra. Ejusdem sententiæ carmina perleges apud eundem Athen. variis locis, quibus Alcæus ad bibendum largus invitat, quod *vinum inducat dolorum oblivionem, quod sit remedium mœroris præstantissimum, a Jovis ac Semelæ filio hominibus datum, &c.*

*Veneremque, &c.*) Amatoria namque scripsit etiam carmina. *Sed & in lusus & in amores descendit Alcæus.* Quintil. paulo ante citatus. Apud Arist. Rhet. 1. Alcæus ita loquitur: Θέλω τι τ' εἰπεῖν, ἀλλά με κωλύει αἰδώς. *volo tibi aliquid dicere, sed me prohibet pudor.* Cui respondet Sappho: Si res honestas ac bonas animo ac desiderio concepisses, nec trepidaret lingua, nec pudor oculos occupasset. Vide Athen. lib. 13. c. 8. ubi de *Alcæo Sapphûs amorem citharâ canente.*

10. *Semper hærentem illi puerum.*) Veneri filium Cupidinem appingi semper, & comitem addi solitum, notavimus ante, ad Od. 30. v. 5.

11. *Lycum.*) Dilectum Alcæo puerum. Cic. Tuscul. 4. cit. *quæ non juvenum amore scripsit Alcæus?* & de Nat. Deor. lib. 1. num. 80. *nobis, qui, concedentibus Philosophis antiquis, adolescentulis delectamur, etiam vitia sæpe jucunda sunt. Nævus in articulo pueri delectat Alcæum. At est corporis macula nævus: illi tamen hoc lumen videbatur.*

*Nigris oculis nigroque crine decorum.* Sic ad Pisones v. 37.

*Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.*

Ita nimirum formosi pridem commendabantur. Pindar. init. Pyth. nigram Musis capillitium cum laude assignat; ἰοπλοκάμων. Apud eundem alibi, pariter & Homer. Iliad. pulchra ea celebratur, quæ ἑλικῶπις; quod etiam epithetum Veneri tribuitur.

13. *O decus Phœbi.*) Citharam enim ipse dicitur invenisse; lyram vero sibi concessam a Mercurio velut propriam usurpasse. Quod fusius supra monui Od. 10.

*Dapibus supremi grata testudo Jovis.*) Jovis epulum summa lætitia, adeoque non sine Musicæ ac citharæ jucunditate celebrabatur. Athen. lib. 14. cap. 6. ex Homero ait: *citharam epularum sociam a Diis factam:* quoniam otiosis convivantibus ars Musica, tum quod temulentorum petulantiam mitiget & cohibeat: tum quod tristitiam discutiat, liberalemque pariat lætitiam. Quapropter Homerus in prima Iliade, post ambitiosam illam de Achille contentionem, fingit Musicâ Deos recreari, Apolline citharam pulsante, Musis autem dulci voce accinentibus, & paulo post subjungit; priscos statuisse Deorum hymnos in conviviis cantari, ut reverentiâ numinum graviores fierent epulantium mores, &c.

15. *Dulce lenimen.*) Athen. mox cit. ibid. *fortissimi quidem Lacedæmonii cum tibia sub signis sunt: Cretenses cum lyra; cum fistulis & tibiis Lydi, ut scribit Herodotus: Ex barbaris autem multi legatos ad hostes cum tibiis & cithara mittunt, ut eorum infestas mentes emolliant. Theopompus lib. 46. histor. tradit Getarum legatos citharas pulsantes advenire.* Hæc ille. Constat certe musicis modulis ac citharæ cantu leniri anxietates animi, ac discuti mœstitiam: patet ex sacris etiam codicibus, lib. 1. Reg. cap. 16. ubi Saul malo vexatus spiritu, citharam pulsante Davide, recreatur ac levius habet. Horatius Ode præcedenti senectam exoptat citharæ oblectamento non carentem.

*Cunque.*) Expletiva solum & inanis videtur quibusdam ita vox: sed non caret ornatu, eamque non raro adhibere amavit noster Poeta nusquam vanus. Sic Terent. *adesdum.* pro *ades.* Sic τοῖς, neque Græcis nec aliis hactenus παρέλκον existimatum est.

*Salve.*) Videtur hic significare, saluti sis, fave, lenimen & auxilium præsta.

ODE

Digitized by Google

# ODE XXXIII.

*Albium Tibullum consolatur, quod a Glycera non redametur.*

Albi, ne doleas plus nimio, memor
Immitis Glyceræ; neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Læsâ præniteat fide.
Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor: Cyrus in asperam
Declinat Pholoen. Sed prius Appulis
Jungentur capreæ lupis,
Quam turpi Pholoe peccet adultero,
Sic visum Veneri; cui placet impares

## INTERPRETATIO.

*Tibulle, ne plus quam decet mæreas, revolvens animo crudelem Glyceram: neve lugubres elegias recites, quod fracta fide, præ te fulgeat adolescentior.* Ecce *amor Cyri adurit Lycoridem fronte exili decoram:* Cyrus *autem fertur erga Pholoen immitem. At capræ lupis Apuliæ antea sociabuntur, quam Pholoe amatori fœdo* morem gerens *delinquat. Ita placitum Veneri, quæ gau-*

## ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 6.

1. *Albi.*) Hic ille est, cujus Elegiæ manibus omnium tanta cum voluptate teruntur, *tersus ac elegans Tibullus*, ut ait Quintil. lib. 10. c. 1.

*Plus nimio.*) Ad Attic. lib. 10. Epist. 8. *te nimio plus diligo:* inquit Ciceroni Antonius.

2. *Immitis Glyceræ.*) Ejus enim ipse noverat ingenium intractabile, & in ejus proterviam impegerat haud secus ac Albius Tibullus. Vide infra lib. 3. Od. 19. v. ult. Sunt qui fictum *Glyceræ* nomen hic poni velint, pro Delia vel Nemesi, quas Tibullus adamavit; nominare vero noluerit Horatius, seu ob verecundiam, seu metu legis Juliæ: de qua dixi, ad Juvenalis Sat. 1. v. 22. & Sat. 2. v. 37.

*Miserabiles elegos.*) Rebus mæstis aptum carminis genus: ab ἔλεῳ *miseratione*, vel ἒ, ἒ, dolentis particula factum nomen. Ad Pisones, v. 75.

*Versibus impariter junctis querimonia primum,*
*&c.*

4. *Læsâ præniteat fide.*) Pulcrior videatur, in amore præferatur junior amasius, non habita ratione fidei, quam tibi dedit Glycera. Vide Tibull. passim. Ita vero scribit lib. 3. Eleg. ult.

*Nulla fides inerit: perjuria ridet amantum*
*Jupiter.*
*quamvis perfida, cara tamen, &c.*

5. *Insignem tenui fronte Lycorida, &c.*) Affert exempla aliorum infeliciter amantium, quibus eum consoletur. Lycoris amorem suum defert Cyro: hic vero illam spernit, & aliam amore prosequitur, a qua redamari nulla spes est.

*Tenui fronte.*) Sunt qui interpretentur tenuem & pellucidam cutem in fronte. Alii angustam & parvam frontem in pulcritudine commendari asserunt; uno tamen refragante Scaligero, qui hunc Horatii locum vellicat suo more. Noster lib. 1. Epist. 7.

*redderes*
*Forte latus nigros angustâ fronte capillos.*

7. *Sed prius Appulis, &c.*) ἀδύνατον. Sic Virgil. Eclog. 1.

*Ante leves ergo pascentur in æthere cervi, &c.*

Et Eclog. 8.

*Jungentur jam gryphes equis, &c.*

*Appulis.*) Synecd. pro quibuslibet aliis. De Apulia Italiæ regione jam ante non semel.

9. *Quam turpi Pholoe peccet adultero.*) Id est, numquam Pholoe redamabit Cyrum, a quo perdite amatur: ejus nullis flectetur officiis.

*Turpi.*) An quod sine ratione Lycoridis amari dignæ oblatos amores contemnat Cyrus? An quod Pholoæ nequaquam Cyrus placeat, nec amabilis sed turpis videatur, quamvis Lycoris formosum existimet? An quod fidem alteri dederit Pholoe, quam violare nefas putet?

10. *Cui placet impares, &c.*) Delectatur Venus sibique ludum parat, faciendo ut quis depereat omnino disparem ætate, natura, moribus, conditione: neque adeo frui possit unquam cupitis. Euripides, *stulta*, inquit, *mortalibus proponit Venus*. τὰ μῶρα πάντα ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς.

Digitized by Google

Formas, atque animos, sub juga ahenea
Sævo mittere cum joco.
  Ipsum me melior cum peteret Venus,
Gratâ detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Adriæ
Curvantis Calabros sinus.

INTERPRETATIO.

*dat dissimiles formas ac mores subjicere juga ineluctabili, non sine gravi ludibrio. Memet, cum requireret amasia præstabilior: jucundis vinculis innexuit Myrtale libertina, asperior Adriatico mari Calabriæ sinus inflectente.*

ANNOTATIONES.

11. *Sub juga ahenea sævo mittere, &c.*) Duro & insuperabili amoris nexu devincere, atque addicere alterum alteri nequaquam redamanti.

*Ahenea.*) Sic alibi noster, nempe Epist. 1: *Hic murus aheneus esto.*

12. *Sævo mittere cum joco.*) Interpretentur licet quidam Cupidinem Veneris perpetuum comitem, quæ mater sæva Cupidinum, &c. at cum aliis malim intelligere, sicut fortunæ, quando res humanas disturbat ac vertit, sic Veneri ludum esse, quoties, ut dixi, quis amore utitur ac languet infelici, nunquam finem assecuturo. Infra lib. 3. Od. 27. *perfidum ridens Venus, &c.*

13. *Ipsum me, &c.*) Sui dat ipsius exemplum ut magis persuadeat.

*Melior Venus.*) Puella, amica, vel pulchrior, vel nobilior, vel facilior, quæ me ipsa expetebat amatorem:
Virgil. Eclog. 3.
*Parta meæ Veneri sunt munera.*

14. *Grata detinuit compede, &c.*) Ita suam amant servitutem Veneris & Cupidinis mancipia, licet duram ac molestam.

15. *Libertina.*) Iis nata qui servierant, & in libertatem asserti fuerant.

*Fretis acrior Adriæ.*) Maris fluctibus instabilior, vehementior, ac perfida magis.

*Adriæ.*) Sinus ille est amplissimus Mediterranei maris, inter Italiam hinc, & Illyricum atque Græciam inde protensus. Hodie *Golfe de Venise.*

16. *Curvantis Calabros sinus.*) Fluctuum impetu atque æstu ripas diruentis, in terras se insinuantis, sinusque efficientis. Calabriam veterem notat, quæ erat velut peninsula inter mare Adriaticum & sinum Tarentinum, ubi nunc terra Hydruntina, urbes vero præcipuæ Tarentum, Brundusium, Hydruntum, Gallipolis, &c. Sinus autem ac portus multiplex, inter quos Tarentinus famâ super æthera notus, Ionii maris undas amplo ac sinuoso influxu recipit affusas.

# ODE XXXIV.

*Arguit seipsum quod Epicureos secutus cultum Deorum neglexerit.*

Parcus Deorum cultor & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ

INTERPRETATIO.

*Numinum rarus & remissus venerator* fui quidem; *cum vesana philosophia erudi-*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9.

1. *Parcus Deorum.*) Quoniam de religione & cultu numinum agit, hinc *περὶ θεῶν, ὡς περὶ θεῶν* locuturus, undique congerit & cumulat quicquid gravitatis esse potest in verbis, in figuris, in sententiis. Eas passim attende, lector, & consectare.

2. *Insanientis sapientiæ.*) ὀξύμωρον Sic in Ajace Sophocles ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. S. Greg. Nazianz. ἄσοφος σοφία. Tull. Philipp. 1. *Insepultam sepulturam.* S. Aug. de Civit. Dei lib. 17. c. 13. *insipienter sapere.*

Digitized by Google

Consultus erro; nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos volucremque currum:
Quo bruta tellus, & vaga flumina,

## INTERPRETATIO.

*tus aberre; jam vero contra velificari adigor & dimissam viam relegere. Enimvero Jupiter fulguribus nubes findens per nudum intonantes equos ac velocem currum frequenter impulit: quo terra gravis, errantesque fluvii, qua Styx*

## ANNOTATIONES.

3. *Erra.* ) Ex Epicuri disciplina, omnes spernens religiones in gravissimum errorem impegi. Cic. 1. de Nat. Deor. num. 122. *Epicurus ex animis hominum extraxit radicitus religionem, cum Diis immortalibus & opem & gratiam sustulit ..... Tollit id quod maxime proprium est optimæ præstantissimæque naturæ. Quid enim melius, aut quid præstantius bonitate & beneficentia? qua cum carere Deum vultis .... neminem ab eo amari, neminem diligi vultis ... Quanta Stoici melius, qui a vobis reprehenduntur?* Et n. 124. *At etiam Epicuri liber est de sanctitate. Ludimur ab homine non tam faceto quam ad scribendi licentiam libero. Quæ enim sanctitas, si Dii humana non curant? &c.*

*Nunc retrorsum vela dare.* ) Metaph. a nautis, qui a recto se aberrasse cursu intelligentes, in contrarium jam convertuntur.

4. *Iterare cursus cogor relictos, &c.* ) Fateri cogor hunc a Diis orbem regi, resque humanas ab iis curari: adeoque Stoicam disciplinam amplexus, Epicuri dogmata erroresque abjicio. Namque video non solum coactis & collisis nubibus fulgura & tonitrua fieri, sed puro etiam cælo; quod cum præter naturam sit, divinum esse oportet: hinc ergo sapientior effectus Jovis potentiam, numen, iramque revereri disco. Vide Cic. 2. de Divinit., num. 43. & 44. Lucret. lib. 6. paulo post initium, &c.

5. *Diespiter.* ) Jupiter, diei pater dictus. Varro 4. de Ling. Lat. A. Gell. lib. 5. cap. 12. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 15. *Jovem lucis auctorem accipiamus: unde & Lucetium Salii in carminibus canunt: & Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocant: ipsique Romani Diespitrem appellant, ut diei patrem.*

6. *Igni corusco nubila dividens.* ) Cic. de Divin. cit. lib. 2. *Nonne perspicuum est, ex prima hominum admiratione, quod tonitrua jactusque fulminum extimuissent, credidisse ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem ...... Placet Stoicis eos anhelitus terræ qui frigidi sunt, cum fluere cœperint, ventos esse: cum autem se in nubem induerint, ejusque tenuissimam quamque partem cœperint dividere atque dirumpere; idque crebrius facere & vehementius, tum fulgura & tonitrua existere: si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen, &c.*

7. *Per purum.* ) Sic opinati veteres ex tonitrua quæ sereno aere fierent, esse portentosa, & tristia minari hominibus, taliaque in libris Augurum notabantur velut ominosa, & a Jove aliquid monstrante immissa. Quare hic ab Horatio afferuntur ut certum divinitatis argumentum. Homer. Odiss. υ ex eo quod stellis micante cælo, tonitru factum erat, monstri quidpiam alieni a Jove ostendi, conjicitur & infertur.

Ζεῦ πάτερ, ἦ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Οὐδέ ποθι νέφος ἐστί. τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις.

*Jupiter graviter e cælo tonuisti stellato,*
*Neque usquam nubes est: ostentum hoc certe alicui præbes.*

Virgil. Georg. 1.

*Non alias cælo ceciderunt plura sereno*
*Fulgura.*

Cic. de Divin. n. 18.

*Aut cum terribili perculsus fulmine civis*
*Luce serenanti vitalia lumina liquit.*

Plin. lib. 2. cap. 51. *M. Herennius Decurio sereno die fulmine ictus est.* Sueton. Tit. cap. 10. *Sabinos petit aliquanto tristior, quod sacrificanti hostia aufugerat; quodque tempestate serena tonuerat.* Vide & Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13. & Turneb. lib. 9. cap. 9. & 13.

*Tonantes egit equos, &c.* ) Secundum vulgi opinionem, fulmen erat ac tonitru, Jove currum cum impetu per aerem agente. Supra Od. 12. in fine. hinc Græcis dictus καταιβάτης *descensor*; & Latinis Elicius; quod putaretur curru suo invectus in nubes descendere, unde gravi sonitu fulgura & tonitrua eliceret, ac fulmen jacularetur.

9. *Quo bruta tellus, &c.* ) Fulminante Jove, summa & infima commoventur. Servius in v. 105. Æneid. *& tremefacta solo tellus, &c* ita scribit: loquente Jove stupor elementorum ostenditur. Nam quod in motu est, quiescit: & contra terra movetur, quæ est immobilis; id idemque locum hunc Horatii affert. Cœl. Rhodig. lib. 3. cap. 29. ait fulmine mox petendos prius hebetari. Potest igitur *bruta tellus* explicari, hebes, immobilis, sine sensu, stupens, iners.

Digitized by Google

Quo Styx, & invisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur. Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus,
Obscura promens. Hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit: hîc posuisse gaudet.

## INTERPRETATIO.

*atque odiosi Tænari aspera domicilia, terminusque Atlantis quassantur. Potest numen infima supremis commutare: excellentem etiam deprimit, attollitque humilia. Inde rapida sors culmen aufert, cum strepitu resonante; hic vero deposuisse delectatur.*

## ANNOTATIONES.

10. *Styx, & invisi horrida Tænari sedes.*) Ipsi quoque Inferi tonante Jove obstupescunt. *Styx*, palus, aut flumen Inferorum. *Tænarus*, Laconiæ promontorium, ubi per specum & hiatum ingentem descensus est ad Inferos, si Poetis fides.

11. *Atlanteus finis.* Limites Occidentis ad mare Atlanticum, Atlantemque montem. Vide supra Ode 35. v. 14. ibique Annot.

12. *Valet ima summis mutare.*) Stoicum plane agit. Apud Laert. lib. 1. Chilon interrogatus, quid ageret Jupiter; respondit: *deprimit excelsa; attollit abjecta.* Senec. Thyest. Act. 3. Chor.

*Ima permutat brevis hora summis.*

13. *Insignem attenuat Deus.*) Ex Hesiod. Op. init. per Jovem mortales sunt obscuri, clarique, nobiles & ignobiles; alius extollitur, alius deprimitur elatus: præclarus minuitur, obscurus augetur, superbus desiccatur, &c.

Βρίαει, βριάοντα χαλέπτει.
ἀρίζηλον μινύθει, ἄδηλον ἀέξει, &c.

14. *Obscura promens.*) Eos qui latebant ignoti & abjecti, erigens, provehens, jamque nitescere ac fulgere imperans. Psalm. 75. *hunc humiliat, & hunc exaltat.* Senec. cit. Thyest.

*Omne sub regno graviore regnum.*
*Quem dies vidit veniens superbum,*
*Hunc dies vidit fugiens jacentem.*
. . . . . . . . . . .
*Res Deus nostras celeri citatas*
*Turbine versat.*

*Hinc apicem rapax fortuna, &c.*) Opes, dignitates, diadema, summum Imperium ab isto aufert, & alteri tradit.

*Apicem.*) Proprie est insigne Sacerdotum apex, ex Festo. Valer. Maxim. *Sulpitio inter sacrificandum apex a capite prolapsus idem sacerdotium abstulit.* Ovid.

*Ludit in humanis divina potentia rebus:*
*Et subito casu, quæ valuere, ruunt.*

Vide Juvenal. Sat. 6. v. 604. & seq. Item Sat. 10. v. 56. & seq.

15. *Cum stridore acuto.*) Volubilis fortunæ rotam, ejusque rapidæ conversionis stridorem notat. Et quidem non sine gravi mortalium concussione, perturbatione, querimonia, fiunt illæ mutationes, quibus Imperia ab his ad illos transferuntur.

AD

## *AD FORTUNAM.*

# ODE XXXV.

*Ut servet Cæsarem in Britannos profecturum.*

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos:
Te pauper ambit sollicitâ prece
Ruris colonus: te dominam æquoris,

### INTERPRETATIO.

*O Dea, quæ charo dominaris Antio, parata hominem morti obnoxium aut ex infimo loco erigere, aut arrogantes victorias mutare in clades: tibi votis anxiis supplicat inops agricola. Te maris potentem erat quisquis mare*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9.

*O Diva.* ) Fortuna, quam nos imprudentes facimus Deam, tametsi nullum numen habet; ut ait Juvenalis in fine Sat. 10. & Sat. 14. v. 315. huic tamen omnia stulti assignant; atque, ut ait Plin. lib. 2. cap. 7. *Toto mundo, locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus, Fortuna sola invocatur; una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur: volubilis, & cæca etiam existimata, inconstans, vaga, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, sola utramque paginam facit. Adeoque obnoxia sumus Sortis, ut Sors ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.*

*Gratum quæ regis Antium.* ) Equestri Fortunæ templum erat Antii, valde quidem famosum, tum ob multa principum virorum dona, quibus erat exornatum; tum præcipue ob Antianas Sortes, de quibus Sueton. Caligul. cap. 57. *monuerunt & Sortes Antianæ, ut a Cassio caveret.* Macrob. lib. 1. cap. 23. *Vidimus apud Antium promoveri simulacra Fortunarum ad danda responsa, &c.* Alii *gratum* dici volunt, ob amœnum adeo secessum, ut eo cogitarit Nero sedem transferre Imperii. Vide Strab. lib. 5. Cic. ad Attic. lib. 4. Epist. 8. scribit: Antio *nihil quietius, nihil altius, nihil amœnius.*

*Antium.* ) Urbs fuit Latii maritima, Volscorum caput, Neronis patria, classe potens: nam cum interdictum mari esset Antiati populo sæpius rebelli, *naves Antiatium partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ, rostrisque earum suggestum in foro exstructum adornari placuit: Rostraque id templum appellatum.* Tit. Liv. lib. 8. cap. 14. In tutela Fortunæ erat, quæ ibi religiose colebatur. Quo pertinere non abs re videatur quod narrat Tit. Livius lib. 6. cap. 9. *Animus Camilli rei majori, Antio imminebat ....... sed quia nisi magno apparatu, tormentis, machinisque, tam valida urbs capi non poterat: relicto ad exercitum collega, Romam est profectus ut Senatum ad excidendum Antium hortaretur. Inter sermonem ejus (credo rem Antiatem diuturniorem manere, Diis cordi fuisse) legati ab Nepete ac Sutrio auxilium adversus Etruscos petentes veniunt: brevem occasionem esse ferendi auxilii memorantes. Eo vim Camilli ab Antio Fortuna avertit, &c.*

2. *Præsens vel imo tollere de gradu, &c.* ) Potens & parata derepente ac subito *ima summis mutare, insignem attenuare, obscura promere, apicem inde rapere non sine strepitu ac stridore acuto, atque illic ad arbitrium ponere:* ut est in Ode superiori, quem locum cum isto confer, studiose lector. Vide & Macrob. lib. 5. cap. 16. ubi sic habet: *Fortunam Homerus nescire maluit, & soli decreto quam μοῖραν vocant, omnia regenda committit: adeo ut hoc vocabulum τύχη, in nulla parte Homerici voluminis nominetur. Contra Virgilius non solum novit & meminit; sed omnipotentiam quoque eidem tribuit: quam & Philosophi, qui eam nominant, nihil sua vi posse, sed decreti sive providentiæ ministram esse voluerunt.*

5. *Te pauper ambit, &c.* ) Quisque tuam opem invocat: tuum ambit favorem agricola, nauta, mercator, miles, &c. Vide Pindar. Olimp. Od. 12. olim, σώτειρα Τύχα, τὶν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶν θοαὶ νᾶες, ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι, κ'ἀγοραὶ βουλαφόροι. *O servatrix Fortuna, a te in mari gubernantur celeres naves, in terra vero rapida bella, & conciones consilium ferentes.*

Quicumque Bithynâ lacessit
Carpathium pelagus carinâ.
.Te Dacus asper; te profugi Scythæ,
Urbesque gentesque; & Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.
Injurioso ne pede proruas
Stantem columnam: neu populus frequens
Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, Imperiumque frangat.
Te semper anteit sæva necessitas,
Clavos trabales & cuneos manu
Gestans ahenâ: nec severus

## INTERPRETATIO.

*Carpathium fatigat navi Bithynâ. Te ferox Dacus, te errantes Scythæ, civitates etiam, & nationes: nec non Latium bellicosum, & matres regum barbarorum, atque tyranni purpurati venerantur. Ne pede nenie subvertas columnam subsistentem; neve plebs aggregata ad arma quietos, ad arma provocet, ac Imperium labefaciat. Te nunquam non præcedit dura necessitas ænea manu ferens clavos prægrandes, & cuneos: adest*

## ANNOTATIONES.

7. *Bithynâ.*) Metonym. pro qualibet elie nevi. Seo quud Bithyni rei nauticæ peritissimi, ναυτικώτατοι, epud Eusth. in Dionys. seu quod frequens erat negotiatio ad eam Asiæ minoris regionem Euxino mari circumfusam, Propontidi vicinam, Threciæ adversam, &c. Similiter pro quolibet mari ponitur *Carpathium* dictum eb Insola Carpatho, Cretam inter & Rhodum, hodie *Scarpanto*.

9 *Te Dacus asper, &c.*) Te nationes omnes, o Fortune, colunt. *Daci*, gens bellicose, ad Istrum seu Danubium fluvium, Transilvaniâ, Moldaviâ, Valechiâ hodie continentur.

*Profugi Scythæ.*) In plaustris vagantes, nullam habentes sedem fixam & stabilem. Justin. lib. 48. de illis: *ne spes quidem præmii foret ex hoste vago, non pecunia tantum, sed etiam sedis inope*. Infra lib. 3. Ode 24.

*Campestres melius Scythæ,*
*Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,*
*Vivunt, &c.*

10. *Latium ferox.*) Bellis inclytum, ac vel unâ Româ Gentium & Orbis dominâ superbum. Virgil. Æneid. 5. v. 730.

*Gens dura atque aspera cultu*
*Debellanda tibi Latio est .....*

11. *Regumque matres barbarorum, &c.*) Sic Ode 1. dixit, *bella matribus detestata*. Metuunt nempe filiis matres nunquam non, deprecanturque mala quævis humanitus accidentia.

12. *Purpurei metuunt tyranni.*) Et bene, quidem, memores hunc esse Fortunæ ludum, alte deturbere, humilia sublevere. Et quod ait Juvenal. Sat. 10. vers. 112.

*Ad generum Cereris sine cæde ac vulnere pauci*
*Descendunt reges, & sicca morte tyranni.*

14. *Stantem columnam.*) Ne subruas Imperium Romanum jam stabilitum, vel Imperatorem feliciter omnia moderantem. Neve facias ut seditiones populus movens quietas res perturbet, atque ita pessum eant quæ videntur modo firma & ære perenniore.

17. *Te semper anteit sæva necessitas.*) Quidam legunt *serva necessitas*, quasi Fortunæ famula. Sed apage. Sic enim & lib. 3. Ode 29. *Fortuna sævo læta negotio*. Et Od. 24. ejusdem libri, *dira necessitas*. Ita Sophocles in Ajace, ἀναγκαίαν τύχην vocat. Et Laberius apud Macrob. lib. 2. cap. 7. necessitatem Fortunæ pariter adjungit, his versiculis:

*Necessitas cujus cursus aversi impetum*
*Voluerunt multi, pauci potuerunt*
*Quo me detrusit, &c.*
. . . . . . . . . . . .
*Fortuna, immoderata in bono æque atque in malo,*
. . . . . . . . .
*Nunc me quo dejicis? &c.*

Huc & facit quod Arist. rerum causas enumeret hasce quatuor, naturam, necessitatem, fortunam, mentem.

18. *Clavos trabales & cuneos manu gestans ahenâ, &c.*) Talem Antii referunt in Fortunæ templo fuisse picturam, quæ exhiberentur varia illa instrumentorum genera, clavi, cunei, unci, plumbum liquidum, &c. seu cruciandis reis, seu rebus firmandis ac stabiliter defigendis idonea. *Clavos trabales*, hi ferrei sunt, ingentes & validi, quibus trabes figuntur: unde proverb. *trabali clavo figere*, pro, *firmiter stabilire*. Cic. 7. in Verrem, no. 53. Erasm. Chiliad. *Herculanas nodas*. & noster cit. 3. Od. 24. *clavos adamantinos*, eodem sensu, *figi a necessitate*, cit. Item pali sunt lignei præacuti,

qui-

Digitized by Google

Uncus abest, liquidumque plumbum.
Te spes, & albo rara fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat,
Urcunque mutatâ potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus infidum, & meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis
Cum fæce siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.
Serves iturum Cæsarem in ultimos

INTERPRETATIO.

*etiam uncus, & liquefactum plumbum. Te reveretur spes, & fides infrequens, candido panno cooperta: neque recusat tibi adhærere, quandocumque mutata pallio ædes magnatum adversa deseris: plebs autem instabilis, & meretrix perfida contra fugit: amici quoque jugum simul portare fraudantes abscedunt*, post *exhausta ad fæcem* usque *dolia*. O Fortuna, *incolumem præsta Cæsarem profecturi meditantem adversus ulti-*

ANNOTATIONES.

quibos olim & modo apud immanem Turcam homines transadacti perimuotur. Ammian. Marcell. lib. 16. *trabalibus telis capita discissa quorundam*, nimirum ut ait paulo ante, *cum flexis ensibus, feriendi non suppeterent instrumenta, lapsis barbaris tela eorum vitalibus immergebat*. Itaque trabalia illa tela, stipites erant acuti per suffixi corporis caput eminentes.

*Cuneos manu gestans ahenâ.*) Stabilitatem ac firmitatem notat *manus ahena*, item *cuneus* ferreus, quo solebant stringi compedes, maniceæ & pedicæ. Duobus etiam cuneis simul adactis aliquid magis adstringitur. Unde Plaut. Stich. Scen. 9. *vel inter cuneos ferreos*; scilicet in arcto paratitus ait accumbere se posse. Cuneis præterea res findontur ac scinduntur: his etiam rei velut clavis affiguntur cruci. Sic apud Cicer. Tuscul. 2. Prometheus a Vulcano se affixum Caucaso queritur.

*Mulcibri adsivit manus*
*Hos ille cuneos fabricâ crudeli inserens,*
*Perrupit artus, &c.*

Clavi nimirum ad crucem ligneam, cunei ad lapideam; inquit Theodor. Marcilius.

20. *Uncus.*) Seu quo rei trahebantur ad scalas Gemonias; seu quo annecti ac teneri firmiter aliquid solet.

*Liquidumque plumbum.*) Hoc notum est & affuso cruciatos aliquando reos; & ferreas manus, uncos, cuneos, arctius alligari, tenaciusque adhærere. Arnob. 6. contra Gentes: *Quid miserius aut infelicius his esse poterit, quam si eos in basibus ita unci retinent, & plumbea uncliones?*

21. *Te spes, &c.*) Hæc solet afflictos sustentare, & solari adversis pressos. Hi enim sperantes meliora, Fortunamque rotæ conversione benigniorem fore, præsentes ærumnas æquiori ferunt animo.

*Et albo rara fides colit velata panno.*) Licet enim rari sint in adversis amici, aliqui tamen reperiuntur interdum fideles usquequaque. Sic *fides colit* Fortunam, *nec* adversantis refragantisque se *comitem negat*. Et ob hoc forte dicitur *albo velata panno*, id est, simplex, sincera, non fallax: vel quod albo velabant panno caput, qui fidei sacrificabant. Alii locum hunc interpretantur de Candidatis, adepta dignitate parum curantibus ea persolvere quæ tum maxime promiserant, cum magistratum ambirent. Quod mihi quidem longe petitum videtur. Tuum esto judicium, lector sagax & erudite.

Virgil. Æneid. 2. v. 296.

*Cana fides.*

Quo tamen loco significare videtur antiquam fidem.

22. *Nec comitem abnegat, utcunque mutatâ, &c.*) Id est non deserit fides amicos, etiam cum ab eis recedit Fortuna, *mutatâ* enim vestibus mente; quando miseros reddit eos qui beati erant; & facta jam *inimica linquit domos potentium*, & alio migrat.

25. *At vulgus infidum, & meretrix, &c.*) Veri quidem amici in adversis perinde ac in secundis manent fidi, & juvare perseverant. At hæc paucorum virtus est. Alii enim e multis & e vulgo, amicum fovent quamdiu felix est: reflante vero Fortuna protinus avolant. In primis autem meretrix datæ fidei immemor abscedit; & quanquam utriusque status calamitosi nimirum & fortunati *jugum ferre pariter* spoponderant, *dolosi* tandem apparent. Nam *diffugiunt siccatis cum fæce cadis*, ubi quæstûs nulla spes amplius; atque ut est in proverb. *fervet olla, vivit amicitia*. Et Ovid. de Pont. 2. *Vulgus amicitias utilitate probat*. Ecclesiastici c. 6. *est amicus socius mensæ; & non permanebit in die necessitatis*.

29. *Serves iturum Cæsarem, &c.*) Antii, fortasse tum diversantem Antiati Fortunæ commendat, tumque, ut videtur, illic meditantem eam *in Britannos* expeditionem, de qua Dio lib. 53. *Ultimos orbis*. Virgil. Eclog.

*Et penitus toto divisos orbe Britannos*. Vide infra, lib. 3. Od. 4. v. 31.

Digitized by Google

Orbis Britannos, & juvenum recens
Examen Eois timendum
Partibus Oceanoque Rubro.
  Eheu, cicatricum & sceleris pudet,
Fratrumque! Quid nos dura refugimus
Ætas? Quid intactum nefasti
Liquimus? Unde manus juventus
  Metu Deorum continuit? Quibus
Pepercit aris? O utinam novâ
Incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum.

INTERPRETATIO.

*mos terra Britannos: serves etiam novum agmen adolescentium, formidabile* quidem *orientalibus regionibus, ac mari Erythræo. Heu pudet vulnerum criminisque, & fratrum* a fratribus interfectorum. *Ecquid exhorruimus nos homines sævi? quid impii dimisimus non violatum? a qua manum cohibuerunt adolescentes* ob *reverentiam numinum? Quæ non altaria polluerunt?* O Fortuna *hebetatos* male nostros *enses utinam nova incude fabrices contra Massagetas & Arabas*, bene.

ANNOTATIONES.

30. *Et juvenum recens examen, &c.*) Apposite Marcilius observat duplicem hic ac diversum Augusti consulatu belli apparatum notari: alterum in Britanniam (Majorem nempe, sive Angliam) ductu & auspiciis ipsius Augusti: alterum in Arabiam felicem ductu Ælii Galli: ex Dione cit. lib. 53. Plin. lib. 6. cap. 28. &c. Strab. lib. 2. & 16. &c. Sensus est: conscriptum in illa priori expeditione *juvenum examen*, seu *novum exercitum*, ob Romani famam nominis jam tum *Eois timendum partibus*, ac paolo post terrorem illaturum esse Parthis, Medis, Persis; *Oceanoque Rubro*, Arabibus nimirum illi proximæ. Nam *ipsa peninsula Arabia inter duo maria Rubrum Persicumque procurrit*: ex Plin. mox citat. Ergo perperam alii interpretantur Oceanum Britanniæ majori vicinum occidentis Solis rubescentem radiis: accipe vero sinum Arabicum seu ipsum mare Rubrum, quod Græci Erythræum vocant, quoniam ἐρυθρὸς, vel ἐρυθραῖος rubrum significat, scilicet ob terram rubram sive miniatam aquæ substratam, vel ab imminentibus ejusdem coloris montibus: unde Sole affulgente species rubra præbetur mari. Aliis ab Erythræo rege factum nomen placet. Eustath. in Perieges. Dionys.

33. *Eheu cicatricum & sceleris pudet.*) Inhonesta quippe sunt vulnera in bellis civilibus accepta: & quicquid adversum cives perpetratur, flagitiosum est ac pudendum. *Pudet* igitur & *fratrum*, in contrariis, ut fit, militantium partibus, atque ita sæpius a consanguineis trucidatorum.

34. *Quid nos duræ refugimus ætas? &c.*) Nos hac ætate ferrea odiisque plusquam civilibus infesta viventes, armaque in propinquorum corpora immaniter exacuentes, quid mali ac scelesti patrare detrectavimus? quid infandi non attentavimus?

35. *Nefasti.*) Execrandi, conscelerati, nefarii. Cic. 2. de Legib. n. 21. *Quæ augur injusta, nefasta, vitiosa, dirave dixerit irrita infectaque sunto.*

36. *Unde manus juventus metu Deorum continuit? &c.*) Legunt alii *manum*. Quos religio cohibuit ab audendo scelere, a violandis sacris, a templis atque aris violandis, impieque diruendis?

38. *O utinam novâ incude diffingas retusum, &c.*) Quidam legunt *distringas*, &, *recusum*. Sensus est: o Fortuna, finge de novo, & fabrica nobis gladios, gloriose quidem in hostes Imperii Romani stringendos: nam illi prius a nobis male *retusi* sunt adversus fratres, cives, propinquos: civiles discordias extingue semper funesta, ut externa duntaxat bella deinceps moliamur, signaque Romana cum decore & gloria inferamus in *Massagetas* Scythiæ populos, ubi nunc pars Australis Tartariæ, aliis autem, Paludem Mæoticam incolentes; quasi *graves Getas* appellatos; *massa* enim Scythicâ linguâ, grave significat, ex Isidoro Origin. 9. Claudian.

*Massagetæque truces, duro genus asperà bello.*
Item in Arabes gazis ac divitiis famosos. Arabia inter præcipuas Asiæ partes censetur. Terminos habet a Septentrione Syriam, & fluvium Euphratem, ab Oriente sinum Persicum, ab Occidente sinum Arabicum, ab Meridie mare Arabicum, sive partem Indici Oceani. Porro ad rem præsentem facit quod habet Strabo lib. 6. *Eo tempore*, inquit, *Byrebistas Getarum tenebat Imperium, adversus quem Cæsar instruxit exercitum.* Et quod Ammian. Marcellin. *Arabiam* vocat *Getarum desertum*.

ODE

FIRENZE
Digitized by Google

# ODE XXXVI.

*Faustum ex Hispania reditum Numidæ gratulatur.*

Et thure, & fidibus juvat
Placare, & vituli sanguine debito,
Custodes Numidæ Deos:
Qui nunc Hesperia sospes ab ultima
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen dividit oscula,
Quam dulci Lamiæ; memor
Actæ non alio rege puertiæ,
Mutatæque simul togæ.
Cressâ ne careat pulcra dies notâ;

## INTERPRETATIO.

*Et thure, & Lyricis* carminibus, *& debito* *tenere vitulo expedit litare Numinibus servatoribus Numidæ, qui jam incolumis ab extrema rediens Hispania, dilectis sociis oscula plurima, at nemini plura quam suavi Lamiæ partitur, recordatus adolescentiæ non alio ductore transactæ, & mutata pariter toga. Ne læta diei signum*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9.

Ad Plotium, vel, ut aliis placet, Pomponium inscribitur Ode hæc. *Numida* vero cognominari videtur ab illa regione Africæ Libyæ interiori & Mauritaniæ finitima in qua militaverat.

1. *Et thure & fidibus juvat, &c.*) Æquum est sacrum Diis facere, adhibitis, ex more veteri, thure, & musica, vitulumque mactare Diis, ex voto pro felici reditu facto ab amico nostro Numida.

4. *Custodes.*) Castorem & Pollucem navigationis, vel Mercurium peregrinationis præsides. Unde hic sub nomine *σωτῆρ* colebatur; teste Hesychio.

4. *Qui nunc Hesperia sospes ab ultima.*) Qui salvus rediit a bello Cantabrico. In ea Hispaniæ regione Oceano Septentrionali proxima ab Augusti ducibus gestum est non semel nec valde feliciter bellum. Quo magis mirum, inde sospitem Numidam rediisse *Hesperia ab ultima*. Quod addit *ultima*, Hispaniam clare designat: alias enim Italia quoque Hesperia dicitur; ut supra notavi ad Od. 28. v. 26. Vide ibi Annot. Strabo lib. 3. Hispani ad Occidentem vergunt maxime, *μάλιστα ἑσπέριοι*, inquit.

6. *Dividit oscula.*) Quotidiana quidem obviis familiaribus dabantur: at præcipue vel proficiscentibus, vel e peregrinatione redeuntibus. Cic. lib. 16. Epist. ult. ita scribit Tironi suo: *oculos tuos, etiamsi te veniens in medio foro videro, dissuaviabor*. Sueton. Tiber. cap. 10. *paucos in digressu osculatus*. Et cap. 34. *quotidiana oscula prohibuit edicto*. Neron. cap. 37. *Certe neque adveniens, neque proficiscens quemquam osculo impertivit, ac ne resalutatione quidem*. Sic & sacræ litteræ: *salutate invicem in osculo sancto*. D. Paul. Rom. cap. 16. v. 16. ad Cor. cap. 16. v. 20. D. Petr. 1. Epist. cap. 5. v. 14.

7. *Lamiæ.*) De Ælio Lamia, supra, Od. 26.

*Memor actæ non alio rege puertiæ, &c.*) Magnam animorum conjunctionem gignere hæc solent. Lamia & Numida eodem pædagogo seu rectore usi, pueritiam simul exegerant, prætextam quoque deponentes pariter circa annum 17. togam virilem una sumpserant, tum ex more, *tandem custode remoto*: ut ait noster ad Pisones, Ep. Sunt qui *puertiæ regem* interpretentur patronum potentem: Sed quid hoc ad pueros? Alii creatum sorte regem inter pueros colludentes in *βασιλίνδα*, de qua Plato in Theæteto, Jul. Pollux lib. 9. cap. de convivalibus ludis, & nos postea Epist. 1. ad v. 59. ubi.

*At pueri ludentes, rex eris, ajunt, &c.*

Melius certe alii intelligunt magistrum, sive inspectorem & curatorem, qui duobus aut pluribus pueris nobilibus instituendis præficiebatur: *παιδόναξ*, quasi *παίδων ἄναξ*.

8. *Puertiæ.*) Syncope. Sic *lamna* pro *lamina*. Sic *porgite* pro *porrigite*: Virgil. Æneid. 8. v. 274. *surpite* pro *surripite*: infra, lib. 2. Sat. 3. & l. 4. Od. 13. *porgam* pro *porrigam*, teste Festo; & Sil. lib. 9.

10. *Cressâ ne careat, &c.*) Dies ista, qua redditus mihi es, notetur læto signo, vel creta, albo nempe lapillo seu Cretensi; ex more apud Thraces instituto, lætas dies ac felices candido notandi calculo. Plin. lib. 7. cap. 40. hinc legendum quidam putarunt, *Threcâ*, sed male,
ut

Digitized by Google

Neu promptæ modus amphoræ,
Neu morem in Saliûm sit requies pedum:
Neu multi Damalis meri
Bassum Threiciâ vincat amystide:
Neu desint epulis rosæ,
Neu vivax apium, neu breve lilium.
Omnes in Damalim putres
Deponent oculos: nec Damalis novo
Divelletur adultero,
Lascivis hederis ambitiosior.

## INTERPRETATIO.

*desit Cretense; neve prolato cado parcatur: neque sit pedum cessatio ad ritum Saliorum. Neve Damalis plurimi vini bibax certet cum Basso poculis Thracibus: neve convivium rosis careat, nec apio constanti, nec fugaci lilio. In Damalim cuncti defigent aspectus lascivos: at Damalis ab novo non abstrahetur amatore, hederis hærentibus tenacior.*

## ANNOTATIONES.

ut notavi ad Pers. Sat. 2. v. 1. Nec enim de consuetudine Thracum hîc agitur, sed de Cretensi nota felicitatis indice candidâ nimirum. Sic postea Sat. 3. lib. 2. v. 246.

*Cretâ an carbone notandum?*

Et Pers. Sat. 5. v. 108.

*Illa prius cretâ, mox hæc carbone notasti.*

11. *Neu promptæ modus amphoræ.*) Ad plenam significationem lætitiæ, large bibendum ait; simul & veterum tangit morem, quo amicos vel proficiscentes, vel e peregrinatione revertentes convivio excipiebant. Quæ quidem epulæ dicebantur viaticæ, & adventitiæ.

12. *Neu morem in Saliûm sit requies pedum.*) Nec omittantur tripudia & saltationes iis similes, quas exercent Salii Martis Sacerdotes a Numa Pompilio instituti, numero duodecim, e Patricio genere: a Tullo deinde Hostilio duplicati. Hi ænea galea, baltheo, ac thorace armati, per urbem incedebant, gradu composito, atque ad tibiæ modulos subsilientes: unde nomen. Sacra illa cœnis quoque sumptuosis, cantibus & symphonia opipare celebrabant. Vide plura apud Liv. lib. 1. cap. 20. Jul. Poll. lib. 4. cap. 14. maxime vero Alex. ab Alex. lib. 1. cap. 26. &c. Dionys. Halicarn. lib. 2. sic habet: *hi autem Salii omnes saltatores sunt, & laudatores armatorum Deorum, &c.* Varro 4. de Ling. Lat. sic habet: *Salii a saltando: quod facere in comitio quotannis in sacris solent & debent.*

13. *Non multi Damalis meri Bassum, &c.*) Ad convivium amica Numidæ Damalis invitata cum novo sic amatore consuescat, ut relicta veteris amici familiaritate, Bassi videlicet, non amplius cum eo certet bibacitate vinosa quidem mulier.

*Multi meri.*) Tull. lib. 9. Epist. ult. *non multi cibi hospitem accipies, sed multi joci.* Alii sic interpretantur; Bassus & Damalis certent poculis, nec in pergræcatione huic ille cedat.

14. *Bassum.*) Is forte est Iambicus ille Poeta, ad quem est Propertii Eleg. 4. lib. 1. & Eleg. 10. lib. 4. Trist. Ovidii. Ubi male, *Bassus* legitur; Bassus enim vocatur apud antiquiores vitæ Ovidii scriptores: testis Scaliger.

*Threiciâ amystide.*) Vel poculo valde capaci; vel bibendi genere apud Thracas & Scythas usitato ἀπνευστὶ, sine respiratione: ἀμυστὶ, hiante & patente ore & rictu: unde ἀμυστίζειν dicitur is qui sic vinum ingurgitat, largo haustu, ductim, confertim & confestim; non autem sorbillando, vel lento ductu. Vide Plutarch. Sympos. Cœl. lib. 4. cap. 26. & lib. 15. cap. 6. Turneb. lib. 18. cap. 27.

15. *Non desint epulis rosæ.*) Ad corollas nempe texendas ex epulantium more veterum, tum ad delicias, tum ebrietatis coercendæ causa, ut notavi jam alibi, & mox dicam Ode 18.

16. *Neu vivax apium.*) Diu virens, quodque μύρον propterea dicitur, ac inter coronarios flores censetur apud Athen. lib. 15. Vide lib. 2. Od. 7. v. 24.

*Neu breve lilium.*) Brevi durans.

17. *Omnes in Damalim putres deponent oculos.*) Omnes in Damalim oculos amore languentes defigent, condent, ac veluti sepelient. At illa contemptis amatoribus cæteris quidem omnibus, uni se addicet Numidæ.

*Putres.*) Lascivos, libidine fractos. Pers. Sat. 5. v. 58.

*Ille in Venerem est putris.*

*Deponent.*) Timentium & languentium oculi dejecti ac depositi: contra securorum elati & recti. Propert. lib. 1. Eleg. 4.

*Tum mihi constantis dejecit lumina fastus,*
*Et caput impositis pressit amor pedibus.*

18. *Nec Damalis novo divelletur, &c.*) Damalis in amore constans & fida non recedet ab unius Numidæ complexu, ei tenacius adhærens, quam hedera muro vel arbori.

ODE

Digitized by Google

# ODE XXXVII.

*Sodales hortatur ad lætandum, extinctâ Cleopatrâ.*

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus: nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorùm
Tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis; dum Capitolio
Regina dementes ruinas,
Funus & Imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium

## INTERPRETATIO.

*Jam compotandum est, o socii; jam plantâ levi terra percutienda est; jam tempus adest epulis Saliaribus decorare Numinum lectos. Non licebat antea Cæcubum vinum proferre e cellis vetustis, dum Capitolio eversionem, & exitium Imperio* Romano *moliebatur Regina insaniens cum*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9.

1. *Nunc est bibendum, &c.* ) Post insignem illam ad Actium Augusti victoriam, superatumque Antonium cum sua Cleopatra, quæ Romanis dominari stulte appetebat; libere jam tripudiandum, hilariter epulandum est. De his Flor. lib. 4. cap. 11. Liv. lib. 132. & 133. Plutarch. in vita Antonii: Suetun. Oros. &c. Scilicet Imperio Romano Triumviris partito, Augusti sorori Octaviæ, quam duxerat uxorem, repudio remisso, Cleopatræ se amoribus immersit Antonius. Hinc iratus Cæsar bellum ei molitus, in Epirum copias transportavit, navalique prœlio ad Actium Epiri promontorium commisso, Antonium & Cleopatram tam gloriose vicit, ut victos ad fugam, indeque ad ultimam rerum ac ipsius vitæ desperationem adegerit. Ob res tam præclare gestas, supplicationes etiam, ut videtur, ad pulvinaria Deorum institutas, indictaque lectisternia, gratulatur Augusto Romanisque Horatius hac Ode, ut & Epod. 9. vide ibi.

2. *Nunc Saliaribus ornare pulvinar Deorum, &c.* ) *Tempus erat*, vel enallage, pro *tempus est*: vel destinatum fatis hoc erat tempus, ad gratias Diis agendas, nostramque lætitiam exhibendam, tum lectos ac pulvinos in templis numinibus sternendo, tum opiparas celebrando cœnas & epulas, quales Saliis consuetæ & solemnes, ut locum dederint proverbio: *Saliares cœnæ*, id est, sumptuosæ. Vide supra Annot. Od. 36. ad vocem *Salium*. Turneb. lib. 7. cap. 17. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. Tit. Liv. passim de lectisterniis, quorum superstitionem insectatur Arnob. lib. 7. contra gentes, his verbis: *Lectisternium Cereris erit Idibus proximis. Habent enim Dii lectos, atque ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impressio.*

5. *Antehac nefas depromere, &c.* ) Laborante civilibus discordiis antea Republica, & femina jugum Romanis intentante, lætari non licebat, nec e cellis promere vina generosa, quale Cæcubum e Campaniæ fertilibus agris, prope Fundos & Amyclas urbes.

Martial. lib. 13. Epigr. 115.

*Cæcuba fundanis generosa coquuntur Amyclis.*

6. *Dum Capitolio Regina, &c.* ) Dum Romano Imperio cladem moliretur Cleopatra Ægypti Regina, furiosâ ambitione acta, solitis cubiculariis stipata, eunuchis nimirum, omnia sibi spondens, atque ob aspirantem fortunam animo impotenter elata.

7. *Regina dementes ruinas, funus & Imperio parabat, &c.* ) Recte observant docti Interpretes, mentionem hic Antonii fieri nullam, sed Cleopatræ duntaxat; tum quod e civili bello nulla triomphi manet gloria: tum quia vulgo dicebatur mulier Ægyptia Romanum affectare Imperium. Flor. lib. 4. cap. 11. ita scribit: *Furor Antonii quatenus ambitu non interiret, luxu & libidine extinctus est. Quippe post Parthas, cum exosus arma in otia ageret, captus amore Cleopatræ quasi bene gestis rebus in regia se sinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia ab ebrio Imperatore pretium libidinum Romanum Imperium petit; & promisit Antonius: quasi facilior esset Parthis Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacite; sed patriæ, nominis, togæ, fascium oblitus, totus in monstrum istud ut mente, ita animo quoque & cultu desciverat, &c.*

9. *Contaminato.* ) Ex Donato, *contaminare* est rem rei sic miscere, ut consumpatur utraque, neutra permaneat: quod quidem spadonibus competit. Nam ex Greg. Nazianz. in Epitaph. Basilii magni, inter mulieres viri esse viden-

Digitized by Google

Morbo virorum; quidlibet impotens
Sperare, fortunâque dulci
Ebria. Sed minuit furorem
Vix una sospes navis ab ignibus:
Mentemque lymphatam Mareotico
Redegit in veros timores
Cæsar, ab Italia volantem
Remis adurgens: accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Æmoniæ; daret ut catenis
Fatale monstrum: quæ generosius
Perire quærens, nec muliebriter

## INTERPRETATIO.

*turma fœda hominum hac inquinatorum, nihil non sibi temere promittens, fortunâ favente dementata. Verum fastum ejus imminuit unica navicula vix ab incendio salva: & animum Mareotico furentem ad veros metus compulit Augustus, quando fugientem ab Italia persecutus est remigatione, (tanquam accipiter teneras columbas, aut leporem velox insectator insequitur per agros Æmonia nivosa) ut in vincula conjiceret funestum portentum. Illa vero strenue mori volens, haud gladium exhorruit more fœmineo, nec reconditas*

## ANNOTATIONES.

dentur, inter viros autem sunt molieres, ad obscœna vero quælibet paratissimi. Hinc sequitur, *cum grege turpium morbo*. Quidam legunt *congrege*. Porro *contaminati turpesque morbo*, seu ob emasculationem, seu ob cinœdicam fœditatem. Juvenal. Sat. 2.

10. *Quidlibet impotens sperare*.) Sunt qui interpretentur, valde potens; sed alii melius; impar & impotens ambitionem frænare, quidlibet temere sperabat. Sic enim qui se continere ab illicitis nequit, is dicitur non compos, & animi impotens; quoniam affectus, motus, cupiditates non valet coercere, imo ab iis victus, huc illuc ut servus trahitur.

*Hispo subit juvenes: & morbo pallet utroque.*

12. *Sed minuit furorem vix una, &c.*) Bene scripsit quidam: *fortuna vitrea est; cum splendet, frangitur*. Itaque spes insanas, superbos fastus, & arrogantes animos tandem Cleopatra fregit, quando e classe tam numerosa, vix ab incendio Romanorum navim unam eripuit, qua fugeret. Subtiliter hic a nonnullis intelligitur Augustus, qui fuerit unus sospes ab impuris illis Cleopatræ ardoribus, quibus deflagrarant Julius quidem Cæsar primum, ac subinde Antonius. Flor. cit. *Prima dux fuga Regina, cum aurea puppe, veloque purpureo se in altum dedit: mox secutus Antonius: sed instare vestigiis Cæsar, &c ....... prope manu tenebatur. Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Cæsaris provoluta tentavit oculos Ducis frustra. Nam pulcritudo intra pudicitiam Principis fuit.*

14. *Lymphatam Mareotico redegit, &c.*) Vel exquisito vino ex illa Ægypti regione, Mareotidi paludi vicina, apud Alexandriam; quod laudant Columelle, Athenæus, Strabo, &c. & meminit Virgil. Georgic. 2.

*Sunt Thasiæ vites, sunt & Mareotides albæ.*

Eo nempe, cum suo Antonio frequenter epulata, animum exhilarabat. Vel, regni *Mareotici*, id est, Ægyptii opibus nimium confisa, indeque velut cæco animi impetu abrepta ad quandam insaniam, cum jam sibi arrogat aliena, de propriis laboravit, sibique timuit, ne hostium præda fieret: quod revera contigit.

16. *Ab Italia volantem remis adurgens, &c.*) Addente alas timore fugiebat celeriter Cleopatra: sed institit Augustus (teste Floro cital.) navibus Liburnis, quæ velocissimæ sunt, ut postea dicetur: hinc accipitri citoque venatori comparatur. *Ab Italia*. Porro illa abhorrebat, eo timens abduci ad hostilis triumphi pompam suo dedecore exornandam.

20. *Æmoniæ*.) Vel Thraciæ: sic dictæ ab Hæmo, seu Æmone nivoso monte; vel potius, Thessalicæ regionis Macedonibus proximæ ab Æmone Deucalionis filio nuncupatæ.

*Daret ut catenis fatale monstrum*.) Ut captivam veheret Cleopatram Reipublicæ Romanæ fatalem & exitiosam; vel suæ gloriæ ac triompho fatis reservatam. Addunt alii, thesauris ejus potiundi spem, insequendi causam fuisse.

21. *Quæ generosius perire quærens, &c.*) Haud muliebrem animum, sed virilem potius gerens in corpore muliebri, nequaquam more feminarum ensis aciem expavit. Nimirum cum Augustus Alexandriam, obsessosque ibi Antonium & Cleopatram redegisset in suam potestatem, se quidem interemit Antonius: arripuit & Cleopatra gladium, quo sibi mortem inferret: sed prohi-
bi-

Digitized by Google

Expavit enſem, nec latentes
Claſſe citâ reparavit oras.
Auſa & jacentem viſere regiam
Vultu ſereno fortis, & aſperas
Tractare ſerpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberatâ morte ferocior:
Sævis Liburnis ſcilicet invidens
Privata deduci ſuperbo
Non humilis mulier triumpho.

INTERPRETATIO.

*celeri navigio terras requiſivit. Sed fronte læta deſperatum etiam regnum adire non verita eſt: & conſtans ſævas aſpides attrectavit, ut nigrum virus corpore hauriret, morte conſtitutâ audacior. Nempe femina haud ignobilis ad magnificum Auguſti triumphum Liburnis ferocibus velut privata devehi abhorrebat.*

ANNOTATIONES.

bita eſt a Proculejo intra ſepulcrorum clauſtra miſſo a Cæſare, qui vivam ſervare ad ſui thriumphi decus exoptabat. Plutarch. in vita Antonii. Tit. Liv. lib. 131. cit.

23. *Nec latentes claſſe citâ reparavit oras.*) Nec in remotas Ægypti regiones clam aufugit, aut uſquam latere voluit, ſed Alexandriam recto curſu contendit.

*Latentes.*) Cic. Agrar. 2. n. 43. *quid Alexandria, cunctaque Ægyptus? ut occulte latet, ut recondita eſt?* Suum tamen poſtea damnavit errorem: intellexitque ſatius futurum fuiſſe cedere tempori, & in totum aliquem locum ſe recipere dum bellum repararet; conſpirante præſertim in ejus auxilium tota Ægypto. Vide Virg. Æneid. 8. v. 707. & ſeq. & Servium in eum locum. Vide & Plutar. Dionemque, tentatam ab ea fugam per ſinum Arabicum, contra narrantes.

25. *Auſa & jacentem viſere regiam, &c.*) Deſperatum licet regnum ingreſſa nihil de ſuperbia remiſit: *vultu ſereno* regiam adit, ibique in omni luxu verſatur; teſte Plutarcho.

26. *Fortis & aſperas tractare ſerpentes.*) Cum in victoris poteſtate eſſet, morique conſtituiſſet, ſecretum mortis genus tentavit. Flor. cit. *Cleopatra*, inquit, *non jam de vita, quæ offerebatur, ſed de parte regni laborabat. Quod ubi deſperavit a Principe, ſervarique ſe triumpho vidit; incautiorem nacta cuſtodiam, in Mauſoleum ſe (ſepulchra regum ſic vocant) recepit: ubi maximos, ut ſolebat, induta cultus, in differto odoribus ſolio, juxta ſuum ſe collocavit Antonium, admotiſque ad venas ſerpentibus, quaſi ſomno ſoluta.* Similiter Plutarchus refert, omnium genera venenorum iſ damnatis expertam: anxiam autem fuiſſe, quod quæ cito extinguerent, crearent dolorem: quæ vero ſine dolore eſſent, celeritate carerent: tandem vero deprehendiſſe aſpidis morſum & cito & ſine dolore enecare, gravato ex ſomno capite, & leni ſudore per vultum diffuſo. Cæterum nemini compertum eſt quo mortis genere Cleopatra obierit: punctura tantum in brachio conſtat exiguas apparuiſſe. Hinc Auguſtus ejus ſimulacrum in triumpho duxit, admorſo aſpidibus brachio. De quo Propert. lib. 3. Eleg. 10.

*Brachia ſpectavi ſacris admorſa colubris,*
*Et trahere occultum membra ſopore iter.*

29. *Deliberatâ morte ferocior.*) Eo ferocior, quod mori quoquo modo ſtatuerat. Adverte pluribus extolli Cleopatræ generoſitatem ſupra muliebrem ſexum, ut hinc victori accedat & creſcat gloria. Alias enim habere locum potuiſſet, quod ſcribit Virgil. Æn. 4.

*Egregiam vero laudem . . . .*
*Si femina victa eſt.*

30. *Sævis Liburnis.*) Non parum juverant Auguſtum in reportanda navali victoria Liburni Illyrii populi, Liburnæque naves celeritate inſignes. Ex quo patet non cymbas quaſdam aut naviculas bello ineptas fuiſſe, ut putarunt quidam: Suidas certe roſtratas & conſtratas extitiſſe tradit, aliâ tamen quam triremes formâ: Vide Veget. lib. 4. de re milit. Appian. lib. 4. &c.

*Sævis.*) Si quidem Romam deportaſſent vivam ad hoſtis triumphum.

*Scilicet invidens privata deduci ſuperbo non humilis mulier triumpho.*) Dio cit. lib. 51. ita ſcribit: *tantas inter calamitates regni memoriam retinebat, ut mallet nomine & ornamentis ejus retentis mori, quam privata, vitâ frui.* Nihil itaque magis Cleopatra formidabat, quam triumphari, invidens Auguſto illum quem tantopere anhelabat honorem, victam & vinctam ſcilicet Reginam per urbem Italiamque circumducendi in ſuo triumpho. Hinc ajunt, cum capta ab Auguſto clementius de induſtria tractaretur, qua vero mente & conſilio ſatis intelligeret, dicere ſolitam: *non triumphabor.*

# ODE XXXVIII.

*Parvo gaudere se in conviviis apparatu.*

1 Persicos odi, puer, apparatus.
Displicent nexæ philyrâ coronæ:
Mitte sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.

## INTERPRETATIO.

*O famule, aversor Persarum sumptus. Non placent corolla philyrâ colligata: Omitte perscrutari quibus in regionibus durent rosa serotina.*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 2.

1. *Persicos odi, puer, apparatus.*) Persarum luxus passim famosus ex Herodoto, Xenophonte, Plinio, Athenæo. Illi nempe vasa pretiosa in conviviis, lectos etiam discubitorios aureos & gemmeos requirebant. Patet ex Herodot. lib. 9. unguenta & odores amabant. Testis Plin. lib. 13. cap. 1. obsonia exquisita, tibicines, ministros succinctos adhibebant. Ex Plutarch. novæ alicujus voluptatis inventoribus præmia dabant. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1. Cœl. Rhodig. lib. 8. cap. 2 &c. *Persa & Medi omnium hominum maxime voluptatem ac delicias colere:* & paulo post: *omnium primi luxu celebres fuisse Persa*, referuntur ab Athen. lib. 12. cap. 1. & lib. 4. cap. 10. ex Theophrasto; *Persarum Reges luxu effeminati ingentem pecunia summam per praconem iis pollicentur, qui novum voluptatis genus excogitavint*. Item ex Heraclide Cumano, *qui cœnanti Regi Persarum ministrant, loti omnes, pulchris induti vestibus assistunt, ac diei parte dimidiâ circa cœna apparatum occupantur.* Denique ex Xenophonte in Agesilao, sub finem; *apud Persas sunt qui totum orbem circumeant quaritantes quid Regi sit potu gratissimum: alii solerter inquirunt quid libenter edat, ubi & quomodo suaviter dormiat. Neque est facile dictu, quam anxie talia procurent.*

2. *Displicent nexa philyrâ corona.*) Coronatos epulari veteres assuetos constat: sed & luxum in texendis arte & labore corollis satis fuisse non minus certum est. Ait vero Horatius odisse se sumptuosas ac operosas has etiam coronas, quæ vel texerentur e floribus ac foliis inventu difficilibus; vel necterentur magno labore & apparatu.

*Philyrâ.*) Tenui membranâ, quæ corticem inter & lignum tiliæ arboris succrescit. Hac utebantur tum ad nectendos flores, tum ad lemniscos appendendos. Plin. lib. 16. cap. 14. *inter corticem & lignum tenues tunica, multiplici membranâ, e quibus vincula tilia vocantur: tenuissima earum philyra, coronarum lemniscis celebres, antiquorum honore.* & lib. 21. cap. 3. *Crassus dives primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit. Accesserunt & lemnisci, quos adjici ipsarum coronarum honos erat ..... Claudius Pulcher bracteas etiam philyræ dedit.* Angel. Politian. Miscell. cap. 72. ita scribit: *philyra usus percelebris olim in texendis coronis: e philyris etiam fiebant lemnisci, id est fasciola e coronis pendula.*

*Corona.*) Hæ fiebant e frondibus ac floribus hederæ, rosæ, violæ, lauri, lilii, narcisci, myrti, &c. hisque discuti ebrietatem, & capitis dolores credebant, seu constringendo, seu refrigerando. Plutarch. Sympos. lib. 3. quæst. 1. An inter potandum, coronis floreis, ac sertis utendum sit, multis disputat: ait vero *hederâ crapulam restingui ..... amethyste herbâ item & gemmâ vinolentiam retundi ......, vinum si quando caput tentaverit, florum auram auxiliari, & munire adversus crapulam: eo quod flores calidi leniter spiramenta laxantes respirationem vino præstant: frigidi vero modice stringendo repellunt, inhibentque evaporationes: ceu viola, & corona ex rosis, &c.* Et ex his aliisque ibidem compluribus concludit, coronis floreis inter pocula usos propterea veteres. Athen. lib. 3. cap. 21. jubet ex Archestrato, *perpetuo coronis inter cœnam caput omnifariis redimiri.* lib vero 15. cap. 5. ex Aristotele & Aristone, affirmat: *Antiquos ob capitis gravitatem & dolorem a vini potu, vinculum temporibus adhibuisse, quod eam ligaturam prodesse crederent: posteros autem, ornatus & oblectamenti gratia, coronas in compotationibus excogitasse.* Et paulo post, ait: *capitis dolori florum fasciculos ac serta mederi suo compressu & vinculo.* Plin. lib. 21. cap. 3. jam cit. sic habet: *Apud Græcos de coronis scripsere Mnestheos & Callimachus Medici, qua nocerent capiti: quoniam & in hoc est aliqua valetudinis portio; in potu atque hilaritate præcipuè, odorum vi surrepente fallaciter, &c.* ubi etiam refert Cleopatram per illitas veneno coronas Antonio insidiatam. Ex illis vero quæ ante dicta sunt, Ovidius canit: Fast. 5.

*Ebrius incinctis philyrâ conviva capillis*
*Saltat, & imprudens utitur arte meri.*

3. *Mitte sectari, rosa quo, &c.*) Ne labores ad investigandas rosas extra tempus; texendasve

e

Digitized by Google

Simplici myrto nihil allabores,
Sedulus curo: neque te ministrum
Dedecet myrtus, neque me sub arcta
Vite bibentem.

INTERPRETATIO.

*In primis studeo, ne quidquam laboriose adhibeas ad myrtum solam. Neque vero tibi famulo myrtus indecora, nec mihi subter densam vitem perpotanti.*

ANNOTATIONES.

e raris floribus coronas. Athen. cit. in conviviis roseas coronas commendat. At eas, cum natura negat, luxuriose sectantes ita corripit Seneca Epist. 122. an vivunt contra naturam, qui hyeme concupiscunt rosam? Et qui aquarum fomento calentium, & calorum apta mutatione (vel potius, *imitatione*, id est, imitando calorem æstivum, qui a natura est, ex Lipsio ibid.) bruma lilium florem vernum exprimunt?

5. *Simplici myrto nihil allabores, &c.*) Nihil volo præter myrtum, itaque ne quid ultra quærere ad convivii hilaritatem satagas. Intelligit autem vel myrti ramum, quem olim convivæ alter alteri porrigebant, suam quisque edendo cantilenam: ex Plutarcho in Sympos. & Victorio lib. 16. cap. 2. ubi sic scribit: *qui in conviviis olim carmina cantabant, myrtum laurumque manu tenebant, laurum, qui versus Homericos recitarent: myrtum, qui Æschyli, Simonidis, Stesichori.* Vel implexam simpliciter e myrti surculo coronam. Athen. cit. lib. 15. c. 5. *Jam inde voluptatibus illecti homines, præter eam vim, qua ebrietatis incommodis medetur corona e floribus, oculorum quoque & narium delectationem expetiverant: ac tum maxime coronam myrteam, quæ astringit, & vini arcet exhalationes: tum etiam e rosis, quæ gravitatem capitis sedat, & æstuantes potione refrigerat, usurparunt.* Et cap. 6. *Herostratus myrtos extempla virentes consecravit in æde Veneris, ejusque dicatâ imagine, spectatissimos civium ad epulum vocavit in delubrum, coramque singulos corona donavit myrtea, quam Naucratiten appellarunt.* Additque, nihil aliud esse coronam illam ab Anacreonte gestatam, præter myrteam adjectis rosis: verumque se arbitrari, quod prodidit Philænides; e myrto coronam meri vapores prohibere: e rosis autem, refrigerando vim habere leniendi capitis dolores.

6. *Neque te ministrum dedecet myrtus.*) Tu quoque satis decoros & ornatos mihi videbere simplici myrto, cum mihi potanti ministrabis. Persæ contra more suo luxuriosi pueros seu ministros in conviviis optabant succinctos & lemniscatis coronis exornatos. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 21. ait pariter: *festis diebus coronatus cum lemniscis veteres epulari consuevisse; fercula quoque lautiora a coronatis item ministris afferri solita cum cantu & tibicine.* Athenæus autem lib. 15. cap. 10. ex Philoxeno sic refert: *aqua lavandis manibus allata est: mollinsculus puellus argenteo gutto, quem tenebat affudit: deinde coronas advexit tenues e puris myrti ramis, magno labore contextas.*

7. *Neque me sub arcta vite bibentem.*) Mihi pariter sufficiet myrtus simplex consideni quidem & hilariter bibenti non ut Persæ sub lacunari splendido, sed sub vitis umbraculo, sub humili & arcta vita, id est, sub palmitibus & pampinis pergulâ intextis & suffultis: *sous la treille.*

QUIN-

Digitized by Google

# QUINTI
# HORATII FLACCI
# CARMINUM
## *LIBER II.*

## ODE I.

*C. Asinium Pollionem monet ut bella civilia describere intermittat: tum laudat ejus scripta.*

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, & vitia, & modos,

### INTERPRETATIO.

*Bella civilia a Metelli consulatu, & discordiarum origines, criminaque, & rationes,*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Metello consule.* ) Plures hujus nominis cum fuerint Consules, ambigitur sane, de quo potissimum loquatur Horatius. Verum ex adjunctis tamen intelligendus maxime videtur Q. Metellus Celer, qui consulatum gessit cum L. Afranio, anno ab orbe condita 690. vel, ut aliis placet, 693. Sub his enim bellum exarsit Cæsarem inter & Pompejum, ut fuse narrat Florus lib. 4. cap. 2. Res itaque per annos circiter viginti, civilibus dissidiis gestas, hoc est, ab eo, quod notavi, tempore ad suum usque consulatum Pollio persequebatur, cum Poeta noster ab instituto curso illum revocare nitebatur hac odè; forte ne cacitata bellorum istorum recordatio asperiorem sibi faceret Augustum, contra quem militarat; ut explicatur Ode 7. sequenti. Pollionis historiam altius repetitam volunt alii, nempe a consulatu Q. Metelli Numidici, qui fuit Consul cum M. Junio Silano, anno U. C. 641. vel 644. secundum alios. afferuntque testimonium vetustissimi codicis, in quo sic annotatum legitur: *Ex Metello*, id est, ex eo tempore, quo Metellus fuit Consul contra Jugurtham. Sed quæ fides? Certe negotium mihi facessit majus eorum sententia, qui Torrentio Duce, intelligunt Q. Metellum Scipionem a Pompejo tertium Consule in Collegam adscitum, anno U. C. 701. quoniam lata est tunc ea lex, qua a petitione Magistratuum absentes arcebantur, ne excepto quidem Cæsare: Sueton. Jul. Cæsar. cap. 28. nam & cap. seq. *commotum his Cæsarem*, & paulo pòst, *prætextum quidem illi civilium armorum hoc fuisse*, idem testatur. Non moror Q. Metellum Pium cum Sylla Consulem, an. 673. quem afferunt quidam nullo certe aut lèvi admodum fundamento.

2. *Bellique causas.* ) Aliæ fuerunt simulatæ, aliæ veræ: hæ profecto erant odium & invidia partium, Ducum autem superbia, avaritia, ambitio, dominandi cupiditas. Lucan. lib. 1.

*Nec quemquam jam ferre potest Cæsarve priorem,*
*Pompejusve parem.*

Alias vero Principes ipsi obtendebant, Pompejus defensionem libertatis publicæ: Cæsar factam sibi contumeliam, &c. Vide Suet. Jul. Cæsar. cap. 28. 29. 30. Flor. lib. 3. cap. ult. & lib. 4. c. 2. & seq. Plutarch. Appian. Oros. Dion. Cæsaris etiam de bell. civil. lib. 1. ubi sic habet: *neminem dignitate secum exæquari volebat Pompejus: simul infamiâ legionum permotus, quas ab itinere Asiæ Syriæ-*

Ludumque fortunæ, graveſque
Principum amicitias ; & arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculoſæ plenum opus aleæ

## INTERPRETATIO.

*& fortuna jocum, & Ducum conventiones Reipublica damnosas, & arma nondum lustrato sanguine conspersa describis; argumentum* sane *periculosum & lubricum: & ambulas per ignes sub fal-*

## ANNOTATIONES.

*riaque ad suam potentiam dominatumque converterat, rem ad arma deduci studebat, &c.* De seipso vero scribens, ita queritur: *novum in Republica introductum exemplum, ut Tribunitia intercessio armis notaretur atque opprimeretur, qua superioribus annis esset restituta ..... sibi semper Reipublica primam dignitatem, vitaque potiorem: doluisse se quod Populi Romani beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur, ereptoque semestri Imperio, in urbem retraheretur, &c.*

*Et vitia, & modos.*) Vitioſos modos, improbas agendi rationes. *Jus datum sceleri*, quod ait Lucanus. Florus cit. cap. 2. lib. 4. *Marianam Cinnanamque rabiem, Syllanamque tempestatem, Cæsaris furorem atque Pompeii* vocat. Et paulo post, *non recte civile tantum, nec sociale, aut externum* dici bellum oportere, ait, *sed commune quoddam ex omnibus, & plusquam bellum. Quippe si duces ejus inspicias, totus Senatus in partibus: si exercitus, hinc undecim legiones, inde decem, & octo, flos omnis & robur Italici sanguinis: si auxilia sociorum, hinc Gallici Germanique delectus: inde Dejotarus, Ariobarzanes, &c .... si moram belli, quatuor anni, & pro clade rerum breve tempus: si locum intra Italiam, inde se in Galliam Hispaniamque deflexit: reversumque ab occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit: hinc in Ægyptum, inde in Asiam: rursumque in Africam, postremo in Hispaniam remigravit. Nec vero prius quievit, quam in urbe ipsa, medio Senatu, eorum qui victi erant, odia victoris sese cæde satiarent, &c.* & hi quidem *modi*, hæc belli *vitia*. Ducum autem pravas affectiones quis non intelligebat? Flor. cit. *Pompeio suspectæ Cæsaris opes, Cæsari vero Pompejana dignitas erat gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! Sic de principatu laborabant, tanquam duos tanta Imperii fortuna non caperet, &c.* & paulo post: *Pompejus ab Italia, Senatus ab urbe fugatur: quam pene vacuam metu Cæsar ingressus, Consulem se ipse facit. Ærarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, jussit effringi: censumque & patrimonium Populi Romani ante rapuit quam Imperium.* Hæce tamen tam violentæ cupiditatis conatibus Juris speciem prætexebat Cæsar, de bello civili lib. 1. scribens: *se non maleficii causa ex provincia egressum, sed uti se a contumeliis inimicorum defenderet; ut Tribunos plebis ea re ex civitate pulsos in suam dignitatem restitueret: ut se & Populum Romanum paucorum factione oppressum in libertatem vindicaret.* Et apud Suetun. Jul. cap. 30. Asinius ipse Pollio testatur Cæsarem Pharsalica cæsos acie cernentem adversarius, in hæc erupisse verba: *hoc voluerunt: tantis rebus gestis C. Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem.*

3. *Ludumque fortunæ.*) Quæ gaudet res quietas miscere; hos attenuare, illus imo tollere de gradu; vertere funeribus triumphos: Vide supra lib. 1. Ode 34. & 35. & Flor. ante cit. *turpe dictu: modo princeps patrum, pacis bellique moderator per triumphatum a se mare, lacera & inermi nave fugiebat.*

*Graveſque Principum amicitiae.*) Triumviratum nempe, quo nihil unquam fuit bonis ac Reipublicæ gravius. Cato dicebat non ex inimicitiis Cæsaris & Pompeii, sed ex ipsorum & Crassi societate & amicitia provenisse omnia Reipublicæ mala. Hus igitur *Principes* intellige: vel Augustum, Lepidum, & Antonium; qui certe omnes rem suam non publicam quærentes Imperii, Populique Romani libertatem pessumdedere. Lucan.

*Tempus ad Augusti mansit concordia discors:*
*Paxque fuit non sponte Ducum.*

4. *Arma nondum expiatis uncta cruoribus.*) Bella vix dum bene sopita, recrudescentes quotidie dissensiones, *nec finita cum bello partium odia*, ut ait Flor. cit. Theodorus Marcilius explicat, cives armilustrio nondum expiatus, nondum acto censu, nec lustro condito: tunc nimirum cives omnes in Campum Martium armati conveniebant, ibique sacrificiis, sive Solitaurilibus lustrabantur. Dionys. Halicarn. lib. 4. antiq. Rom. scribit, *Servium Tullium cives omnes in maximum ante urbem campum in armis convenire jussos, & in suis quosque ordinibus constitutos expiasse, tauro, ariete, & hirco, ter exercitum circumductis, moxque immolatis: atque censu peracto eam purgandi rationem apud Romanos hactenus observatam ab iis qui sacratissimum obtinent Magistratum, lustrumque appellatam.* Hæc vero jam potitus rerum Augustus religiose præstitit anno sui regni 16. cum anno præcedenti, celebri triumpho Romam ingressus, Cleopatræ liberos ante currum duxisset: atque Nicopoli juxta Actium condita, ibidem agonem Actiacum instituisset. Euseb. Chron. Vide Varronem lib. 5. de Ling. Lat. Tit. Liv. lib. 1. cap. 28. & 44. Festum in Armilustrio; Asconium, Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27 Horat. lib. 1. Od. 2.

*Cui dabis partes scelus expiandi*
*Jupiter?*

6. *Periculosæ plenum opus aleæ tractas.*) Monet Pollionem Horatius ne properet suum de bellis civilibus opus, seu poema seu historiam evulgare; sed potius expectet donec compositæ res sint, cum metuenda non erit amplius cujusquam offensio.

Digitized by Google

Tractas : & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paulum severæ Musa Tragœdiæ
Desit theatris : mox, ubi publicas
Res ordinâris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
Insigne mœstis præsidium reis,
Et consulenti Pollio Curiæ :
Cui laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum

INTERPRETATIO.

*laci latentes favilla. à scena tantisper absit austera Musa Tragœdia : deinde cum publica negotia composueris, ingens opus resumes stylo Tragico, o præclarum solatium tristibus reis & Senatui consilium exposcenti, Pollio, cui laurea immortale paravit Decus in triumpho Dalmatico. Jamjam au-*

ANNOTATIONES.

7. *Incedis per ignes suppositos cineri doloso.*) Recenti nempe injuriarum memoria, flagrantibus adhuc discordiis, quis posset res ex fide historiæ narrare & persequi, citra plurimorum offensionem? certe ut e scintillis sub cinere latentibus incendium; ita e potentium vituperatione suboriuntur iræ, odia, ultio.

9. *Paulum severæ Musa Tragœdiæ desit theatris.*) Seu Tragœdia, cui præest Melpomene, seu historia bellorum civilium res Tragicas complectens, cui præsidet Clio, ne proferatur in lucem ante commodum tempus. At ubi pro Consulis auctoritate & diligentia res turbatas pacaveris, tum vero edes quæ a te gravi stylo scripta sunt. Certe Pollionem Tragœdias scripsisse & belle quidem, satis indicat Virgil. Eclog. 8. v. 10. ubi ait:

*En erit ut liceat totum mihi ferre per orbem*
*Sola Sophoclea tua carmina digna cothurno.*

Nec enim de Augusti Ajace imperfecto intelligunt ea verba Docti, sed de Pollionis Tragœdiis: sicut & Dalmaticum ejusdem triomphum notant aperte quæ sequuntur & quæ præcedunt:

*Sive oram Illyrici legis æquoris*
. . . . . . . .
*hanc sine tempora circum*
*Inter victrices hederam tibi serpere lauros.*

Horat. lib. 2. Sat. 10.

*Pollio regum*
*Facta canit pede ter percusso:*

Id est, senariis versibus Iambicis, quorum usus est in Tragœdiis. Servius autem in Eclog. 3. ad v. 86. *Pollio & ipse facis nova carmina*, citat hanc Horatii Oden, ut Tragœdiarum scriptorem probet fuisse Pollionem.

11. *Cecropio cothurno.*) Cothurnus Tragœdorum altus & sublimis calceus poni solet pro excelsa & magnifica oratione, qualis decet Tragœdiam, cujus origo ex Athenis, ubi regnavit Cecrops; claruerunt autem primi Tragœdiarum scriptores Thespis, Æschylus, Sophocles, Euripides.

13. *Mœstis præsidium reis.*) Seu quod dicendi facultate clarissimus multos in foro defenderat: seu quod Senatores aliosque proceres, qui contra Augustum steterant, ad Pollionis confugientes patrocinium, in Cæsaris gratiam redire veniamque impetrare satagebant; quibus ille opitulari; ut & Horatio Virgilioque, præsidiumque salutis esse non detrectabat; perinde ac Mæcenas. Od. 1. lib. 1.

14. *Consulenti Curiæ.*) Tum quia dare consilia laboranti Curiæ Pollio Consul debebat: tum vero maxime quod ob summam prudentiæ laudem, nec minorem apud viros Principes gratiam, de constituendæ Reipublicæ rationibus, rebusque componendis, a Patribus enixe consulebatur.

*Pollio.*) Is orator, poeta, & historicus non vulgaris, exercituum etiam ductor non ingloriús, consulatum laudabiliter gessit cum Cn. Domitio Calvino, an. U. C. 713. Ejus meminere Quintil. pluribus locis, Sueton. tum in Cæsare c. 30. & 55. tum de illustr. Gramm. cap. 10. Dio lib. 37. 49. 55. Tac. lib. 6. Seneca lib. de tranquill. animi, sub finem, & Epist. 100. Vell. Patercul. lib. 2. Plin. lib. 7. cap. 30. & alibi; Plutarch. in vita Cæsaris, &c. Virgilium autem Bucolica Pollioni inscripsisse non dubitant Eruditi, ut Mæcenati Georgica, Æneida Augusto.

15. *Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho.*) Qui laudem & gloriam nactus es nunquam intermorituram tum cum lauro, ex more, coronatus triumphasti de Salona Dalmatiæ urbe a te expugnata. Inde Saloninum vocavit ille natum eo tempore filium, cujus Genethliacon canit Virg. Eclog. 4. Fuceritne Pollio Consul ante quam triumpharet, an triumphum duxerit ante consulatum, disputant aliqui, sed quid hæc ad nos, & ad hunc Horatii locum?

17. *Jam nunc minaci murmure cornuum, &c.*) Belli tumultum, prœlii strepitum, clangentium & increpantium tubarum quasi minas ac terrorem sic depingis, o Pollio, ut his adesse videatur sibi quisquis tua scripta perlegit. Quod fit per hypotyposim, quam & hic Horatius præbet egregiam, tam graphice exprimens ea ipsa quæ laudat in Pollione, ut ea veluti ponat ob oculos, rerumque atrocitate mentem concutiat.

*Cornuum.*) Varro lib. 4. de Ling. Lat. *cornua di-*

Digitized by Google

Perstringis aures: jam litui strepunt;
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.
Audire magnos jam videor Duces,
Non indecoro pulvere sordidos;
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis.

## INTERPRETATIO.

*res verberas minaci tubarum sonitu; jam clangunt litui; jam splendor armorum percellit equos fugientes, & equitum faciem. Jam videor audire summos Principes glorioso pulvere squalidos, omnemque terrarum orbem domitum, excepto Catonis*

## ANNOTATIONES.

*dicuntur, quod ea quæ nunc sunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu.*

*Murmure cornuum perstringis aures.*) Cæsar bell. civil. l. 3. c. 92. *neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent; quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt.* Contra tamen alii sensere, teste Gellio, noct. Attic. l. 1. c. 11. ex Homero: *Ait ibant taciti spirantes robur Achivi.* Additque: *Quid ille vult ardentissimus clamor Romanorum militum, quem in congressibus præliorum fieri solitum scriptores annalium memoravere? Contrane institutum fiebat antiqua disciplina tam probabile? An tum etiam gradu clementi, & silentio est opus, cum ad hostem itur in conspectu longinquo procul distantem: cum vero prope ad manus ventum est, tum jam e propinquo hostis & impetu propulsandus & clamore terrendus est? &c.*

19. *Fugaces terret equos equitumque vultus.*) Cæsar de bell. civ. l. 3. c. 94. *cum recentes atque integri defessis successissent, alii autem a tergo adorirentur, sustinere Pompejani non potuerunt, atque universi terga verterunt .... Primum equitatus est pulsus .... Pompejus ut equitatum suum pulsum vidit, cui maxime confidebat .... protinus se in castra equo contulit, &c.* Quare vero tacet hic Cæsar suum illud stratagema, quo maxime hostium fuga, & strages, sibique victoria contigit? Nimirum ex Plutarcho, Appiano, Lucano, aliisque, cohortibus suis mandaverat Cæsar, ut adversariorum ora, oculos vultusque gladiis peterent. Flor. l. 4. c. 2. *obequitantis Cæsaris excepta voces, altera cruenta, sed docta & ad victoriam efficax:* MILES FACIEM FERI, *altera ad jactationem posita;* PARCE CIVIBUS. Dolus an virtus quis in hoste requirat? Sua certe Cæsarem non fefellit callida mens. Enim vero sciebat Pompejanos omnes fere nobiles, ætatis flore orisque venustate nimium quantum affectos, nunquam laturos impetum & ignominiam istam, atque ea vultus deformatione, a qua abhorrebant, in fugam avertendos. Flor. cit. *stragem fugientis equitatus levis armatura ruina comitata est. Tunc terrore latius dato turbantibus invicem copiis, reliqua strages quasi una manu facta est.*

21. *Audire magnos jam videor Duces.*) Utriusque partis imperatores ante prœlium orationе incitantes militum animos virtutemque arguentes, pollicitis etiam & obtestationibus adhibitis. Sueton. Jul. Cæs. cap. 33. *pro concione fidem militum flens, ac veste a pectore discissa invocavit. Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis, per quos dignitatem suam defensurus esset, &c.* Vel *audire videor Duces* victæ partis, subactam deflentes causam meliorem, atque pessumdatam libertatem & Rempublicam.

*Magnos Duces.*) Pompejum in acie Pharsalica profligatum: Labienum, Afranium, Jubam, in Africa: Pompeii filium in Hispania ad Mundam urbem: ejusque fratrem Sextum Pompejum, qui Corduba in Siciliam, & hinc in Asiam fugiens, tandem ab Antonianis ibi cæsus est.

22. *Non indecoro pulvere sordidos.*) In ipso conflictu, mediaque acie per singulos ordines discurrunt interdum Duces, hos illosque ad strenue pugnandum adhortantur non verbis solum, sed & exemplo, glorioso proinde ipsi pulvere conspersi. Apud Livium passim. Flor. cit. de Philippensi certamine, *multus in eo prælio Cæsar fuit, mediusque inter Imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis exceptæ, &c.* Apud Mundam vero idem Cæsar, *ablegato equo, similis furenti primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare: per totum denique agmen, oculis, manibus, clamore volitare.* Vel, si referas ad posteriorem interpretationem mox allatam, *pulverem* accipe, in quo volutantur occumbentes pro patria & libertate civium. Vide lib. 1. Od. 1. v. 3. & Ode 15. Vers. 20.

24. *Præter atrocem animum Catonis.*) Cato apud Uticam interire maluit, quam hostium patriæ, qui jam vicerant atque omnia pœne tenebant, faciem videre. Plutarch. de eo Cæsar dixisse narrator: *tuam ego tibi mortem invideo, Cato, quia tu mihi salutem tuam invidisti.* Lucanus,

*Victrix causa Diis placuit; sed victa Catoni.*

Flor. cit. *In Africa cum civibus multo atrocius quam in Pharsalia .... totis ampla sonabant in Pompejani nominis locum Cato & Scipio. Accessit copiis Mauritania rex Juba, videlicet ut latius vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam & Thapson, nisi quod amplior, eoque acrior Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompejum, crevisse bellum .... Cato non interfuit bello: positisque apud Bagradam castris Uticam velut altera Africæ claustra servabat. Sed acceptâ par-*

Digitized by Google

Juno, & Deorum quisquis amicior
Afris, inultâ cesserat impotens
Tellure: victorum nepotes
Rettulit inferias Jugurthæ.
Quis non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia prœlia
Testatur, auditumque Medis
Hesperiæ sonitum ruinæ?
Qui gurges, aut quæ flumina lugubris

INTERPRETATIO.

*animo invicto. Juno aliique Dii Africanis faventes demigraverant impares, terra ille non vindicata; at modo victorum posteros Jugurtha repræsentant inferias. Quis ager pinguior Latinorum cruore, non exhibet tumulis infanda certamina, & cadentis Italiæ fragorem Medis auditum? Quæ vorago, quive fluvii non noverunt pugnas funestas?*

ANNOTATIONES.

*partium clade, nihil cunctatus, ut sapiente dignum erat, mortem etiam latus accivit .... perlecto nocte ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, paululum quievit: tum circa primam vigiliam stricto gladio revelatum manu pectus semel iterumque percussit, &c.* Bene ergo Poeta ait *cuncta terrarum subacta*, sed non subactum Catonis animum *atrocem*, id est, invictum, intrepidum, flecti nescium, denique Portia gente ac severitate superbum.

25. *Juno, & Deorum quisquis amicior Afris, &c.*) Dii qui Numidis in bello Jugurthino faverant, cum tunc eos defendere non possent, urgentibus nimium fatis, cumque amicam ulcisci terram ac gentem modo non liceret, suum in Romanos odium distulerunt, tandemque expleverunt, quando victores ipsos aut eorum nepotes velut hostias mactarunt, atque inferias Jugurthæ & Afrorum manibus in Africa ipsa dederunt ac retulerunt; tum nempe cum ad Thapsum urbem Africæ maritimam quinque hostium myriadas interfecit Cæsar, adnitente quidem Asinio Pollione, unâ die tribus exercitibus superatis, Consularibus ac Prætoriis viris compluribus aut captis aut cæsis, aut ad voluntariam necem adactis; victis denique Scipione, Afranio, Juba, Catone. Plutarch. in vita C. Cæsaris, Florus, &c.

*Juno.*) Virgil. Æneid. 1. vers. 16. Carthaginem Junoni dilectam ostendit his verbis:

*Carthago . . . .*
*Quam Juno fertur terris magis omnibus unam*
*Posthabitâ coluisse Samo: hic illius arma,*
*Hic currus fuit: hoc regnum Dea gentibus esse*
*Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque.*

26. *Cesserat.*) Demigraverat inde, velut resistere fatis impotens. Ex veteri porro consuetudine Romanorum evocabantur ex obsessis urbibus Dii earum Tutelares. Solemne illud evocationis carmen refert Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 9. *Si Deus, si Dea est, cui populus civitasque Carthaginiensis est in tutela; teque maxime ille, qui urbis hujus populique tutelam recepisti, precor veneror que, veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginiensium deseratis; loca, templa, sacra, urbemque relinquatis, absque his abeatis: eique populo civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis; nostraque vobis loca, templa sacra, urbs acceptior probatiorque sit; mihi quoque, populoque Romano militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.*

27. *Victorum nepotes.*) Scipionis Africani, qui victo Annibale vectigalem Populo Romano fecerat Carthaginem, nepos Q. Scipio primo quidem in Cæsarianos bellum non infeliciter gerens, ab iis demum profligatus occubuit; ut ante dixi. Appian. lib. 2.

28. *Rettulit inferias.*) In mortuorum sacris olim juvenes inferebantur mactabanturque ad placandos horum sanguine illorum manes: postea gladiatores introducti ad tumulos defunctorum pugnantes. Cum vero dux in acie cæsus esset, capti ex hostibus ad ejus sepulcrum immolabantur, ac velut inferiæ ei mittebantur. Iliad. 21. v. 175. Achilles Patrocli manibus placandis duodecim Trojanos mactat, atque in ejus pyram injicit. Virgil. Æneid. 10. v. 517.

*Sulmone creatos*
*Quattuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens,*
*Viventes rapit, inferias quos immolet umbris;*
*Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.*

*Jugurtha.*) Is Rex Numidarum acri vir impigroque ingenio, manu promptus, & gloriæ militaris appetens, magnum & atrox variâque victoriâ cum Populo Romano bellum gessit, donec missus in Numidiam Marius Jugurthæ fregit opes, ipsumque ad extrema compulit. Is enim ad Bocchum Mauritaniæ regem fugere coactus, ab ipso proditur; ac Syllæ traditus est, a quo perductus ad Marium, hujus triumphum decoravit: denique trusus in carcerem, illic mœrore contabuit. Sallust.

29. *Quis non Latino sanguine pinguior campus.*) Istum Poetæ nostri a Pollionis laudatione ad civilium bellorum deplorandas clades & ærumnas transitum non probat Scaliger, cum tamen Pindarus aliique insignes Poetæ frequentius nihil habeant, nihilque ornatius quam ejusmodi digressiones; iisque summam artem exhibere soleant.

31. *Auditumque Medis Hesperiæ sonitum ruinæ.*)

Digitized by Google

Ignara belli? Quod mare Dauniæ
Non decoloravere cædes?
Quæ caret ora cruore nostro?
 Sed ne relictis Musa procax jocis,
Ceæ retractes munera Næniæ:
Mecum Dionæo sub antro
Quære modos leviore plectro.

## INTERPRETATIO.

*Ecquisua maris Apuliæ colorem non mutarunt strages? Quæ regio non imbuta nostro sanguine? Verum o Musa audacior, ne dimissis ludis, Ceios luctus reponas: mecum potius sub Dionæo specu tenta modulos pectine leviori.*

## ANNOTATIONES.

*ae.*) Tantam Romanorum cladem & tam famosam, ut remotissimis usque ad Orientem populis audita sit. De *Medis & Hesperia* dixi l. 1.

34. *Daunia.*) Id est, Apuliæ, ut notavi lib. 1. Hanc vero memorat Horatius eo quod per Adriaticum mare Cæsar Brundusio profectus Pompejum insecutus sit. Vide Comment. Cæsar. de bell. civil. lib. 1. cap. 25. & seq. & lib. 3. cap. 2. & seq. ubi sic habetur: *Dictatura se abdicat Cæsar, ab urbe proficiscitur, Brundusiumque pervenit. Eo legiones duodecim, equitatum omnem venire jusserat. Sed tantum navium reperit, &c. .... gravis autumnus in Apulia, circumque Brundusium . . . &c.*

35. *Decoloravere cædes?*) Lucanus:
*Tum primum rubuit civili sanguine Nereus.*

36. *Quæ caret ora cruore nostro?*) Vide supra Annot. ad v. 2. ubi e Floro verba hæc retuli: *bellum intra Italiam, inde se in Galliam, Hispaniamque deflexit, reversumque ab occasu, in Epiro Thessaliaque consedit. hinc in Egyptum, inde in Asiam, rursumque in Africam, postremo in Hispaniam remigravit, &c.*

37. *Sed ne relictis Musa procax jocis, &c.*) Ad seipsum convertitur Horatius: quo vero progrederis, mea Musa? inquit. Quidve refricas obducta vulnera? Et cur ab instituto recedimus? Ne relictis jocis mihi familiaribus, & cantilenis facetis & amatoriis, ad graviora pariter ac tristiora deflectamus. Ergo tenuiores potius modulos atque jocularia carmina more nostro connectemur. Certe leviora ista minori periculo tractabimus.

38. *Ceæ munera Næniæ.*) Luctuosos versus velut inditos a Nænia Dea; de qua Cœl. Rhodig. lib. 22. cap. 3. vel lugubre carmen, quod primus invexit Lyricus Poeta Simonides, e Cea insula oriundus, quæ quidem e Cycladibus est. Ovid.
*Cingitur Ægæo nomine Cea mari.*
Doricam illic secutus est dialectum. Quint. lib. 10. cap. 1. sic habet: *Simonides tenuis, alioqui sermone proprio, & jucunditate quadam commendari potest: præcipua tamen ejus in commovenda miseratione virtus, ut quidam in hac eum parte omnibus ejusdem operis auctoribus præferant.* Hoc idem testatur Dionys. Halicarnass. Refert Suidas Stesichoro posteriorem, Melicerten cognominatum ob suavitatem; Threnos, Encomia, Tragœdias & alia scripsisse, &c. Meminit & alterius Simonidis Ceii, qui prioris fuerit e filia nepos, & scripserit quædam, ante bellum Peloponnesiacum.

*Næniæ.*) Ex Non. Marcell. carmen est inconditum, quod mulier dicta præfica exhibet his, quibus mortuis propinqui non essent. Ex Varrone 4. de vita Populi Romani ad tibias & fides cantari solebat. Cic. de Leg. 2. n. 62. *Honoratorum, inquit, virorum laudes in concione memorantur: easque ad cantus & tibicinem prosequuntur, cui nomen Nænia: quo vocabulo etiam Græci cantus lugubres nominant.*

39. *Mecum Dionæo sub antro.*) Dionæa modulemur carmina, id est, amatoria & Venerea, ut dixi; vel forte, in honorem Augusti, qui ducit genus a Venere, cujus matrem Dionem celebrat Homer. Iliad. E.

40. *Leviore plectro.*) Stylo mediocri. Pollio quidem sublimi & heroico versu Tragica describit. Nos autem leviori decet canere Lyrica.



Digitized by Google

## *AD C. SALLUSTIUM CRISPUM.*

# ODE II.

***Divitiarum non possessio, sed contemptus ac laudabilis usus beatum facit.***

Nullus argento color est, avaris
Abditæ terris inimice lamnæ,
Crispe Salluſti, nisi temperato
Splendeat usu.
Vivet extento Proculeius ævo
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget pennâ metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes, avidum domando

### INTERPRETATIO.

*O Salluſti Crispe, qui aversaris laminas terris avaris conditas, certe pecunia non habet ullum splendorem, nisi usu fulgeat moderato. Proculeius vigebit ætate prorogata, conspicuus ob animum erga fratres paternum: illum fama perennis vehet alâ dissolvi refugiente. Amplius dominaberis cupidum*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Od. 2. Lib. 1.

1\. *Nullus argento color est, &c.*) Si quid habet pecunia nitoris, id omne mutuatur a recto usu. Quapropter, o Salluſti, jure inimicus es iis, qui opes suas terræ infodiunt & abscondunt, auro & argento non utentes, quæ tamen sunt duntaxat ad usum facta. Aristot. Ethic. 4. ὁ πλοῦτος δ' ἐςὶ τῶν χρησίμων. Cyrus apud Xenophont. *pecuniis utimini. Nam in terram satis sit corpora defodi, cum quisque diem obierit*. Cassiodor. lib. 4. Epist. 34. *divitiis auri vena similis est reliqua terra, si jacent: usu crescit ad pretium*.

2\. *Abditæ.*) Alii legunt *abdito*. Sed quorsum tanta eâ de lectione contentio, cum par utrinque sensus exoriatur? *Abditæ* vero seu in fodinis a natura, seu in cavernis & terræ latebris, ab hominibus avaris thesauros ut plurimum defossos custodientibus.

*Lamnæ.*) Lamina, & per syncopen lamna, item lamella, bractea est seu crusta exilis ex auro, argento, aliove metallo: ponitur hic pro pecunia. Sunt qui putent alludi ad *æs Sallustianum in Centronum Alpino tractu* a Sallustio primum effossum. Plin. lib. 34. c. 2. Argentum in laminis servari pridem solitum, innuit Seneca, de vita beata, c. 21. scribens: *sæculum illud, in quo Censorium crimen erat pauca argenti lamella*.

3\. *Crispe Salluſti.*) C. Sallustium Crispum rerum Romanarum scriptorem intellexere hactenus omnes fere post Acronem interpretes: verum bene Torrentius temporum haud rationem convenire subodoratus est. Enimvero de restituto in regnum Phraate mox Horatius; quod aliquot post Actiacam victoriam annis contigit. Non igitur scripta est hæc Ode ad illum Sallustium, *qui diem obierat quadriennio ante Actiacum bellum*, teste Eusebio in Chron. Quem igitur hic compellat Horatius? Accipe ex Annal. 3. Cornel. Tacit. *Crispum equestri ortum loco C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor sororis nepotem in nomen ascivit*. Hunc igitur laudat quod avaritiæ sordes aversetur; solerter autem, occulte, ac velut aliud agens ducet (quod infra declaro) ne impingat in majoris avunculi vitia. Is enim inter alia, ut lurco, popino, & decoctor notatus. Vide Suetan. de illustr. Gramm. cap. 15.

5\. *Vivet extento Proculeius ævo, &c.*) Nunquam peribit aut deficiet memoria viri liberalitate & pietate conspicui, qualis Proculeius, ille Romanus Eques, Augusto sic gratiosus, ut ei filiam nuptui dare meditatus sit. Sororem habuit Terentiam Mæcenatis uxorem: fratres autem Scipionem & Murenam, qui Pompejanas secuti partes, victoris Cæsaris offensionem incurrerunt, publicatoque patrimonio ad inopiam redacti. At Proculeius iis se velut patrem exhibens, diviso, quæ sua erat, hæreditatis parte, qua victitarent ac sustentarentur, reconciliationem insuper & veniam procuravit. Vide Dion. lib. 54. Plutarch. in vita Antonii. Plin. lib. 7. cap. 45.

7\. *Illum aget pennâ, &c.*) Traducet fama nomen Proculeii gloriamque ad posteros: *pennâ metuente solvi*, nunquam dissolvenda celebritate. Sic alibi, *culpari metuit fides*, id est cavet culpari, ita ut nunquam culpetur. Quint. Declam. 6. *in ipsa astra sublimem pennata virtus feret*. Sidon. Apollinaris lib. 8. Epist. 11. *Eum jure censeres post Horatianos & Pindaricos cycnos, gloriæ pennis evolaturum*.

9\. *Latius regnes, &c.*) Corn. Tac. cit. lib. 3. Annal. de C. Sallustio Crispo: *Ille quamquam prompto ad capessendos honores aditu Mæcenatem*

*amu-*

Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops;
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraatem

## INTERPRETATIO.

*vincendo mentem, quam si Libyam addas longinquis Gadibus, atque uni subjiciatur gemina Carthago. Sæva hydropisis sibi largiens ingravescit, neque sitim compescit, donec e venis erige mali, & aquea ægritudo pallente corpore depellatur. Virtus populo dissentiens e numero felicium expungit Phraatem throno Cyri restitutum;*

## ANNOTATIONES.

*æmulatus, sine dignitate Senatoriâ multos triumphalium consulariumque potentia anteiit: diversus a veterum instituto, per cultum & munditias; copiaque & affluentia luxu proprior, &c.* Hunc itaque monet Poeta, ambitionem frænare, avidum seu pecuniæ seu honoris spiritum domare gloriosius esse quam dissitas regiones sub jugum mittere. Ut ergo Sallustius ille prior quamquam Numidiæ præfectus, nequaquam inde beatior fuit, sic nec posterior ab ipso adoptatus, quamvis Libyam Africæ, & Gades Hispaniæ provincias domet, non proinde felix habendus: & si ei *uni serviat* ac subjiciatur *uterque Pœnus*, utraque Carthago, Africana quam Dido, & Hispanica, quam Asdrubal condidit.

11. *Gadibus.* ) Gadira Ptolemæo, Gadir seu Gadir apud Pœnos, hodie, *Cadix*, insula & urbs Hispaniæ Bæticæ a Tyriis condita. Ferrar. γάδειρα, quasi, γῆς δέρα, *terra cervix.* Eustath. in Dionys. Veriorem tamen etymologiam expiscatus videtur, qui sic canit:

*Gadir prima fretum solidâ supereminet arte;*
*Attollitque caput geminis inserta columnis.*
*Hæc Cotinusa prius fuerat sub nomine prisco:*
*Tartessumque dehinc Tyrii dixere coloni.*
*Barbara quin etiam Gades hanc lingua frequentat.*
*Pœnus quippe locum Gadir vocat undique septum.*

Idem testatur Plin. lib. 4. cap. 22. & Hesych. γάδειρα, inquit, Phœnices vocat τὰ περιφράγματα *septa.*

13. *Crescit indulgens sibi dirus hydrops, &c.* ) Trita similitudo, quam eleganter adhibet Poeta, at sine apodosi, ut alias sæpe. Hanc vero sic licet supplere. Hydropisis non curatur, imo irritatur aquarum potu: sic avaritia & cupiditas augescit nedum satietur opum accessione. Juvenal. Sat. 14. v. 139.

*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.*

Ovid. Fastor. 1.

*Creverunt & opes, & opum furiosa cupido:*
*Et cum possideant plurima, plura petunt.*
*Sic quibus intumuit suffusa venter ab unda,*
*Quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.*

*Hydrops.* ) Metonymia, pro hydropicus. Nomen a Græco ὕδωρ *aqua:* ὕδρωψ, morbus, Latinis aqua intercus: ejus non una species: leucophlegmatian indicant hæ voces: *aquosus albo corpore languor:* quando nempe corrupto jecore vel splene non convertitur chylus in sanguinem, sed humore aqueo replentur venæ aliaque minora spatia corporis, quod eo morbo albescit. Cœl. Rhodig. lib. 26. cap. 3. *hydropiseos tertiam speciem Celsus leucophlegmatian vocat: nos albam pituitam dicere possumus*, inquit, &c. ubi & cæteras ejus morbi species, variasque affectiones fuse juxta & docte persequitur. Pariter & Sammonicus rite canit:

*Corrupti jecoris vitio vel splenis, acerbus*
*Crescit hydrops: aut cum siccata febre medullæ*
*Atque avidæ fauces gelidum traxere liquorem,*
*Tum lympha intercus vitio gliscente tumescit,*
*Secernens miserum propria de viscere pellem.*

17. *Redditum Cyri solio Phraatem, &c.* ) Ut porro ostendat non eos omnes regnare aut beatos esse qui populis præsunt & imperant, affert exemplum Phraatis, qui licet in regnum sit restitutus, tamen quia sceleribus inquinarat sese, minime censendus in beatorum numero. Atque hinc virtutis documenta instillat Crispo, ne propter summam apud Cæsares gratiam, plusculum fortunæ credat, minus autem virtuti innitatur. De eo Cornel. Tacit. Annal. 1. *Sallustius Crispus particeps secretorum, &c.* Lib. 2. *Tiberius ancipiti cura distractus postremo dat negotium Sallustio Crispo*, scilicet coercendi Clementem servum Agrippæ nomine habituque assumpto res novas molientem. lib. 3. cit. Sallustius *incolumi Mæcenati proximus, mox præcipuus, cui secreta Imperatorum inniterentur; & interficiendi Postumi Agrippæ conscius: ætate provectâ speciem magis in amicitia Principis, quam vim tenuit. Idque & Mæcenati acciderat: fato & potentiæ raro sempiternæ.*

*Cyri solio.* ) Metonym. totum pro parte. Parthiæ regno, quod tenuit etiam Cyrus subacto toto Oriente. Phraatis historiam narrat integram Justinus lib. 42. sub finem. *Fatum Parthiæ fecit, in qua jam quasi solemne est reges parricidas haberi, ut sceleratissimus omnium, & ipse Phraates nomine, rex statueretur. Itaque statim quasi nollet mori patrem interfecit: fratres quoque triginta trucidat. Sed nec in filiis cessant parricidia. Nam cum infestos sibi optimates propter assidua scelera videret, ne esset qui nominari rex* po-

Digitized by Google

Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus, populumque falsis
Dedocet uti
Vocibus, regnum & diadema tutum
Deferens uni, propriamque laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.

INTERPRETATIO.

*atque emendat plebem fallaci utentem sermone; securum principatum & imperium atque specia-lem gloriam attribuens ei soli, quicumque grandes cumulos rectis oculis intuetur.*

ANNOTATIONES.

*posset, adultum filium interfici jubet ...... cum multa crudeliter consuleret, in exilium a populo suo pellitur. Itaque cum magno tempore finitimas civitates, ad postremum Scythas precibus fatigasset Scytharum maximo auxilio in regnum restituitur, &c.* Phraatem ab Augusto restitutum alii referunt. Vide Dion. lib. 51. & seq. Strabonem, &c.

18. *Numero beatorum.*) Versus hypermeter, cujus ultima syllaba ad sequentem versum pertinet *Eximit virtus*. Beatum plebs imperita vocet & dicat Phraatem, quia regno potitur: at *virtus* aliud omnino decernit, *eximit* enim & expungit e *numero beatorum* sceleratos quosque licet opulentos.

20. *Populumque falsis dedocet uti vocibus.*) Laboret & satagit, ut errorem hunc plebis excutiat, qua dives quisque ab ea existimatur ac prædicatur beatus: Stoicum vero dogma asseret, *solum sapientem beatum esse, regem, &c.* Ipse enim *virtus propriam* sibi *laurum* & gloriam, proindeque *tutum diadema regnumque*, veram deoique felicitatem *ei defert uni*, qui opes contemnit, oblatisque auri argentique acervis adeo non movetur, ut nec oculos convertat. Sic Curius Samnitum & Pyrrhi sprevit dona. De quo lib. 1. Od. 12. v. 41.

23. *Oculo irretorto.*) Rectis oculis, non obliquis, strabis, invidis, adeoque non sæpe ad id quod concupiscitur, retortis. Græci, ὀρθοῖς ὄμμασι προσβλέπων.

Ovid. Metamorph. 2. describens invidiam, ait,
*nusquam recta acies.*

Facit ad rem quod Nonius Marcellus in voce, *Strabones*, refert ex Varrone, περὶ ὀψαρχιῶν. *Multi enim qui limina intrarunt integris oculis, strabones sunt facti: habet quiddam enim ἑλκυστικὸν provincialis formosula uxor.* Lucil. lib. 17. *nulli me invidere, non strabonem fieri sæpius deliciis me istorum.* Vel *oculo irretorto*, id est, aspectu simplici, nec iterato; quod contemptum judicet, sensumque nostri Poetæ plene assequitur, absque tot ambagibus, quibus non raro interpretes auctoris sententiam involvunt impediuntque, dum expedire & explanare satagunt. Vox tamen sequens *spectat*, aliquid amplius innuere videatur; eum nempe qui ingentes acervos contemplatur fixis, immotis, constantibus oculis, ut auri fulgore acies oculorum non præstringatur, aut retorqueri ac reflecti cogatur. Seneca beatum asserit *cui non magis auri fulgor quam gladii præstringat oculos.*

## *AD DELLIUM.*

## ODE III.

*Nec adversis frangi, nec prosperis extolli debet moriturus, sed moderate lætari.*

1 Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem; non secus in bonis.
Ab insolenti temperatam

INTERPRETATIO.

*Inter adversa pariter & prospera stude animum æqualem custodire a lasciviente gaudio moderatum,*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Æquam.*) Nec superbia elatam in secundis rebus, nec mærore fractam in adversis. Aristot. εὐτυχῶν μέτριος ἀτυχῶν μεγαλόψυχος. ad Theod. 2. Euripides autem monet: ὅστις ταῦτα πρῶτον εἰδέναι χρή, φέρειν τὰ συμπίπτοντα μὴ παλιγκότως, *primum omnium scire decet casus adversos non ægre excipere.*

3. *Ab insolenti temperatam lætitia.*) Est enim temperantia *commotionum omnium moderatrix: quæ tum a libidine avocet, tum insolenti alacritate gestire non sinat.* Cic. Tuscul. 5. vers. 42. *in alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio.* 2. de invent. 164.

Lætitia, moriture Deli;
Seu mœstus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto gramine per dies
Festos reclinatum bearis
Interiore notâ Falerni:
Quà pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis; & obliquo laborat
Lympha fugax trepidare rivo.
Huc vina, & unguenta & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube rosæ;
Dum res, & ætas, & sororum

## INTERPRETATIO.

*o Deli moriture, sive tristem semper egeris vitam, sive genio indulseris in feriis* bibens *Falernum reconditioris tituli, recumbens in herba semota, ubi alta pinus & candida populus gaudent umbram ramis conjungere hospitibus amœnam, & aqua saliens obliquo nititur alveo perfluere. Illuc vina & unguenta & valde fluxos rosarum flores* gratos tamen *apportari cura: dum sinunt res,*

## ANNOTATIONES.

4. *Moriture Deli.* ) Quoniam ineluctabilis est fati vis mortisque necessitas, certe non decet eum superbire qui se novit morti obnoxium; sed nec debet animo cadere, cum ei quidpiam humanitus accidit; nihilque humani a se alienum homo existimet, æquum profecto est.

*Deli.* ) Frustra quidam *Luc. Gellium* hic comminiscuntur. Intelligendus certe est Q. Dellius vel Delius, qui primum sub Cassii militavit signis; ab hoc deinde transfugit ad Antonium, tantaque apud eum gratia valuit, ut Cleopatram, quod Cassium in bello juvisse accusaretur, judicium subituram per ipsum accersiverit: Plutarcho teste in vita Antonii. Is demum rebus suis maxime studens; paulo ante bellum Actiacum relicto Antonio se contulit ad Augustum, a quo benigne exceptus, Cæsaris familiaritate opibusque floruit. Vide Dion. Plutarch. cit. Senecam, &c. Ita sentit Torrent. ac Theod. Marcil, contra Cruq. &c.

5. *Seu mœstus omni, &c.* ) Quandoquidem mori necesse est, sive mœstus vixeris, sive lætitiæ te dederis; juvat, dum licet, indulgere genio, neque prætermittenda ætas & occasio voluptatibus opportuna. Ergo *vina & unguenta afferri jube, &c.*

6. *In remoto gramine.* ) In loco herboso ab hominum frequentia ac tumultu separato.

*Per dies festos.* ) Quibus festari impensiusque lætari apud veteres institutum erat.

8. *Interiore notâ Falerni.* ) Epulando cum amicis, & animum exhilarando exquisitissimi vini potu, quod quidem in cella interiore condi solebat; quod autem erat minoris pretii & quotidiano usui destinatum, magis ad manum ponebatur. Porro vini cadis inscribi solitam epigraphen ac titulum, quibus quo loco natum, quoque tempore conditum esset, maxime per nomen Consulis notabatur, nec sciolis latet. Indicat Tull. in Bruto: 286. *Si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis Consulibus natum velit; nec rursus ita vetere ut Opimium aut Anicium Consulem quærat. Atqui ex nota sunt optima. Credo: sed nimia vetustas nec habet eam quam quærimus suavitatem, nec est jam sane tolerabilis.* Vide Plin. lib. 23. cap. 1. Nos etiam pridem annotavimus ad Juvenal. Sat. 5. v. 33.

*Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de*
*Setinis, cujus patriam, titulumque senectus*
*Delevit, multa veteris fuligine testæ.*

Hic itaque *nota interior* excellentiam vini designat seu ob vetustatem, sub ob patriam, vel utramque.

9. *Quà pinus, &c.* ) Descriptio amœni loci, seu villæ Delii peramœna.

*Albaque populus.* ) Plin. lib. 16. cap. 23. *Populi arboris tria genera, alba, nigra, & quæ Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima ... Alba folio bicolor, superne candicans, inferiore parte viridi.*

10. *Umbram hospitalem consociare amant.* ) Ramis amanter junctis, insertis, consociatis umbram præbent ac velut hospitium parant eo venientibus, sedentibus, epulantibus.

11. *Obliquo laborat lympha fugax trepidare rivo.* ) Ubi rivus sonorum edit murmur ob frequentiorem aquarum ad ripas & lapides collisionem & conflictum, quod obliquus & flexuosus facit alveus.

12. *Trepidare.* ) Quasi strepitare a strepitu pedum subito currentium: unde significat *metuere*, & *festinare*. Ex Non. Marcello.

13. *Huc vina & unguenta, &c.* ) Ista ad lætitiam adhiberi consueta, fuse docuimus lib. 1. Od. 36. 38. & alibi.

*Nimium breves flores, &c.* ) Elegans Epigramma:

*Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,*
*Quas pubescentes juncta senecta premit.*
*Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,*
*Hanc rediens sero vesperè vidit anum.*

15. *Dum res, & ætas, &c.* ) Dum licet per tranquillum rerum statum, per juventutem, per vitæ usuram, quam largiuntur ac prorogant Parcæ. De his lib. 1.

Digitized by Google

Fila trium patiuntur atra.
Cedes coemptis saltibus, & domo,
Villaque, flavus quam Tiberis lavit,
Cedes & exstructis in altum
Divitiis potietur heres.
Divesne prisco natus ab Inacho,
Nil interest, an pauper, & infimâ
De gente sub dio moreris,
Victima nil miserantis Orci.
Omnes eodem cogimur: omnium
Versatur urna: serius ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

## INTERPRETATIO.

*ac tempus, & nigra stamina trium Sororum. Relinques* enimvero tandem *nemora pretio comparata, & ædes, & villam quam rigat flavus Tiberis. Hinc demigrabis: heres autem fruetur opibus in acervum* a te *congestis. Nullum discrimen* est; *sive opulentus* fueris *antiqua ab Inacho oriundus, sive inops atque ignobili de stirpe, sub Jove frigido maneas;* perinde fies *victima Plutonis nulli parcentis. Cuncti* locum *in eumdem compellimur. Communis agitatur urna. Tarde vel cito prodibit sors; nosque navigio transvehet in perpetuum exilium.*

## ANNOTATIONES.

16. *Fila trium patiuntur atra.*) Clotho, Lachesis, Atropos, sorores tres mortalium vitam & fata regere superstitiosis veteribus creditæ: prima colum gestare pensumque velut materiam vitæ hominum; altera nere, ac stamen ducere seu atrum seu album prout bona vel mala dispensantur: tertia denique filum abrumpere, vitæque terminum definire. Hinc nomen vel a partienda vita, vel a non parcendo per antiphrasim. Quid igitur Scaliger in Horatium excandescit quod *atra* dicat *fila*, vitæ loeisque seriem trahentia, quæ candida potius, inquit ille, dici oportuit? At enim Ovid. in Ibin, de Clotho.

*Nevit & infesta stamina pulla manu.*

Ego vero *atra fila Sororum* interpretor fila Parcarum, quæ atræ morti parent: ipsæque dicuntur atræ, Erebo & Nocte videlicet natæ, ex Tullio 3. de Natura Deorum n. 44.

17. *Cedes coemptis saltibus.*) Tandem amœna villa, nemus, ædes opulentæ ac splendidæ sunt deserenda ac hæredi relinquenda.

18. *Tiberis lavit.*) Alluit, rigat, humectat, ex Prisciano: pro, *lavat:* dixere partim veteres, *lavere & lavare*. Non. Marcell. Nonius, *lavere lacrymis vestem sordidam*. Virgil. Georg. 3.

*lavit ater vulnera sanguis.*

21. *Inacho*. Is Argivorum primus rex, floruit temporibus Abrahæ & Isaac ejus filii, circa annum mondi bis millesimum centesimum. Virg. Æneid. 7. v. 372.

*Et Turno si prima domus repetatur origo,*
*Inachus Acrisiusque patres.*

23. *Sub dio moreris.*) Sive tam pauper fueris, ut sine lare, sine foco, sine tecto, sub dio & aperto cœlo maneas & cubes, nihilominus te prædam Orcus suam faciet: a morte victus, o Deli, victima Plutoni mactaberis: *victis hostibus victima proprie caditur*. Festus. Ovid.

*Victima quæ dextrâ cecidit victrice vocatur:*
*Hostibus a victis hostia nomen habet.*

24. *Nil miserantis Orci.*) Tullius 3. de Nat. Deor. num. 43. *Age porro, Jovem & Neptunum Deum numeras, Ergo etiam Orcus, frater eorum, Deus. Et illi qui fluere apud inferos dicuntur, Acheron, Cocytus, Styx, Phlegeton: tum Charon, & Cerberus Dii putandi*. Quem vero nil miserantem hic appellat, illacrymabilem dicet Od. 14. seq. Virgil. Georgic. 4. v. 489.

*Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.*

Est & proverb. *Orco implacabilior*.

25. *Omnes eodem cogimur*. Ov. ad Liviam:

*Tendimus huc omnes; metam properamus ad unam:*
*Omnia sub leges Mors vocat atra suas.*

*Omnium versatur urna.*) Illa nempe fatalis urna, in quam omnium mortalium nomina & sortes conjiciuntur, versantur; atque ut cujusque nomen & sors educitur, ita & mortis præda existit, fatique legem volens nolens subit. l. 3. Od. 1. *Omne capax movet urna nomen*.

Virgil. Æneid. 6. v. 431.

*Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice sedes:*
*Quæsitor Minos urnam movet.*

27. *Nos in æternum exsilium impositura cymbæ.*) Sors educta vitæ finem imponit, ex hoc orbe ablegat animam in perpetuum, atque ad inferos transmittit, traducente eam per Acherontem fluvium Charonte in sua navicula, de qua Propertius,

*Scandenda est torvi publica cymba senis.*

Vide lib. 1. Od. 4. & hujus lib. Od. 14.

28. *Exilium.*) Sunt qui legant *exitium*. Exules, inquit Nonius Marcellus, dicuntur extra solum. Virgil. Georg. 3.

*Longeque ignotis exulat oris.*

Et post,

*Regnis excessit avitis.*

## AD XANTHIAM PHOCEUM.

## ODE IV.

*Ancillam ab eo sine nota posse adamari.*

1 Ne sit ancillæ tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu: prius insolentem
Serva Briseis niveo colore
Movit Achillem:
5 Movit Ajacem Telamone natum
Forma captivæ dominum Tecmessæ:
Arsit Atrides medio in triumpho
Virgine raptâ;

### INTERPRETATIO.

*Ne pudeat te servam diligere, Xanthia Phocen: ante te Achillem superbum Briseis ancilla perculit candore suo: perculit etiam Ajacem Telamonis filium pulcritudo capta Tecmessæ*, licet ejus *dominum. Agamemnon* pariter *inter ipsam victoriam adamavit puellam* aris *abstractam;*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 2. Lib. 1.

1. *Ne sit ancillæ, &c.*) Xanthiam Phoceum Phyllidis genere servili natæ amoribus irretitum consolatur Horatius; atque heroum exemplis expugnat eam vulgi opinionem, qua servilem conditionem sic aspernatur, ut Plautus Amphitr. scripserit: *Quem Jupiter odit, servum hunc primum facit*: & Romani per ludibrium *ancillariolos* appellabant eos, qui ancillas sectarentur ac diligerent. Hinc dicaciter Martialis lib. 12. Epigram. 58. ad quemdam nomine Alaudam:

*Ancillariolum sua te vocat uxor; at ipsa*
*Lecticariola est. Estis Alauda pares.*

2. *Prius insolentem.*) Interpretari quibusdam placuit: non antea suetum amare: quasi non meminissent Deidamiæ Lycomedis filiæ, susceptique ex ea Pyrrhi, qui Trojæ fatum adolescentulus implevit. Videtur itaque melius, *insolentem* vocari Achillem, id est, ferocem; siquidem ad Pisones scribens Horatius ita vult ut pingatur:

*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer, &c.*

3. *Serva Briseis, &c.*) Hippodamia a Patre Brise sic dicta, quæ, Lyrnesso urbe captâ, in prædæ partem cessit Achilli victori, cui postea ab Agamemnone erepta grave peperit dissidium, quod Trojæ fatum remoratum est, ut fuse explicui ad finem Odes 15. lib. 1.

*Serva.*) Jure belli capta, adeoque in servitutem redacta.

*Niveo colore.*) Colore candido, qui in formosis spectatur. Homerus Junonem λευκώλενον, Virgilius niveos lacertos Veneris, Propertius niveum Adonin laudat.

4. *Movit.*) Ita quidem, ut ob eam sibi præreptam a bello recesserit, vixque, ut alibi diximus, redierit. Homer. Iliad. 1. Ovid. Epist. 3. quæ est Briseidis ad Achillem. Vide & Dictyn Cretensem lib. 2. ubi scribit: *Lyrnessum ab Achille paucis diebus pugnando captam: & propere inde expugnatam Pedasum Lelegum urbem; ubi rex Brises: abductamque filiam regis Hippodamiam.* Dares autem Phrygius ita describit; *Achillem pectorosum, ore venusto, membris valentibus & magnis, bene crispatum, clementem, in armis acerrimum, vultu hilari, largum, dapsilem, capillo myrteo.* Briseidam porro *formosam altâ staturâ, candidam, capillo flavo & molli, superciliis junctis, oculis venustis, corpore æquali, blandam, affabilem, verecundam, animo simplici, piam.*

5. *Movit Ajacem Telamone natum, &c.*) Dictys citatus, *Ajax*, inquit, *Telamonius iter ad Phrygas convertit, ingressusque eorum regionem, Teuthrantem dominum locorum solitario certamine interficit, ac post paucos dies expugnata atque incensa civitate, magnam vim prædæ trahit, abducens Tegmessam filiam regis.* Et postea *Ajaci ob egregia laborum ejus facinora, Teuthrantis filiam Tegmessam concedunt* Græci nempe reliquam prædam inter se partientes. Dares item cit. ita describit: *Ajacem Telamonium valentem, voce clara, capillis nigris, in hostem atrocem.*

Ovid. lib. 3. de Arte amandi.

*Odimus & mœstas: Tecmessam diligat Ajax.*
. . . . . . . .
*Scilicet Ajaci mulier mœstissima dixit;*
*Lux mea; quæque solent verba juvare vires.*

7. *Arsit Atrides, &c.*) Agamemnon Atrei ex Ærope, vel ex Plisthene, ut scribunt alii, filius, Mycænarum & Argivorum rex, Græcorum in expeditione Trojana summus Imperator, in ipso urbis excidio, media in victoria, Cassandræ Priami

Digitized by Google

* Barbaræ postquam cecidere turmæ
Thessalo victore, & ademptus Hector
Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis.
Nescias an te generum beati
Phyllidis flavæ decorent parentes.
Regium certe genus: & Penates
Mœret iniquos.

INTERPRETATIO.

*posteaquam Phrygiæ cohortes profligatæ Thessalico victore fuerant; Hectorque interemptus pertæsis Græcis dimisit Trojam everti facilem. Quid si genere tibi aureæ Phyllidis parentes opulenti decus afferant? Origo profecto regia est; &* quidem *infestos Penates lamentatur. Sic habe*

ANNOTATIONES.

mi filiæ amore incensus captusque, in prædæ partem eam depoposcit, quæ tamen rapta ab Ajace Oileo & vitiata fuerat in ipso Minervæ templo. Hinc Virgil. Æneid. 2. v. 403.

*Ecce trahebatur passis Priameia virgo*
*Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervæ.*

Dictys Cretensis lib. 5. *Priamus ad aram Jovis confugit, Cassandra in ædem Minervæ, multique ad reliqua Deorum templa . . . Cæterum Cassandram Ajax Oilei e sacro Minervæ captivam abstrahit . . . Agamemnoni Cassandra datur, postquam ejus forma captus, quin palam desiderium fateretur dissimulare nequiverat.* Dares jam etiam refert, *Cassandram mediocri statura, ore rotundo, rufam, oculis micantibus, futurorum præsciam*: & paulo post, *Agamemnonem albo corpore, magnum, membris valentibus, facundum, prudentem, nobilem.*

9. *Barbaræ postquam cecidere turmæ, &c.* ) Post victos ac profligatos Trojanos ab exercitu Græcorum, maxime vero ab Achille e Laryssa urbe Thessaliæ oriundo.

*Barbaræ.* ) Hoc nomine vocabantur a Græcis omnes aliæ gentes, inprimis autem Phryges & Trojani. Patet ex Dicty Cretensi passim. Plutarch. de audiendis Poetis, disparitatem Græcorum & Trojanorum commemorans ait: *probatam esse Græcorum providentiam, ferociam vero Barbarorum vitiosam*: & paulo post: in potestatem hostium Trojanos vivos complures venisse, Achæorum vero neminem: atque illorum nonnullos fuisse hostibus supplices, ut Adrastum, Antimachi filios, Lycaonem, ipsumque Hectorem, qui Achillem de sepultura exoravit: horum vero neminem: *quod Barbarorum sit supplicem esse in conflictibus, & summittere se ad pedes, Græcorum autem vincere dimicantem aut occumbere, &c.* Itaque vox *Barbarus*, aliquando nihil aliud sonat quam extraneos & peregrinos: Vide Turneb. lib. 9. cap. 18. ubi e Tuscul. 1. n. 85. verba ista, *astante ope barbarica*, de Priamo regno Phrygum florente bene interpretatur, &c.

10. *Thessalo victore.* ) Quamquam a Paride jam interfectus erat Achilles, ante quam Troja caperetur, is tamen recte victor dicitur, sine quo capi non potuisset, ita volentibus fatis. Vide lib. 1. Od. 15. in fine.

*Ademptus Hector tradidit fessis, &c.* ) Postquam ab Achille peremptus Hector, adeoque Trojanis ademptus veluti suus clypeus, qui solus robore ac virtute singulari Græcos terrebat, ex Homero: *quo stetit stante Ilium*, Senec. Troad. initio. Et postea chorus ejus sic luget interitum: *columen patriæ, mora fatorum, tu præsidium Phrygibus, tu murus eras: humerisque tuis stetit illa decem fulta per annos. Tecum cecidit: summusque dies Hectoris idem patriæque fuit.*

11. *Tradidit fessis leviora tolli Pergama Graiis.* ) Sublato scilicet Hectore jam capi evertique Troja facile potuit a Græcis decennali quamvis obsidione fessis. Virg. Æneid. 2. v. 108.

*Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta*
*Moliri, & longo fessi discedere bello.*

Et Æneid. 9. v. 155.

*Decimum quos distulit Hector in annum.*

*Leviora tolli.* ) Translatum ex ultima Iliados, ubi Priamus sic alloquitur Trojanos de amisso Hectore: Jupiter mihi dolores dedit, filium ut optimum perderem: quod & vos sentietis. *Deinceps enim Achivis faciliores eritis tolli, eo mortuo.* ῥηΐτεροι γὰρ μᾶλλον Ἀχαιοῖσιν δὴ ἔσεσθε κείνου τεθνειῶτος ἐναιρέμεν.

*Pergama.* ) Arces erant Trojanæ ex Servio: synecdochicωs Trojam ipsam significant.

13. *Nescias an te generum, &c.* ) Per prolepsin ingeniose occupat Horatius id quod objici poterat, puellas ante memoratas, licet captivas, e regia tamen stirpe; non ita vero Phyllida: respondet igitur: An vero quis eam humili sorte ac genere credat, quæ tam nobilem præfert indolem? &c.

15. *Regium certe genus.* ) Hinc igitur honos tibi & decus accedat, si talem tibi despondeas: ejusque parentes familiam tuam illustrabunt potius quam dedecorent.

*Penates mœret iniquos.* ) Sententiam hanc vulgo jungunt cum præcedenti, eo sensu: Phyllis certe cum suam dolet vicem, regio se ortam genere lamentatur ad servitutem redactam; indeque Penates accusat, qui tutelæ suæ fidentem tam miserum in statum labi permiserint. Placuit tamen interpungere, atque sententias separare, non sine aliqua venustate, ut visum est. Suus tamen sit honos antiquitati, Lectori vero judicandi jus atque arbitrium.

*Penates.* ) Qui dicantur, Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 4. fuse docet. Hyginus Deos patrios, alii domesticos, quibus in penetralibus domus litari solebat, interpretantur: alii etiam aliter.

Crede non illam tibi de scelestâ
Plebe delectam: neque sic fidelem,
Sic lucro aversam potuisse nasci
Matre pudendâ.
Brachia, & vultum, teretesque suras
Integer laudo. Fuge suspicari,
Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere lustrum.

INTERPRETATIO.

*Non eam infelici de plebecula tibi electam: nec ita fidam, ita quæstus aspernatricem turpi matre gigni potuisse.* Cæterum *intactus laudo brachia & faciem & tibias rotundas illius. Noli suspectum habere me, cujus ætas properavit octavum lustrum finire.*

ANNOTATIONES.

17. *Crede non illam tibi, &c.*) Nequaquam credenda est e fæce plebis illa, quæ nihil habet sordidum ac vile. Plebeiæ enim lucro sese vendunt ultro ac sponte; meretrices in primis infidæ ac perjuræ; lucri vero perquam avidæ. lib. 1. Od. 35. *vulgus infidum, & meretrix perjura.* At Phyllis tuum quantum *fidelis*, tum quæstui & *lucro aversa*. Honestam igitur educationem generosus animus; nobilis autem institutio originem haud vulgarem indicat certe & arguit.

*De scelesta plebe.*) Vel, impure, & sceleri pravisque affectionibus ut plurimum obnoxia: vel, infortunata, & paupertatis incommodis ac ludibriis damnata velut & consputata. Hinc non abludit quod Plaut. Mostell. Scen. 7. scribit:

*Scelestiorem ego annum argento fœnori* (locando)
*Nunquam ullum vidi, quam hic mihi annus obtigit.*

18. *Delectam.*) Alii legunt, *dilectam*.

19. *Aversam.*) Alii *adversam*: perinde est, & par utrobique sensus.

*Fidelem.*) Castitatis amantem, honesti propositi tenacem, quam e fide non facile dimoveas, nec oblato quæstu corrumpas.

20 *Matre pudendâ.*) Improbis ac flagitiosis moribus turpificatâ; vel inope, & abjectâ, cujus nomen ac memoria pudorem & verecundiam facere queat. E moribus natales posse ac debere æstimari ostendit Juvenalis Sat. 6. v. 238.

*Scilicet exspectas ut tradat mater honestos*
*Aut alios mores, quam quos habet? utile porro*
*Filiolam turpi vetulæ producere turpem.*

22. *Integer laudo.*) Cæterum, o Phoceu, si laudo tuam illam Phyllidem, noli me arbitrari specie illius captum. *Integer* ego castusque laudo *brachia* torosa & candida, *vultum* speciosum, suras teretes, totamque formosam: itaque ne zelotypus inde fies; neve suspiceris rivalem me tuum quoquo modo esse.

23. *Cujus octavum trepidavit ætas claudere lustrum.*) Nimirum deferbuit ardor ille primæ adolescentiæ, nec ita me jam ut olim cruciet amor. Annum ætatis quadragesimum prætergressus æstus illos priores evasi.

24. *Lustrum.*) Ex Varrone, Festo, & aliis dictum a luendo, id est, solvendo; pendebantur enim vectigalia quinto quoque anno. Est igitur annorum quinque spatium: adeoque *lustrum octavum* annos quadraginta *claudit* impletque. Cicer. Epist. 2. lib. 6. ad Attic. *Populi autem, nullo gemitu, publicanis, quibus, hoc ipso lustro nihil solverant, etiam superioris lustri reddiderant.* Ovid. in Ibin sic orditur:

*Tempus ad hoc lustris mihi jam bis quinque peractis.*

Martial. lib. 4. Epigram. 45.

*Ut qui prima novo signat quinquennia lustro.*

## ODE V.

*Coercendus amor intempestivus virginis haud maturæ.*

1 Nondum subactâ ferre jugum valet

INTERPRETATIO.

*Nequit adhuc portare jugum submisso collo, nec assequi officia*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Nondum subactâ.*) An amicorum aliquem, an seipsum admoneat Horatius, plane incertum est. Rem vero cæteroqui turpiculam allegoria multiplici contexit ac prope honestavit. Cupidinem virginis intempestivam indicat per appetentiam uvæ nondum maturæ. Puellæ vero junioris indolem belle notat per juvencam cum vitulis exultantem in campo, jugum portare aut Venerem sequi adhuc ignorantem.

Cervice; nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tuæ
Campos juvencæ, nunc fluviis gravem
Solantis æstum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Prægestientis. Tolle cupidinem
Immitis uvæ: jam tibi lividos
Distinguet Autumnus racemos
Purpureo varius colore.
Jam te sequetur. Currit enim ferox
Ætas: & illi, quos tibi demserit,
Apponet annos: jam proterva
Fronte petet Lalage maritum.
Dilecta, quantum non Pholoe fugax,

## INTERPRETATIO.

*conjugis, nec sustinere impetum tauri Venerem appetentis. Circa virides agros versatur mens buculæ tuæ, modo fluminibus temperantis molestos* Solis *ardores: modo gaudentis colludere cum vitulis inter humidas salices. Cohibe desiderium uvæ acerbæ. Mox Autumnus varietate gratus colore purpureo pinget tibi racemos liventes. Mox curret post te. Nam properat ætas vehemens: atque illi addet annos quos tibi detraxerit. Mox audaci vultu Lalage virum quæret. Amata plusquam Pholoe virus-*

## ANNOTATIONES.

2. *Munia comparis æquare.*) Onera conjugii sustinere, æqualem operam præstare marito puellula ante pubertatem, nondum viro matura.

5. *Circa virentes est, &c.*) Aliud nihil amat aut cogitat virgo ea ætate teneriori, quam ludum cum pueris aut puellis æqualibus. Animusque illius totus est in campis, in lusibus, &c. Sic Terent.

*Animus est in patinis.*

Horat. lib. 3. Od. 11.

*Quæ velut latis equa trima campis,*
*Ludit exsultim, metuitque tangi,*
*Nuptiarum expers, & adhuc protervo*
*Cruda marito.*

9. *Prægestientis.*) Summopere cupientis. Ex Prisciano, & Festo, *gestire*, est rem aliquam tam vehementer appetere, ut corporis gestus ejus desiderium exprimentes continere non valeamus.

*Tolle cupidinem immitis uvæ.*) Desine amare, aut saltem concupiscere puellam impuberem, immaturam, atque, ut Varro appellavit, acerbam, utens eâdem, qua Poeta noster, metaphorâ ab uva immiti ductâ. Exspecta donec ætas idoneam fecerit ac nubilem. Tull. de Senect. n. 53. *uva primo est peracerba gustu, deinde matura dulcescit.*

10. *Jam tibi lividos distinguet, &c.*) Autumnus varietate fructuum abundans, & eorum multiplici diversitate utilis pariter & jucundus, liventes ante immitesque uvas purpureo statim colore pulcras, simul & maturitate gustui dulces facit. Sic tibi paulo post maturam ac tempestivam licebit sectari Lalagen. Imo ipsa ætate jam perfecta virum petet: sicut uva plane matura carpi desiderat.

12. *Purpureo varius colore.*) Is color in racemo propinquam notat maturitatem. Hinc Virgil. *rubentes* uvas, Ovid. *purpureas* laudat: Horatius autem Epod. 2. *certantem purpuræ uvam* dixit. Theophrast. de caus. plant. lib. 5. cap. 21. ὅταν ἄρχωνται περκάζειν οἱ βότρυες, *cum incipiunt uvæ nigrescere, seu nigris distingui maculis.* Propert.

*Prima mihi variat liventibus uva racemis.*

13. *Jam te sequetur.*) Lalage, quæ te sequentem modo fugit, deinde vel fugientem te prosequetur, ubi ferventis æstu juventutis agitari cœperit. Quod quidem brevi fiet: *currit enim ferox ætas*, labitur celeriter, imo *volat*, ut ait Tull. Tusc. 1. num. 76.

*Ferox ætas.*) Juventus, quæ valens, acris, ardens, vehemens, petulans, elata, superba, ac nisi libidini stimulos tum maxime prurientis virtute fregerit, etiam ferox, indomita & impotens. Apage vero Cruquium dubitantem numquid transposita sint epitheta ista; ut legendum sit: *ætas fugax*, & *Pholoe ferox*.

14. *Illi quos tibi demserit, apponet annos.*) Dum tu annis decresces & imminueris viribus, illa crescet atque augescet. Tu enim ab ætate perfecta vergis ad senium: illa ad annorum ætatisque firmitatem, quam nondum attigit, properat.

16. *Lalage.*) Eam ipsam ætatis flore decoram laudat lib. 1. Od. 22. quo patet Oden istam ab Horatio post hanc esse scriptam.

17. *Dilecta, quantum, &c.*) Cum vero Lala-

Non Chloris: albo sic humero nitens,
Ut pura nocturno renidet
Luna mari, Cnidiusve Gyges:
Quem si puellarum insereres choro,
Mire sagaces falleret hospites
Discrimen obscurum; solutis
Crinibus, ambiguoque vultu.

INTERPRETATIO.

*abhorrens, vel Chloris splendens humero candido, non secus ac Luna clara micat in mari, aut Gyges Cnidius: quem si misceas cœtui virginum, advenas maxime perspicaces deciperet incerta differentia, passis capillis, dubiaque facie.*

ANNOTATIONES.

ge juventutis pariter ac formæ perfectionem adepta fuerit, tum certe multos amatores habebit, quot nunquam *Chloris* pulcherrima, vel speciosa *Pholoe* Chloridis filia, quæ tamen eo diligitur amplius, quo magis amantes fugit aspera & repellit. De hac Cyro adamata, ipsamque spernente, lib. 1. Od. 33.

19. *Ut pura nocturno renidet Luna mari.*) Tam nitens, quam Luna nullis infuscata nebulis, sudo cœlo, noctu splendet ac mari navigantibus formosa apparet.

20. *Cnidiusve Gyges.*) Velut etiam formosus ille puer Gyges, virginea specie inclytus, oriundus e Cnido urbe Cariæ maritima, hodie *Cabo di Chio*: ubi Veneris effigies valde celebris. Vide lib. 1. Od. 30. formosos olim pueros in deliciis fuisse, vel e Virgil. Bucol. notum. Eclog. 2.

*Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,*
*Delicias domini.*

21. *Quem si puellarum insereres, &c.*) Gygis nempe vultus levis, tener, candidus, venustus, adeo virginis speciosæ pulcritudinem refert, ut vix internosci queat, si *puellarum choro inseratur*: puellam etenim non puerum Gygen æstimaveris.

22. *Falleret hospites.*) Nos quidem cives, qui eum cognoscimus, forte non falleret Gyges: hospites autem & peregrini nequaquam e puellis puellum hunc discernerent. Tam enim *obscurum* est *discrimen*.

23. *Solutis crinibus.*) Prolixis & passis, more scilicet virginum; at contra nuptæ capillos religabant.

24. *Ambiguoque vultu.*) Ut sexum non distinguas. Sic Juvenalis Sat. 15. v. 137. de pupillo e Tutore defraudato:

*Cujus manantia fleta*
*Ora puellares faciunt incerta capilli.*

Ovid. Metam. 8. Fab. 4.

*Talis erat cultu facies, quam dicere vere*
*Virgineam in puero, puerilem in virgine posses.*

Idem lib. 9. Fab. 12.

*Cultus erat pueri: facies quam sive puellæ*
*Sive dares puero; fieret formosus uterque.*

Auson. Epigram. 105.

*Dum dubitat natura marem faceretne puellam*
*Factus es, o pulcher, pene puella, puer.*

AD

## *AD TIT. SEPTIMIUM.*

# ODE VI.

*Apud amœnum Tiburtinæ vel Tarentinæ regionis secessum tandem cum eo quietam degere senectutem exoptat.*

Septimi Gades aditure mecum, &
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, &
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
Æstuat unda:
Tibur Argæo positum colono
Sit meæ sedes utinam senectæ,
Sit modus lasso maris, & viarum,
Militiæque.

### INTERPRETATIO.

*O Septimi perrecture mecum ad Gades & Cantabros nobis servire nescios, atque ad Syrtes feras, ubi mare Mauritaniæ nunquam non fervet: faxint Dii ut Tibur ab Argivo colono conditum mea sit domicilium senectutis: sit requies pertæso maris, itinerumque, & belli.*

### ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 2. Lib. 1.

1. *Septimi.*) Tit. hic Septimius, Romanus Eques, Poeta etiam Lyricus & Tragicus, cum Horatio diuturna familiaritate conjunctus, imo & commilito. Hujus meminit lib. 1. Epist. 3. 5. 9. fertur & Augustus ad Horatium ita de eo scripsisse: *tui qualem habeam memoriam poteris ex Septimio nostro cognoscere, &c.*

*Gades aditure mecum, &c.*) Hoc Interpretes huc usque fere omnes intellexerunt de magna Horatii Septimiique consensione: quasi paratus esset alter alteri comes ire ad ultimas usque orbis plagas; quemadmodum Catullus Carm. 11. Furium & Aurelium sibi spondet comites, *sive in extremos penetrarit Indos, &c.* Et Propertius lib. 1. Eleg. 6. Tullo sese offert, ut cum eo *Ripheos etiam montes superare* non vereatur, & *Ægæo ducere vela mari*. Cruquius autem opinatur hæc ab Horatio scripta, *cum Augustus esset in expeditione Cantabrica, quinto vix anno peracta, quo Septimius Eques invitabat Horatium*, inquit ille; non male quidem ariolatus: melius forte tamen, quando Cæsar expeditionem illam moliebatur, & cum ad eam Horatius pariter ac Septimius sese accingerent. De *Gadibus supra*, Od. 2. v. 11.

2. *Cantabrum.*) Cantabri Hispaniæ Tarraconensis populi ad Oceanum Borealem, qui & inde Cantabricus vocatur: hodie *Biscaia*.

*Indoctum juga ferre nostra.*) *Serâ* nempe *domitum catenâ*, ut ait Od. 8. lib. 3. ab Augusto tandem, sive ab Agrippa Augusti auspiciis Cantabri devicti sunt; testes Sueton. Octav. cap. 20. & 21. Dio lib. 53. & seq. Strabo lib. 3. &c. Flor. lib. 4. cap. 12. *duæ validissimæ gentes Cantabri & Astures immunes Imperii agitabant. Cantabrorum altior & magis pertinax in rebellando animus, qui non contenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, &c.* Cæsi vero fugiunt *in eminentissimum Vinnium montem, quo maria prius Oceani, quam arma Rom. ascensura esse crediderant*. Et paulo post: *ipse præsens hos deduxit montibus; hos obsidibus astrinxit: hos sub corona jure belli venumdedit, &c.* Sil. Ital. *Cantaber ante omnes hyemisque, æstusque famisque invictus.* Observandum porro, ita sub jugum mitti solitos olim victos hostes: hastæ duæ interjecto spatio in terram defigebantur, tertia superimposita, atque hinc & inde alligata. Sub hanc igitur inermes & discincti transire coacti, jugum subire, victique esse censebantur. Vid. Tit. Liv. lib. 9. cap. 6. ubi Rom. Coss. & legiones turpiter ad furculas Caudinas sub jugum mittuntur.

3. *Barbaras Syrtes.*) Inhospitas, inaccessas, sævas ob æstus ac motus maris dubios.

*Ubi Maura semper æstuat unda.*) Ubi mare Mauritaniæ seu Africæ crebris æstuariis fervet, vadosum passim & scopulosum. Vide Plin. lib. 2. c. 97. & Epod. 9. sub finem; ibique annot.

5. *Tibur Argæo, &c.*) Detur utinam mihi lætam agere senectutem apud Tibur Latii oppidum ædificatum a Tiburno Argivo: ibique quietem consciscì, post labores ac tædia navigationis, itinerum, ac militiæ. Tiburtina sua villa inprimis se delectari jam indicavit lib. 1. Od. 7. & 18. Vide ibi annot.

7. *Lasso maris, & viarum, militiæque.*) Ex Suetonio cit. bellicam in Cantabros expeditionem suscepit Augustus devicto jam Antonio: in bellis antecedentibus militaverat Horatius, ut pa-

Unde si Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet: ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver ubi longum, tepidasque præbet

## INTERPRETATIO.

*Hinc vero si Parcæ me arceant improbæ, adibo fluvium Galæsum ovibus pelle coopertis jucundum, agrosque ubi rex fuit Phalantus Lacedæmonius.* *Illa mihi regio præ cæteris placet: in qua mel cum Hymettio, & olivæ cum Venafranis bonitate contendunt. Illic ver diuturnum, & hyemes*

## ANNOTATIONES.

tebit ex Ode sequenti: ad hoc etiam, ut diximus, sese accingebat: Deos itaque rogat, ut sibi fortunatam dent quietem & senectam postquam tot iterum ærumnas exantlasit.

9. *Unde si Parcæ prohibent.*) Quod si, fatis ita volentibus, non liceret apud Tibur conquiescere; apud Tarentum saltem detur mihi secedere, ubi Galæsus leniter fluit, rigatque istam regionem Calabriæ, in qua pascuntur oves exquisito vellere ac lana, &c.

10. *Pellitis ovibus.*) Vel eximias pelles eximium vellus habentibus, per antonomasiam: vel potius quæ ob lanam præ cæteris exquisitam adversus aeris injurias teguntur pellibus, ad conservationem excellentis earum velleris, tenuioris, mollioris: neve istud inquinetur. Hinc Plin. *tectas*, Varro & noster *pellitas* nuncupat Tarentinas illas oves, quas & Græcas alii vocant. Vide Columell. lib. 7. cap. 4. *Græcum pecus, quod & Tarentinum plerique nominant, nisi cum domini præsentia est, vix expedit haberi, &c. ex omnibus est mollissimum, &c.*, Polybius μαλακὰ πρόβατα similiter appellat. Varro rei rust. lib. 2. cap. 2. ad finem: *pleraque similiter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem (ut sunt Tarentinæ & Atticæ) pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit, vel lavari ac parari. Harum præsepia ac stabula, ut sint pura, majorem adhibeant diligentiam, quam hirtis*; id est, cæteris ovibus, quæ & hirtæ, & montanæ, & soluces dicebantur, &c. Plin. lib. 8. cap. 47. *Ovium summa genera duo, tectum & colonicum: illud mollius, hoc in pastu delicatius; quippe cum tectum rubis vescatur*: (colonicum vero solo gramine) *operimenta eis ex Arabitis præcipua.*

*Galesi flumen.*) Quidam legunt *Galæsum*: Sic & lib. 4. Od. 4. *Metauri flumen*, ubi plures tamen, *Metaurum flumen*. Galæsus vel Galesus, hodie *Galaso*, Calabriæ fluvius agrum Tarentinum rigat, ac in Sinum definit lento cursu; umbris arborum, & pascuorum copia circum amœnus. Hinc Proper. Lib. 2. Eleg. 34. v. 67.

*Tu canis umbrosi subter pineta Galesi.*

Et Virgil. Georgic. 4. v. 126.

*Quo niger* (al. niger) *humectat flaventia culta Galesus.*

11. *Regnata petam Laconi rura Phalanto.*) Virg. Æneid. 3. v. 4.

*terra regnata Lycurgo.*

Et Æneid. 6, v. 793.

*regnata per arva Saturno.*

Sic Tull. pro Muræna: *pugna cum rege commissa est & summa contentione pugnata.* Porro sensus Horatii est hic: si negetur mihi secessus Tiburtinus, ibo Tarentum, quam urbem Taras Neptuni filius olim condiderat, Phalantus autem Lacedæmonius cum Partheniis Sparta profectis & sedes quærentibus instauravit, ibique regnavit. Justin. lib. 3. ubi: *Parthenia vocati cum ad annos triginta pervenissent, metu inopiæ ... ducem Phalantum assumunt filium Araci ... ad sedes inquirendas proficiscuntur ... tandem in Italiam delati, occupata arce Tarentinorum, & expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt, &c.* Vide & Pausan. lib. 10. in Phocaicis.

14. *Angulus.*) Scilicet urbs ea Calabriæ in extrema peninsula sita est ad maris litus.

*Ubi non Hymetto mella decedunt.*) In Tarentina regione mel optimum est, nec bonitate concedit ei quod provenit apud Hymettum, huncque Atticæ regionis collem excellentia sua celebrem toto orbe fecit: sicut & Hybla Siciliani pariter melle inclytam reddidit.

15. *Decedunt.*) De via decedit qui honorem alicui defert & prima fatetur deberi.

*Viridique certat bacca Venafro.*) Ibi quoque crescunt olivæ Venafranis adeo non deteriores, ut cum eis de excellentia contendant & certent.

*Certat.*) Virgil. Eclog. 5. v. 8.

*solus tibi certet Amyntas.*

16. *Venafro.*) Urbs hæc Campaniæ in Samnii confinio sita, olearum optimarum laude præcelluit. Plin. lib. 15. cap. 2. *principatum in hoc quoque bono (oleo) obtinuit Italia toto orbe, maxime agro Venafrano, &c.* Martial. l. 12. Epig. 64. *uncte Corduba lætior Venafro.* Et lib. 13. Epigr. 101.

*Hoc tibi Campani sudavit bacca Venafri.*

17. *Ver ubi longum.*) Ubi verna temperies perdurat. Ita Servius explicat Virg. Georg 2. v. 149. *hic ver assiduum*; citatque hunc locum Horatii.

*Tepidasque præbet Jupiter brumas.*) Hybernis etiam mensibus nulla ibi est aeris inclementia.

Digitized by Google

Jupiter brumas: & amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, & beatæ
Postulant arces: ibi tu calentem
Debitâ sparges lacrymâ favillam
Vatis amici.

INTERPRETATIO.

*temperatas dat Jupiter: atque Aulon abundanti vino ferax nequaquam desiderat racemos Falernos. Terra hæc & fortunata arces me teque expetunt. Illic tu cineres tepidos familiaris poetæ justo luctu prosequeris.*

ANNOTATIONES.

tia. *Bruma*, solstitium hybernum, quod sic Ovid. explicat Fast. 1.

*Bruma novi prima est, veterisque novissima Solis.*

18. *Et amicus Aulon fertili Baccho, &c.*) Est & proximus collis Aulon, in quo vinum provenit Falerno minime inferius; proindeque non ei invidet, a quo superari nequaquam timet. In agris Tarentinis vinum crescere generosum, testis Plin. lib. 14. cap. 6. ubi vina recenset exquisita: *verum & longinquiora Italiæ ab Ausonio mari non carent gloriâ, Tarentina, & Servitiana, &c.* Martial. lib. 13. Epigram. 125.

*Nobilis & lanis, & felix vitibus Aulon*
*Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.*

Strabo lib. 6. Aulonia quasi Vallonia a vicina convalle nominata, inquit: hanc autem urbem ab Aulone monte vel potius promontorio puto dici, in Tarentino tractu sitam. Porro textus Horatiani ordo hic est: *amicus*, id est, vicinus Tarento *Aulon, fertili Baccho gaudens, minimum Falernis invidet uvis*. Vel: Aulon fertili Baccho amicus minimum Falernis, &c. Sic apud Tibull. dicitur

*Bacchi cura Falernus ager.*

21. *Ille te mecum locus, &c.*) Tam lætus & amœnus videlicet secessus te mecum invitat.

*Beatæ arces.*) Explicant alii editi colles optimis uvis beati: quia edita quæque loca arces vocantur. Ego malim de urbe Tarento intelligere, ubi fuit arx munitissima, ex Polybio lib. 8. Tit. Liv. lib. 25. *Beata* vero *arces*, & felix Tarentum satis exprimitur apud L. Florum lib. 1. cap. 18. his verbis: *Tarentus, Lacedæmonium opus, Calabriæ quondam & Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, tum magnitudine & muris portuque nobilis, tum mirabilis situ: quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita in omnes terras, Istriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam vela dimittit. Imminet portui ad prospectum maris positum majus theatrum, &c.*)

22. *Ibi tu calentem debitâ, &c.*) Ibi tu mihi justa & extrema persolves officia, cum fatis & vita functus fuero: cremato nempe cadavere, calentibus adhuc cineribus lacrymas impendes, infundes, ac velut immiscebis: mortuum recens amicum luctu prosequeris vatem vates, & decorabis.

Ennius vero contra, & arrogantius paulo:

*Nemo me lacrymis decoret: neque funera fletu*
*Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virûm.*

Miserrimum etenim ac velut infaustum veteribus putabatur, si absque lacrymis humatio fieret, & funebri isto honore privaretur. Virgil. Æneid. 11. v. 372.

*Nos animæ viles, inhumata, infletaque turba.*

Hinc & præficas accersebant olim, quæ luctum facerent. Imo & exiguam ampullam lacrymis plenam urnæ ferali inserebant, sepulcroque inferebant: ut bene Torrentius observavit.

24. *Vatis amici.*) Horatii tui.

ODE

# ODE VII.

*Pompeio Varo felicem ex infelici militia reditum gratulatur.*

O sæpe mecum tempus in ultimum
Deducte, Bruto militiæ duce,
Quis te redonavit Quiritem
Diis patriis, Italoque cœlo,
Pompei meorum prime sodalium?
Cum quo morantem sæpe diem mero
Fregi, coronatus nitentes
Malobathro Syrio capillos.

## INTERPRETATIO.

*O Vare meorum prime commilitonum, mecum frequenter ad extremum diem redacte, Bruto belli principe, ecquis Romanum te reddidit numinibus patriæ, atque Italico aeri? Cum quo non semel bibendo vino interrupi tardantem diem, redimitos habens crines unguento Syrio nitidos.*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Oda 9. Lib. 1.

Athenis versabatur Horatius, Philosophiæ dans operam sub Academo præceptore, cum ad militiam est pertractus a Bruto tum Achaiam atque Athenas tenente, ut ait vetus interpres. Hæc ipse de se testatur Epist. 2. lib. 2. v. 43. & seq. Subinde & Tribunus legioni Romanæ præfuit: quod declarat lib. 1. Sat. 6. v. 48. interfuitque demum ei pugnæ, Philippicis in campis, qua Brutus ab Augusto cæsus tandem ac fusus est. In ea vero militia sodalem habuit Pompejum Varum, qui post cladem Philippicam, non ut Horatius, armis vale dixit, sed Brutianis reliquiis, novoque bello se implicuit. Quibus extinctis, salvus tamen rediit Varus: quapropter incolumitatem ei gratulatur Horatius, ac Soteria canit hac Ode, atque ad convivium invitat.

1. *Sæpe mecum tempus in ultimum deducte.*) Qui toties vitæ periculum adiisti mecum in eo fatali bello, in quo Cassius & Brutus Julii Cæsaris interfectores adversus Augustum atque Antonium pro libertate publica dimicarunt, sicuti antea Cn. Pompejus contra Jul. Cæsarem.

3. *Quis te redonavit Quiritem.*) Quis te patriæ restituit, vel Deus propitius, vel patronus apud victorem Augustum potens & gratiosus?

4. *Diis patriis.*) Dii patrii vocantur qui singulis præsunt urbibus, suntque illarum propugnatores; atque a civibus honore præcipuo coluntur eximie: ut Mars Romæ; Athenis Apollo & Minerva; Apollo Delphis & Rhodi; Bœotiis Hercules & Bacchus; Juno Carthagini, Samo, Spartæ, Mycenis, Argis; Diana Cretensibus; Venus Cypro, Papho, &c. Vide Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. forte Horatius hic Penates Deos intelligit, ut gratuletur Varo quod redux iterum videat suam domum ac Penates. Extat Quinti Ennii carmen, *Deorum continens Penatium nomina, quos patrios alii, Varro Terentius etiam urbanos nuncupat:*

*Juno, Vesta, Minerva, Ceresque, Diana, Venus, Mars,*
*Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.* Cœl. Rhodig. lib. 15. cap. 30.

*Italoque cœlo.*) Cœlum pro aere & climate poni, constat vel ex hoc Horatii:

*Cœlum non animum mutant qui trans mare currunt.*

3. *Meorum prime sodalium.*) Vel amicissime: patet ex fine hujus odæ. Vel, cum quo militavi primum: sic & condiscipulus in Philosophiæ studio videatur fuisse Varus Horatii, & cum eo ad civile bellum Athenis evocatus. Epist. 2. lib. 2. cit. v. 47.

*Civilisque rudem belli tulit æstus in arma*
*Cæsaris Augusti non responsura lacertis.*

6. *Morantem diem.*) Vel æstivum, reipsa longiorem? vel morari visum præ tædio civilium tumultuum, ac laborantis Reipublicæ, itemque ærumnarum bellicarum, quæ Horatio quidem ad studia litterarum Musarumque otium magis quam ad strepitus militares nato graves erant ac molestæ.

7. *Fregi.*) Per intervalla tecum potando rupi, transegi; atque ita sollicitudines ac dolorem fefelli utcunque, pertuli, superavi.

*Coronatus nitentes malobathro Syrio capillos.*) Floreis quidem coronis inter epulandum solitos uti veteres, ostendimus Od. 38. lib. 1. unguentis etiam perfudisse caput, notum fere, & ex dicendis patebit. Ab Ionibus primum ad fœminas Rom. delicatiores translatus iste usus coronarum in conviviis, atque ungentorum, maxime vero malobathri, quod & foliatum dicebatur: testis Galenus. Observa porro corollas istas unguentis interdum fuisse delibutas. Athenæus item lib. 15. Plin. lib. 21. cap. 3. *lautissimam*, inquit, *dari coronam e nardi folio, aut versicolores unguentis madidas.*

8. *Malobathro Syrio.*) Malobathrum sive malabathrum, unguentum erat exquisitum e folio, quod gignunt Indicæ paludes, in regione Malabar, & vernacule *bathrum* vel *betrum* vocant Indi. Nomen hinc factum satis apparet. In Syriam

Digitized by Google

Tecum Philippos & celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula:
Cum fracta virtus, & minaces
Turpe solum tetigere mento.

## INTERPRETATIO.

*Tecum expertus sum Philippos, & fugam praecipitem, abjecto indecore clypeo; quando virtus debilitata est, & terra mentum fœde applicuerunt qui minas jactabant: At velox Mer-*

## ANNOTATIONES.

tiam apportabatur ex India: illinc autem Romani mercatores deferebant: unde Syrium Romæ vocabatur. Galen. cit. Dioscorid. Plin. lib. 13. c. 5. lib. vero 12. cap. 26. ita scribit: *Dat malobathron Syria, arborem folio convoluto, arido colore, ex quo paratur oleum ad unguenta: fertiliore ejusdem Ægypto. Laudatius tamen ex India venit. In paludibus ibi gigni tradunt lentis modo,* (lenticulæ palustris modo aquis innatare. Dalecamp.) *odoratius croco, nigricans, scabrumque, quodam salis gustu . . . . ejus sapor nardo similis esse debet sub lingua; cæte autem in vino suffervefacti antecedit alios. In pretio quidem prodigio simile est, &c.*

9. *Tecum Philippos, &c.*) Adfui tecum in campis illis prope Philippos urbem Macedoniæ, in Threciæ confinio, ad Pangæi montis, radices: quam Philippus Alexandri Magni pater instauravit, ac de suo nomine appellavit. Ibi nimirum commisso duplici prælio Augustus atque Antonius Cassii & Bruti exercitus fuderunt, viceruntque eos, qui triumphum ante victoriam & pugnam cecinerant. Vide infra.

10. *Relicta non bene parmula.*) In ea clade fugam suam non dissimulat hic Horatius, insuper & clypei projectionem. Quod ad primum attinet, non caret semper excusatione. Nam fortis est non modo resistere, sed & sapienter fugere ac cedere. Sic Homerus Æneam laudat velut metuendi fugiendique peritum: & hanc ei laudem juste dari agnoscit Plato in Lachete. Vide & initium vitæ Pelopidæ apud Plutarch. Alterum vero culpa nunquam vacare creditum est. Unde apud Germanos sacris interdictum erat ei, qui in acie scutum amisisset. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. apud Spartanos autem capite luebat. Idem lib. 2. cap. 13. Vide Aristot. lib. 2. Rhetoric. Modestin. Jurisc. lib. 3. de re militari. Hinc teste Ammiano Marcell. lib. 25. paulo post initium: *Epaminondas ille dux inclytus lethaliter apud Mantineam saucius reversus ex acie, scutum sollicite conquirebat: quod cum vidisset propius, lætior vi vulneris interiit: & qui animam intrepidus amittebat, jacturam clypei formidavit.* Quod idem ita refert Justinus lib. 6. *Relatus in castra semianimis Epaminondas, ut vocem spiritumque collegit, id unum a circumstantibus requisivit, num cadenti sibi scutum ademisset hostis: quod ut servatum audivit, allatumque velut laborum gloriæque socium osculatus est.* Apud Plutarch. Apophthegm. Lacon. Demaratus interrogatus, quid dedecoris & probri sit clypeum abjicientibus; non ita vero galeam aut gladium? respondit, quia hæc sui ipsorum causa sumunt, clypeum autem communis aciei gratia.

11. *Cum fracta virtus.*) Cum Bruti pars, & virtus victa est fatis adversantibus, & Augusto Imperium orbis destinantibus. Tum enim in summa rerum desperatione ille apud suos conquestus fertur; *frustra coluisse se virtutem, quæ inane esset nomen, & fortunæ serviret.* Plutarch. in Bruto. Dio lib. 47. Appian. lib. 4. Tit. Liv. Epitome lib. 124. *C. Cæsar & Antonius apud Philippos vario eventu contra Brutum & Cassium pugnaverunt: ita ut utriusque partis cornua dextera vincerent . . . sed inæqualem fortunam partium mors Cassii fecit, qui cum in eo cornu fuisset quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus, mortem sibi conscivit. Altero deinde prælio victus M. Brutus & ipse vitam finivit, annorum circiter quadraginta; exorato Stratone fugæ comite, ut sibi gladium adigeret.* Xiphilinus in Augusto sic rem describit: *Si Brutus cum Antonio decertasset, & Cassius cum Augusto Cæsare; ipsi pares inter se fuissent: sed dum Brutus Cæsarem imbecillum vicit: Antonius autem Cassio, qui par ei bellicis in rebus non erat, superior fuit; victores quodammodo victi discesserunt, &c.*

*Minaces.*) Milites Bruti scilicet ac eorum Duces arrogantius jactabant minas in Cæsarianos, quos priori certamine superaverant, tam aperta quidem victoria, ut *castra Cæsaris & Antonii, quæque in castris erant, omnia capta sint: ne Cæsar ipse mirabiliter salvus evaserit.* Ex Xiphil. loco mox cit. Item ex Appiano lib. 4. civil. bell. Rom. Brutus ipse hostes retrocessionem accipiens, sic illudit; *hi ut defessos nos provocantes minime experiri ausi sunt.* Cum autem Cæsarianos intelligeret inedia & fame prope enectos, ac morando citra suorum periculum, conficere vellet, *conquerebantur milites: mulierum more, intra vallum se contineri: excandescebant etiam eorum Duces .... hostesque ab exercitu prompto & parato facillime vinci posse existimabant . . . . tandem exercitus per cohortes, ac deinde per conventus, apertius conqueritur: quid tandem Imperator noster meditatur? in quo nuper victoriam adepti deliquimus? . . . Instantibus denique pertinaciter Ducibus ac primoribus Brutus indignatus, eorum temeritati, proprioque discrimini assensus est.* Xiphil. ibid.

12. *Turpe solum tetigere mento.*) Id est, victi procubuere, non sine gravi turpitudinis nota, ob priorem arrogantiam, ac minas: etenim meminisse oportebat, quod scribit. Cic. ad Attic. lib. 7. Epist. 3. *armorum exitus incertos esse semper;* atque, *ancipitem fortunam belli.* pro M. Marcello. Alii explicant *turpe solum*, terram cruore fœdatam, quam qui vulneribus confecti cadunt, dentibus solent apprehendere; aut saltem labra mordicus premere; seu dolore & ira adacti, seu ne quam emittant vocem querelarum, sua virtute & existimatione indignam.

Digitized by Google

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aere:
Te rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit æstuosis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem;
Longâque fessum militiâ latus
Depone sub lauru mea: nec
Parce cadis tibi destinatis.

## INTERPRETATIO.

*curius tremebundum me per hostes aere spisso eripuit; te mare fremens & æstuans retraxit, iterumque ad militiam deduxit. Debitum igitur epulum Jovi persolve: & corpus diuturno fatigatum bello reclina sub mea lauro; neque doliis abstine quæ tibi servantur.*

## ANNOTATIONES.

*Tetigere mento.* ) Prona in terram facie in pulvere volutati. Virg. Æneid. 11. v. 418.

*Procubuit moriens, & humum simul ore momordit.* Et v. 669. ibid.

*Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam*
*Mandit humum, moriensque suo se in vulnere versat.*

13. *Sed me per hostes Mercurius celer, &c.* ) Metaph. Tum vero fuso exercitu nostro, furtim me proripui, ac celeriter fugi, duce Mercurio, qui alatus fingitur & furti Deus. Od. 10. lib. 1. in cujus etiam tutela sunt Docti, qui idcirco *Mercuriales* vocantur, Ode 17. libri hujus. Ingeniosæ porro suæ fugæ alioquin indecoræ ac turpi colorem dat Horatius, subtractum se discrimini protectumque a Mercurio, dicens; id nempe fingens sibi accidisse, quod Priamo scribit Homerus. Vide Annot. lib. 1. Od. 10. v. 14. quodque Paridi; Od. 15. lib. 1. Itemque Hectori, quem Apollo pari modo servat, ἠέρι πολλῇ. Iliad. υ. Sic & Virg. Æneam a Neptuno de Achillis manibus ereptum inducit. Æneid. 5. v. 809.

*Pelidæ tunc ego forti*
*Congressum Ænean nec Diis nec viribus æquis*
*Nube cava eripui.*

14. *Denso aere.* ) Nube quæ densatus est aer: Homer. Iliad. γ. de Paride ab impetu Menelai per Venerem exempto; τὸν δ' ἐξήρπαξ' Ἀφροδίτη, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῇ.

15. *Te rursus in bellum resorbens, &c.* ) Me quidem Horatium paventem Mercurius sublimem rapuit, ac nebulâ protexit: te vero, Pompei, Martis ardor in nova pericula conjecit, recrudescenti bello implicuit, semper intrepidum, ac publicæ libertatis pertinaciter vindicem.

*Resorbens unda fretis tulit æstuosis.* ) Sicut in fretis æstuosis unda recedens iterumque accedens ea resorbet quæ evomuerat, ac in littore reliquerat: sic bellum cæsis Cassio Brutoque quasi profligatum ejecerat te, Vare, non secus ac me, liberumque veluti fecerat: verum exardescens porro tumultus civilis in arma te rursus abripuit. His Horatii verbis non abs re volunt quidam alludi ad prœlium Sexti Pompeii in Siculo freto commissum: adeoque ad illum cum aliis Varum confugisse, post cladem Brutianam: unde tandem salvus ille Romam redierit, & Augusto reconciliatus sit. Æstus illos marinos egregie describit Virgil. Æneid. 11. v. 624.

17. *Ergo obligatam redde Jovi dapem.* ) Pro incolumitate ista tua post tot labores & pericula, o Vare, grates Diis persolve, fac sacrum Jovi Servatori, Dapali; de quo M. Cato de re rust. cap. 132. *obligatam dapem*, sacrificium inter discrimina promissum ac votum a Pompejo Varo interpretari licet, ex Prisciano lib. 7.

18. *Longaque fessum militiâ.* ) Multo longiori quam mea, inquit Horatius: nempe sub Cassio & Bruto, deinde sub Sexto Pompejo, in Sicilia: ut dictum est. Ergo tot ærumnis vires exhaustas recrea, epulare mecum, quiesce apud me, *sub lauru mea* tutus: patrocinio meo confisus, adeoque omni deposita sollicitudine. Spondet nempe Varo Horatius forte nondum perfecte ab Augusto veniam consecuto, favorem Mæcenatis, per quem ipse cum illo victore metuendo jam reconciliatus fuerat. Cum enim proscriptione bonorum, cum aliis partes adversas secutis, mulctatus esset, inops rerum coactus est faciendo versus victum quæritare. Quod ita narrat Epist. 2. lib. 2. v. 49.

*Unde simul primum me dimisere Philippi,*
*Decisis humilem pennis, inopemque paterni*
*Et laris & fundi, paupertas impulit audax*
*Ut versus facerem.*

Itaque Mæcenatis primum animum demeruit, perque hunc Augusti placare iram aggressus est: & quod scribit ad Pisones v. 404. quamquam alio ibi proposito,

*gratia regum*
*Pieriis tentata modis: ludusque repertus,*
*Et longorum operum finis.*

Quod autem Mæcenas potens esset, & idonea laurus ad averruncandum Augusti fulmen, patet ex Xiphilino cit. qui in Augusto scribit: *Mæcenati tantam a Cæsare delatam potestatem in rebus omnibus, ut literas quascumque ad Senatum vel ad alios mitteret, ipse prius legere posset, & ex eis quæ vellet immutare.* Et postea: *Cæsari Mæcenatem profuisse tum cæteris in rebus, tum vero quoties vehementius irascebatur, quod ejus iram leniebat: & quod in multos aliquos mortis dicturus sententiam, a Mæcenate correptus, nemine cupitis condemnato statim surrexerit, &c.*

Oblivioso lævia Massico
Ciboria exple: funde capacibus
Unguenta de conchis. Quis udo
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? Quem Venus arbitrum

## INTERPRETATIO.

*stine tibi servatis. Polita vasa reple Massico oblivionem malorum afferente, & unguenta de amplis vasis effunde. Quis vero texet diligenter corollas ex apio humido vel myrto? Et quem potandi*

## ANNOTATIONES.

21. *Oblivioso lævia Massico ciboria exple.* ) Large pota vinum e Campania melioris notæ, quod oblivisci faciat ærumnas priores, omnemque mentis ægritudinem detergeat & discutiat. De *Massico* Ode 1. lib. 1. *exple*, vel imple, vel exhauri & sicca scyphos & calices. Utrumque enim significat ea vox, apud Ennium, Terent. Donat. Nonium Marcellum.

22. *Ciboria.* ) Vasa seu pocula satis capacia. Ex Athen. l. 3. & l. 11. cap 7. quem in locum Casaubonus ita scribit: *Græcis peregrinum poculum opinor & nomen, etsi potest videri derivatum, unde & κιβώτιον. Sed constat in Ægypto primum cœpta fieri ciboria ex Ægyptia faba ciboriis, deinde ex alia materia, figura eadem. Hesychius diserte, Κιβώριον Αἰγύπτιον ὄνομα ἐπὶ ποτηρίου. Ecclesia non fecit suam hoc nomen, &c.* Dalecamp. in Athen. cit. τὰ κιβώρια & κιβώτια, id est, arculas in hujus fabæ capite vocabant eos loculos, quibus semen continetur, inquit. Fabæ istius descriptionem hic attexere non pigebit. *In Ægypti lacubus & stagnantibus aquis faba nascitur, scapo amplissimo, longitudine ad cubitos quatuor surrecto, digiti crassitudine, arundinaceo, molli, non geniculato, qui tamen rimis intrinsecus pertusus atque distinctus est, ut in lilio. Huic insidet caput rotundo vesparum favo simile. Faba in singulis, veluti aucamentorum loculis aliquantulum prominent, ad summum numero triginta. Flos duplo major quam papaveris, rosæ colore. Extat caput super aquam. Singulis fabarum plantis adnascuntur folia magnitudine pilei Thessalici, quorum caulis idem qui fabarum, &c.* Ex Theophrasto apud Athen. init. lib. 3.

*Funde capacibus unguenta de conchis.* ) Ne quid hilaritati desit, adhibe & unguenta copiose quidem. Vide supra Annot. ad v. 7. hujus Odes. Item quæ postea mox.

23. *Conchis.* ) Vel accipe pro quolibet vasa & alabastro vel simpliciter intellige reposita pridem in *conchis unguenta*, quæ sunt odorum permistio cum oleo vel balsamo, ad delicias, vel ad sanitatem etiam corporis. Vide Cœl. Rhodig. lib 27. cap. 26. Cur autem in compotationibus ungerent caput veteres, explicatur apud Athenæum lib. 15. cap. 13. nempe quod *vini vim imbecilliorem fore crederent, si eo pacto veluti diluerentur, &c.* De unguentorum luxu & mollitie, Plin. lib. 13. cap. 3. & Plutarch. Apophthegm. Lacon. ubi scribit: *unguentariis aditum Spartæ praeclusum a Lycurgo, unguentaque velut corruptelam & perniciem omnino proscripta atque amandata.* Cœl. Rhodig. cap. 24. l. 27. ex Xenophonte & Socrate, refert; cum bellariis coralliisque in secundas mensas venisse unguenta profligatis congrua moribus atque impudicis.

23. *Quis udo deproperare apio, &c.* ) Ad famulum hæc. Quis protinus texet nobis corollas ex apio vel myrto, quibus ex more inter epulas caput exornemus? *Udo*, vel recenti, vel potius quod humidis in locis crescit affatim & colligitur. De *myrto* lib. 1. Od. 38.

24. *Apio.* ) Plin. lib. 20. cap. 11. *Apio gratia vulgo inest. Namque rami largis portionibus per jura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Honos ipsi in Achaia coronare victores sacri certaminis Nemeæ.* Hæc posteriora addit idem Plin. lib. 19. cap. 8. Vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 8. Athæneus lib. 15. cap. 10 inter flores coronarios apium ita recenset ex Pherecrate: *Age tu qui malvam intueris, hyacinthum spiras, melilotum loqueris, rosas distractis labiis rides, amaracum osculaaris, demota corpore apium oles, cosmosandalum incedis, vinum affunde, & acclama tertium Pæana, ut est lege sancitum.* Sunt qui apio dicunt ebrietatem impediri, quocirca veteres eo se coronarent in conviviis. At repugnant Botanici Doctores: id vero hederæ quidem, non apio tribuunt.

25. *Quem Venus arbitrum dicet bibendi.* ) Quis erit & fiet convivii Rex, jactu Venereo in talis felici? Horat. Od. 4. lib. 1. *nec regna vini sortiere talis.* Vide & quæ ibi annotavimus. Ad intelligendum sensum Horatii duobus istis locis observa 1. in compotationibus veterum creari solitum Regem, a quo poculorum leges aliaque in convivio observanda præscriberentur: eum porro Græcis appellatum συμποσίαρχον, βασιλέα, στρατηγόν; Latinis autem convivii Dictatorem, Plaut. Modimperatorem, Varro. Arbitrum, Horat. Vulgo convivii Magistrum, Regem, Ducem, Symposiarchum. Strategum etiam dixit Plautus, & Dictatricem. 2. Consuetum id sorte fieri, & quidam talorum vel tesserarum summo jactu, qui *Venus* dicebatur: eratque cum tali quatuor diversa facie cadebant: in tesseris autem quando ter senarius contingebat. De his ludis plura ad Persii Sat. 3. annotavimus. Vetus Interpres hic ita scribit: *ἀρχιποσίαν significat, id est, tesserarum jactu datum in bibendo primatum. Venereus autem jactus laetissimus dicitur, qui numerum habet ter senarium.* Ubi cave ita legas, ne vero male, *tricenarium*, cum insanientibus Librariis quibusdam Acronis, Porphyrionis & aliorum.

Quod

Dicet bibendi? Non ego sanius
Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

## INTERPRETATIO.

*magistrum creabit Venus?* Ego certe *non moderatius agam quam Edoni*. Nam & *mihi suave est* | *insanire, amico recuperato*.

## ANNOTATIONES.

Quod optime sensit pridem & correxit Hadrianus Junios, Animadvers. Hesychius *τρὶς ἓξ εἰκοσάκις βόλοι*. Quo pertinet etiam proverb. *ἢ τρὶς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι*, cujus & meminit Jul. Pollux lib. 9. cap. 7. id est, felix vel infelix jactus, senio, vel canis; seu: tres senarii, vel tres unitates. Nam *κύβοι* idem sonat interdum quod *μονὰς*, sive *κύων*, & *χῖος*; quod fefellit nonnullos male feriatos Interpretes. De talis autem Lucian. in amorib. *μηδένας ἀστραγάλω πεσόντος ἴσῳ σχήματι καλεῖται Ἀφροδίτη*.

*Venus.*) Is jactus dicebatur & Basilicus. Plaut. Curcul. Act. 2. Scen. 3. Vide Eustath. ad Iliad. Ψ. & Odyss. α. Cic. de Divinat. 1. & 2. Martial. lib. 14. Epigramm. 12. Propert. lib. 4. Eleg. 9. Isid. Origin. lib. 18. cap. 65. & 66. &c.

26. *Dicet.*) Designabit, præficiet, decernet, creabit velut edicto. Solemne verbum Juris.

*Arbitrum bibendi.*) Is convivii moderator ubi creatus erat, pro arbitrio condebat leges quales expressas legere est apud Lipsium, antiq. Lect. lib. 3. capite unico. Unde & multa ad rem præsentem spectantia hausimus: ergo & hæc accipe. Quindecim illic statuta præscribuntur; quorum præcipua sunt ista:

*Vinum purum putum puer infundito.*
*A summo ad imum more majorum bibunto.*
*Decem cyathi summa potio sunto.*
*Musis nonum, decumum Apollini libanto;*
*Dominum si quis haberit, indicium facito.*
*Rixa, clamor, contentio ad Thracas*
*ablegantor: eorum vicem carmen,*
*aliudve quid Musicum proferunto, &c.*

*Non ego sanius bacchabor Edonis, &c.*) Adeo me afficit ac velut extra me rapit ingens lætitia ob receptum præter spem Pompeium Varum mihi dilectissimum, ut mihi temperare nequaquam possim; nullumque gaudio modum adhibere queam. Itaque desideratissima illius præsentia fruens totum me hilaritati tradam. Hinc & bibam largius, & saltabo, & discurram instar bacchantium: & quamvis *furere* & insanire videar, hoc etiam *dulce* mihi futurum est.

27. *Edonis.*) Edon Servio, Edonus Plinio lib. 4. cap. 11. Mons Thraciæ, a quo Thraces Edoni vel Edonii: Bacchus etiam Edonius, Bacchantes quoque Edonides & Edonæ cognominantur. Propert.

*Nec minus assiduis Edonis fessa choreis*
*Concidit.*

Porro tum Edoni, cum Thraces universi bibacitate ac petulantia famosi noscuntur. De quibus & supra ad Od. 27. lib. 1.

*Natis in usum lætitiæ scyphis*
*Pugnare Thracum est.*

Digitized by Google

## AD BARINEN.

## ODE VIII.

*Juranti licet ei non esse cur credatur, siquidem amantium perjuria a Diis non plectuntur.*

Ulla si juris tibi pejerati
Pœna, Barine, nocuisset unquam:
Dente si nigro fieres, vel uno
Turpior ungui,
Crederem. Sed tu simul obligasti
Perfidum votis caput, enitescis
Pulcrior multo, juvenumque prodis
Publica cura.
Expedit matris cineres opertos
Fallere, & toto taciturna noctis
Signa cum cælo, gelidaque Divos.

### INTERPRETATIO.

*O Barine, si qua tibi punitio aliquando contigisset, ob fidem violatam: si deformior esses effecta atro dente, vel ungue uno, crederem. Verum statim ac promissis fallacibus caput obstrinxisti, longe formosior splendes, fisque adolescentium communis sollicitudo. Ergo juvat fraudare sepultos cineres genitricis, astraque noctu silentia, olympumque universum, atque numi-*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 2. Lib. 1.

1. *Ulla si juris.*) Si non impune toties fregisse fidem, si vel semel pœnam inde aliquantulam pertulisses, atque ultores perjuriorum Dii tantulo deformiorem effecissent, dente vel ungue uno denigratam; (quo quidem gravius nihil accidere tibi posse existimo) tibi juranti, Barine, credere; ratus nimirum formidaturam te deinceps ulterius mulctari, si iterum pejeraris. Alii interpretantur, *crederem* vindices adesse Deos fidem violantibus. Ea nempe apud antiquos inolaverat opinio mentientes quadam parte corporis illico pœnam ferre, seu pustulam naso aut lingua, seu notam vultu, oculis, dentibus, manibus, alibive, nigram ac deformem: &c. Hinc. Theocrit. Idyll. 9.

*μηκέτ' ἐπὶ γλώσσας ἄκρας ὀλοφυγδόνα φύσῃς.*
*ne amplius in lingua extrema pustulam produxeris.* Et Idyll. 12.

ἐγὼ δέ σε τὸν καλὸν αἰνῶν,
Ψεύδεα ῥινὸς ὕπερθεν ἀραιᾶς οὐκ ἀναφύσω.

*Ego vero te pulcrum prædicans, mendacia super summum nasum non producere:* id est, nihil falsi edam.

Hinc Ovid. Amor. 3. Eleg. 3. de Amica quæ pejeraverat, velut admirans ait:

*Esse Deos, credamne? Fidem jurata fefellit:*
*Et facies illi quæ fuit ante, manet.*
*Quam longos habuit nondum perjura capillos,*
*Tam longos postquam numina læsit, habet.*
*Candida candorem roseo suffusa rubore*
*Ante fuit: niveo lucet in ore rubor.*
*Pes erat exiguus: pedis est aptissima forma.*
*Longa decensque fuit: longa decensque manet.*
*Argutos habuit: radiant ut sidus ocelli,*
*Per quos mentita est perfida sæpe mihi.*

2. *Barine.*) Julia Barine, formâ spectabilis adolescentula; Romana, ut habent codices quidam, quanquam nomen istud Romani, Latini, Græcive nihil habet. Non absurde igitur *Varine* legendum suspicantur viri certe eruditi, ab *ἄρις*, quod ver sonat.

3. *Dente si nigro, &c.*) Dentes albos ad pulcritudinem pertinere, nemo nescit.

*Vel uno turpior ungui.*) Vel parte minima corporis mutila vel deformata.

5. *Sed tu simul obligasti, &c.*) At ubi malum omne ipsa tibi, si fallas, imprecata es: fallis tamen, mali nihil metuens, mali nihil portans: imo vero pulcrior evadis, pluresque nanciceris amatores.

6. *Perfidum votis caput.*) Virg. Æn. 9. v. 300.

*Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat.*

9. *Expedit matris cineres, &c.*) Ergo si e perjuriis enascuntur emolumenta, nedum incommoda vel pœnæ subeantur, certe expedit religionem omnem flocci facere: adeoque promissa matri jam sepultæ non valde refert implere, imo juvat non persolvere, & *fallere*. Flagitium tamen ac nefas maximum, parentum cineres violare, veteres crediderunt. Virg. Æneid. 4. v. 427.

*Nec patris Anchisæ cineres manesve revelli.*

10. *Et toto taciturna noctis signa cum cælo, &c.*)

Digitized by Google

Morte carentes.
Ridet hoc, inquam, Venus ipſa; rident
Simplices Nymphæ, ferus & Cupido,
Semper ardentes acuens ſagittas
Cote cruenta.
Adde quod pubes tibi creſcit omnis,
Servitus creſcit nova: nec priores
Impiæ tectum dominæ relinquunt
Sæpe minati.
Te ſuis matres metuunt juvencis,
Te ſenes parci, miſeræque nuper
Virgines nupſæ, tua ne retardet
Aura maritos.

## INTERPRETATIO.

*na frigida mortis expertia. Id, inquam, ipſa rides Venus: rident faciles Nymphæ, imo & ſævus Cupido ignitas aſſidue ſagittas exacuens cote ſanguinolenta. Præterea juventus tibi cuncta adoleſcit*, totque *captivi parantur novi: veteres autem irreligioſæ dominæ domum, frequenter minati* licet, *haud deſerunt. Te matres ſuis adoleſcentibus, te ſenes avari timent; puellæ quoque recens matrimonio junctæ* metuunt, *ne viros ſuos remoretur fulgor tuus.*

## ANNOTATIONES.

*&c.* ) Expedit, inquam fallere, mentiri, perfide teſtari ac jurare ſidera, Deôs immortales, totumque cælum. Virgil. Æneid. 6. v. 458.

*Per ſidera juro,*
*Per Superos, &c.*

*Taciturna noctis ſigna.* ) Hypallage: ſidera nocte tacenti lucentia. Cæſar lib. 7. de bello Gall. *Id ſilentio noctis conati:* & poſtea: *ſilentio noctis Cæſar e caſtris egreſſus.* Virg. Æneid. 4. v. 524.

*cum medio volvuntur ſidera lapſu:*
*Cum tacet omnis ager* . . . . . . . . . . . . . . .
. . . . . .
. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . *ſub nocte ſilenti*
*Leniban curas, &c.*

13\. *Ridet hoc, inquam, Venus, &c.* ) Non offenditur, imo delectatur Venus perjuriis ejuſmodi inter amantes frequentibus. Quare vero? quoniam pejerantes in rebus amatoriis, ſimiles pueris minimum mentis habent. ὡς καθάπερ παίδων, τῶν ἡδονῶν οὐδὲ τὸ ὀλίγιστον κεκτημένων. *Voluptates*, id eſt, qui eas cæco impetu ſectantur, *velut pueri minimum rationis poſſident*, adeoque vix intelligunt quid agant: quo levius fit quod peccant. Plato in Philebo. Ovid. citat.

*Scilicet æterni falſum jurare puellis*
*Dî quoque concedunt.*

Et alibi:

*Jupiter ex alto perjuria ridet amantum,*
*Et jubet Æolios in freta ferre Notos.*

Tibul.

*Nec jurare time: Veneris perjuria venti*
*Irrita per terras & freta ſumma ferunt.*

Hinc & proverb. *Aphrodiſium juramentum*, pro vano & futili.

14\. *Simplices.* ) Mites, benignæ, indulgentes, ad ignoſcendum *faciles*, ex Virgil. Eclog. 3. v. 9.

*Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere, ſacello.*

*Nymphæ.* Aſſeclæ comiteſque Veneris, jocus, riſus, gratiæ, &c.

*Ferus & Cupido.* ) Nec non ipſe, qui videtur *ferus.* Cupido ridet perjuria iſtiuſmodi, quamvis ad vindictam parata ſemper gerat arma, arcum, *ſagittaſque*, eaſque *ardentes & acutas cote cruenta.* Nimirum quas pugnas, quæ vulnera, quas cædes amor non gignit?

17\. *Pubes tibi creſcit omnis, &c.* ) Impuberes creſcere & adoleſcere videntur ad tibi ſerviendum, augendumque captivorum tuorum numerum. *Nec priores* tamen amatores *relinquunt* te, licet experti perfidiam tuam; quamvis etiam relicturus te, aliamque fideliorem amicam quæſituros, non ſemel ante *minati* fuerint. Verum *fixus hic eſt apud te animus* eorum *clavo Cupidinis*, ut eſt apud Plaut. Aſin. Sc. 3.

Tibull.

*Juravi quoties rediturum ad limina nunquam?*
*Cum bene juravi, pes tamen ipſe redit.*

Propert. lib. 2. Eclog. 3.

*Primo juvenes trepidant in amore feroces,*
*Dehinc domiti poſt hæc, æqua & iniqua ferunt.*

Vide Perſ. Sat. 5. v. 161. & ſeq.

21\. *Te ſuis matres metuunt juvencis.* ) Ne capti illecebris tuis adoleſcentes, meretriciiſque amoribus innexi peſſumdato pudore *cirris dedecus obſtent ſignatis.* Perſ. mox cit. *Te ſenes parci timent* pariter; ne juvenes illi *rem patriam rumore ſiniſtro limen ad obſcœnum frangant*, ibid. id eſt, patrimonium dilapident in impura conſuetudine. Meretricem eſſe quaſi voraginem nihil non abſorbentem, alibi notavimus. Itaque filiis ſuis parentes metuunt te velut ſcopulum, ad quem rerum imperiti illidantur, faciantque naufragium honoris ac fortunarum.

22\. *Miſeræque nuper virgines nuptæ, &c.* ) Puellæ denique recens nuptæ metuunt, ne maritos ſuos a ſe abalienet abducatque ac detineat *aura tua*, favor, odor, fragrantia, venuſtas arte conquiſita; ſicque *miſeræ* ipſæ fiant, parum dilectæ, ſpretæ, neglectæ, dum tuis blanditiis illi occupantur.

AD

Digitized by Google

## AD VALGIUM.

## ODE IX.

*Ut desinat tandem lugere Mysten puerum.*

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros: aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque: nec Armeniis in oris,
Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes: aut Aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Et foliis viduantur orni.
Tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum: nec tibi Vespero

### INTERPRETATIO.

*Amice Valgi, haud perpetuo fluunt e nebulis pluviæ in campos asperos: nec variæ tempestates agitant semper mare Caspium: nec per menses singulos pigrum gelu manet in Armeniæ regionibus: nec Gargani quercus vexantur Septentrionalibus ventis, & frondibus spoliantur Fraxini. Tu vero modulis tristibus ereptum* tibi *Mysten continuo prosequeris: neque tui desinunt amores exorto Vespere,*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Oda 9. Lib. 1.

Inscripta est Ode hæc ad Valgium Poetam certe haud ignobilem, ipsius Horatii judicio; quippe illum nobilioris notæ vatibus accenset Sat. 10. lib 1. sub finem.

*Plotius, & Varius, Mæcenas, Virgiliusque,*
*Valgius, & probet hæc Octavius optimus, atque*
*Fuscus, & hæc utinam Viscorum laudet uterque.*

Tibullus quoque eum ita commendat lib. 4. Eclog. 1.

*Est tibi qui possit magnis se accingere rebus*
*Valgius: æterno propior non alter Homero.*

Consularem virum produnt aliqui, quod non ita certum est: Romæ vero fuisse hujus nominis illustres constat vel ex Comment. lib. 6. de bello civili, seu lib. 6. de bello Hispaniensi, ubi sic habetur: *A. Valgius Senatoris filius, cujus frater in castris Pompeii fuisset, &c.* T. Valgii carmina quædam affert Servius in Æneid.

*Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis*
*Et sinum vini cessamus fundere Baccho.*

Isidorus, ex annotatione Lilii, hæc etiam citat:

*Hic mea me longo succedens prora remulco*
*Lætantem gratis sistit in hospitiis.*

1. *Non semper imbres.*) Vide Ovid. de Ponto lib. 4. Eleg. 4. *hispidos agros* vel spicis ac frugibus maturis hispidos & hirsutos; vel potius, hyemis asperitate horridos ac deformes. Ovid. Metam. 2. init.

*Et glacialis hyems canos hirsuta capillos.*

2. *Mare Caspium.*) Hoc & Hyrcanum dicitur ab Hyrcania regione proxima, quam alluit, ut & Mediam, Albaniam, Margianam, Sogdianam, Scythiam. Hodie *mer de Sala*, vel, *mer de Bacu*, &c. Hoc *sævum, & procellis undique expositum* Mela refert: & proinde nominari potissimum hic dixeris: At potius adverte conglobatam figuram speciei pro genere, *mare Caspium*, *Armeniis in oris, Aquilonibus querceta Gargani, Orni*, pro quolibet mari, Boreali terra, vento, sylva, arbore, monte: quo non mediocris carmini venustas & elegantia comparatur.

3. *Inæquales procellæ.*) Inæquale reddentes æquor, seu mare antea pacatum turbantes, fluctusque varios modo tollentes, modo deprimentes.

4. *Armeniis in oris.*) Hæc Asiæ regio duplex est, utraque Turcis modo paret; major quæ hodie *Curdistan & Turcomania*; & minor, quæ *Aladulia* vocatur. Inter Montes Taurum & Caucasum sita est.

5. *Glacies iners.*) Aqua nimirum congelata cursum non habet; vel quod pigros & inutiles agros faciat.

7. *Querceta Gargani.*) Altæ querceæ in Gargano Apuliæ monte, qui vetus nomen hodie servat, & dicitur etiam mons sancti Angeli. De Gargano promontorio Lucanus lib. 5.

*Appulus Hadriacas exit Garganus in undas.*

9. *Tu semper urges, &c.*) Haud hyems perpetuo sævit, non imbres semper decidunt, non continuæ sunt in mari procellæ, &c. Tu vero non desinis lacrymari, ac lugere tuum *Mysten* morte ablatum.

*Flebilibus modis.*) Elegiacis versibus luctui accomodatis. Vide Epist. ad Pisones v. 75. Tull. Tusc. 1. num. 106. *Hæc cum pressis & flebilibus modis, qui totis theatris mæstitiam inferant, concinuntur, &c.*

10. *Mysten.*) Alicujus numinis initiatum sacris, a nomine conjiciunt & augurantur aliqui. At puerumne dilectum Valgio, an ejus filium, quis asserat? Filium sane fuisse indicare videntur exempla mox allata, quæ singula sunt parentum filios lugentium.

*Nec tibi vespero surgente, &c.*) Nec cessas de-

Surgente decedunt amores,
Nec rapidum fugiente Solem.
At non ter ævo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos: nec impubem parentes
Troilon, aut Phrygiæ sorores
Flevere semper: Desine mollium
Tandem querelarum: & potius nova
Cantemus Augusti trophæa
Cæsaris, & rigidum Niphaten,
Medumque flumen gentibus additum

INTERPRETATIO.

*neque cedente illo Soli rapide exsurgenti. Atqui* Nestor *vetulus triplici ætate emenſa, haud cunctis annis deflevit Antilochum dilectum; neque Troilum impuberem indesinenter luxerunt parentes vel sorores Trojanæ. Aliquando cessa in teneris querimoniis: magis autem celebremus recentes Augusti victorias;* dicamus *algentem Niphatem, fluviumque Medum subactis nationibus adjunctum,*

ANNOTATIONES.

siderie & lumente iterare, sive cum stella Veneris exoritur, sero nempe, & Vesper appellatur; sive cum occidit, & surgentem Solem fugit, mane scilicet; & tunc Lucifer dicitur. Cic. 2. de Nat. Deorum, n. 53. *Infima est quinque errantium, terræque proxima stella Veneris, quæ* Φωσφόρος *Græce, Latine Lucifer dicitur, cum antegreditur Solem, cum subsequitur autem* Ἕσπερος *Hesperus*. Plin. lib. 2. c. 8. *infra Solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præveniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alter, diem maturans: contra ab occasu refulgens, nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem &c.* Ovid. Metamorph. 2. cap. 1.

*Ecce vigil nitido patefecit ab ortu*
*Purpureas aurora fores, & plena rosarum*
*Atria: diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit*
*Lucifer, & cæli statione novissimus exit.*

11. *Decedunt amores.*) Virg. Georg. 4. v. 466.
*Te veniente die, te decedente canebat.*

13. *At non ter ævo functus, &c.*) Verum, o Velgi, considere Nestorem senio & annis gravem, amisso perquam amabili Antilocho filio suo, modum tamen aliquem posuisse fletibus, & lacrymis: pariter & Priamum, &c.

*Ter ævo functus.*) *Tertiam enim jam ætatem hominum vivebat*, inquit Tull. de Nestore, in Catone majore, n. 31. Porro trecentis licet annis illum vixisse poetæ narrent, tresque ætates totidem sæculis definiant: melius tamen hominis ætas triginta duntaxat annos complecti, & Nestor annos vixisse nonaginta dicatur: ut optime probat Lambinus e Plutarcho in Catone seniore: ubi is Servilium Galbam accusasse nonaginta annos natum refertur, suæque patriæ, non secus ac Nestor, dum tertiam ætatem viveret, utilem operam navasse. Vide Ovid. 12. Metam. c. 3. Juven. Sat. 10. v. 246. & seq. Plin. lib. 7. c. 48. Cœl. Rhodig. lib. 19. c. 21. Apud Athen. lib. 10. c. 9. Nestor ter senex ὁ τριγέρων dicitur.

*Amabilem.*) Seu valde dilectum patri natu minimum: seu quod saucio parenti & in acie periclitanti adversus Memnonem impigrem opem tulit, ac demum pro patre tuendo occubuit. Ut est apud Pindar. Pyth. Od. 6. *ploravit Antilochum* ab Hectore occisum.

15. *Nec impubem.*). Nec imberbem *Troilum* ab Achille interemptum sine modo *flevere parentes*, Priamus & Hecuba; *aut Phrygiæ sorores*, Polyxena, Cassandra, Lycaste, Creusa, Iliona, &c. Virgil. Æneid. 1. v. 448.

*Parte alia fugiens amissis Troilus armis*
*Infelix puer, atque impar congressus Achilli.*

17. *Desine mollium tandem querelarum.*) Phrasis Græce. Homer.
Ἀλλ' ἄγε λῆγ' ἔριδος.

18. *Et potius nova cantemus Augusti trophæa.*) Quasi aliud agens, nobili quadam arte Cæsaris Augusti laudationem molitur Horatius. Hoc certe jucundius, quam si statim celebrandas ejus victorias assumeret, & exequeretur.

19. *Trophæa.*) Victoriæ monumenta a τρέπειν, *vertere in fugam*. Eo nempe in loco pridem quo fugere hostes cœperant ac vinci, detracta illis arma & spolia ramis arborum victores suspendebant. Postea vero in montibus & locis eminentioribus trophæa constituta sunt, ad posteritatis documentum. Sallust. victis Hispanis trophæa in jugis Pyrenæi montis a Pompejo erecta commemorat.

20. *Rigidum Niphaten.*) Vel fluvium, vel montem potius nivibus rigentem. Pars Tauri montis, inter Armeniam majorem & Mesopotamiam, Niphates appellatur; unde & manat fluvius ejusdem nominis, Armenos rigans, Medos, & Mesopotamios, dein in Tigrin illabitur. Lucan. lib. 3.

*Armeniusque tenens volventem saxa Niphaten.*

21. *Medumque flumen, &c.*) Medus fluvius, a quo Media nomen accepisse creditur, in Araxem influit. Strab. lib. 15. Alii interpretantur Tigrin, Araxen, Euphratem. Virgil. Georg. 4. in fine.

*Cæsar dum magnus ad altum*
*Fulminat Euphratem bello, victorque volentes*
*Per populos dat jura.*

*Gentibus additum victis.*) Armenis, Parthis. Ovid. Trist. 2.

Nunc

Victis, minores volvere vortices:
Intraque præscriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

INTERPRETATIO.

*fluctus minores agere: atque Scythas angustis jam agris, nec ultra definitos limites excurrere.*

ANNOTATIONES.

*Nunc petit Armenius pacem: nunc porrigit arcus*
*Parthus eques, timidâ captaque signa manu.*

Vide Virg. Æneid. 8. in fine. Et quæ annotavi lib. 1. Od. 12. sub finem; Od. 19. v. 12. & Od. 35. in fin. . . . . . Quibus adde quæ narrat Xiphilinus in Augusto: *Phraates per id tempus metuens ne Cæsar contra se exercitum duceret, captivos ad eum remisit, & signa militaria, quæ a Crasso acceperat. Quæ ea re Cæsar gloriâ efferebatur, quod absque labore recuperasset ea, quæ alii magnis prœliis amisissent. Ob eam causam sacra fecit, atque sedens in equo urbem ingressus est . . . . . Cum esset in Asia, regnaque & principatus partim aliis confirmasset, partim ad alios transtulisset, condemnatis quibusdam regibus, nonnullis etiam laudatis & in amicitiam receptis, quamplurimæ legationes ad eum venerunt. Nam & Indi, qui antea quoque legatos miserant, tunc amicitiam confirmaverunt, datis muneribus, &c.* Et postea, *Phraates Parthorum Rex de Armenia jussus decedere, Augusto sine regis nemine contradicenti paruit.* Ibid. Vide & Luc. Florum, l. 4. c. ult. sub finem: ubi Armenios subactos, Parthos rapta clade Crassianâ signa referentes ultro, tandemque clausum tertio Jani templum ab Augusto Cæsare, observabis.

22. *Minores volvere vortices.* ) Eleganter attribuit Poeta fluviis, quod gentium est. Niphates & Medus minores jam æstus agunt, non ita fluctus tollunt, id est, minus superbire didicerunt: quo fracta populorum audacia & arrogantia designatur. Sic Virg. cit. Æn. 8. v. 726.

*Euphrates ibat jam mollior undis.*

23. *Intraque præscriptum, &c.* ) Referamus etiam & canamus debellatos *Gelonos*, Scythiæ Europææ populos: id est, Scythas Armeniæ vicinos, ab Augusto Cæsare intra certos fines compulsos, ut non liceret deinceps excurrere *equitando* ultra *præscriptum* sibi terminum, nec, ut antea, quolibet vagari, & prædas agere. Virgil. mox cit.

*Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos.*

---

## *AD LICINIUM.*

## ODE X.

*Servandam esse animi æquabilitatem in utraque fortuna.*

1 Rectius vives, Licini, neque altum
Semper urgendo; neque, dum procellas

INTERPRETATIO.

*O Licini, melius ages, neque semper altum petendo, neque ripam plus quam decet stringendo haud*

ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 2. Lib. 1.

1. *Rectius vives, &c.* ) Tritam hanc sententiam non uno tractat Horatius loco, sed nova quadam ratione, novo semper ornatu, ut novum quid ubique esse videatur, nimirum præstat ipse quod in Arte Poetica præcipit eleganter ac difficile esse fatetur; v. 128. *proprie dicere communia.* Hic allegoriis conglobatis ostendit, extrema semper fugienda: ne, quod ajunt, incidas in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

*Licini.* ) Quis ille, magna lis. Plerique M. Licinium Crassum Prætorem intelligunt, qui cum ad Consulatum anhelaret, tum quidem spei frustrationem impatienter & ægre ferens, sic quidem ab Horatio sit monitus. Is vero postea consulare munus adeptus est, gessitque cum Augusto, anno U. C. 723. Ita Acron, Porphyrio, Lubin. Cruq. &c. Verum hos expugnet Epigraphe hujus Odes vetus, Cod. MS. quæ sic legitur: *Ad Licinium Murænam*, optimum esse medium vitæ statum. Quæ cum ita sint, cum Torrentio & aliis, intellige Licinium Varronem Murænam, qui frater erat Proculeii, ac Terentiæ uxoris Mæcenatis. Is ambitione raptus, & cupiditati frænum laxans adversus Augustum cum Fannio Capione conspiravit, tristemque merito suo nactus exitum est; de quibus Dio lib. 54. &c. Vide supra Od. 2. v. 5. Annot. Bene itaque licet frustra Licinius ille Muræna docebatur ab Horatio, ut sibi temperaret, nec rapido huic & cæco indolis impetui obsequendum: mediocritatem vero esse tutiorem, eamque præferendam.

*Neque altum semper urgendo.* ) In alto mari semper navigando, id est, summa quæque semper appetendo: altas dignitates quærendo, altumque fortunæ statum.

2. *Urgendo.* ) Assidue, vehementer, & avide prosequendo.

Digitized by Google

Cautus horreſcis, nimium premendo
Litus iniquum.
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obſoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ.
Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus: & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.
Sperat infeſtis, metuit ſecundis
Alteram ſortem bene præparatum
Pectus. Informes hyemes reducit
Jupiter: idem

## INTERPRETATIO.

*tutam, dum tempeſtates ſollicitus fugis. Quicumque amat pretioſam mediocritatem, ſecurus & immunis eſt a ſqualore domûs vetuſtæ,* pariter *temperans abſtinet aulâ invidiæ obnoxiâ. Frequentius excelſa pinus ventis concutitur, & turres editæ majorem trahunt ruinam, ac ſæpe ictus verberant altos montes. Animus rite præmunitus ſpem non abjicit in adverſis:* in *proſperis* autem *contrariam timet fortunam. Hyemes horridas revo-*

## ANNOTATIONES.

*Neque, dum procellas cautus horreſcis, &c.* Neque decet ut timidus plus æquo puſillusque animus deprimat te & adigat ad infima nimis ac ſordida.

3. *Premendo litus iniquum.*) Legendo litus ſemper, quod tamen ob ſcopulos & vada non caret periculis. Pythagoræ monitum erat: ἐπὶ γῆς μὴ πλεῖν; *circa terram non navigandum:* quo docebat terreſtribus haud ſic adhærendum, ut non ad ſublimia aſſurgeretur. Cic. ad Q. fratrem lib. 1. Epiſt. 1. *Quapropter hoc te primum rogo, ne contrahas aut demittas animum, neve te obrui tanquam fluctu, ſic magnitudine negotii ſinas: contraque erigas, ac reſiſtas, ſive etiam ultro occurras negotiis.* Vide ſupra Od. 3.

5. *Auream quiſquis mediocritatem diligit, &c.*) Medii ſtatûs ac mediocris fortunæ demonſtrat emolumenta: quod nec paupertatis malum habeat, v. g. obſoletum domicilium, vetuſtate labens ac deforme, vel ſordibus putidum: nec ſummæ conditionis comitem invidiam, ac proinde curas & labores. Heſiodus vult ut ſapiens ſectetur μέτρια, *mediocria:* quod μέτρον δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστον *mediocritas in omnibus optima ſit.* Hinc proverb. μηδὲν ἄγαν, *ne quid nimis.* Et Salomon ipſe Rex ſapientiſſimus ad Deum optimum maximum precabatur, *divitias & paupertatem ne dederis mihi.*

6. *Obſoleti ſordibus tecti.*) Epiſt. ad Jul. Florum, ſub finem.

*Pauperies, immunda domus procul abſit.*

7. *Invidendâ aulâ.*) Martial. *invidioſa regia atria*, dixit.

9. *Sæpius ventis agitatur ingens quercus, &c.*) En ſummarum dignitatum mala & incommoda: o Licini, tibi cave. Ovid.

*Summa petit livor, perflant altiſſima venti:*
*Summa petunt dextrâ fulmina miſſa Jovis.*

Juvenal. Sat. 10. v. 105.

*numeroſa parabat*
*Excelſæ turris tabulata, unde altior eſſet*
*Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.*

Claudian.

*Tolluntur in altum,*
*Ut lapſu graviore ruant.*

13. *Sperat infeſtis.*) Jam monet quid in utraque fortuna cavere oporteat virum prudentem: nempe ne frangatur ac deficiat animo in adverſis, neve proſperis inflietur, ac benignæ nimium credulus auræ, ſupra ſe rapiatur. Quæ quidem Licinius cum nequaquam ſervaſſet, immodicæ cupiditatis ac ſuperbiæ pœnas luit. Sapientis eſt præceptum: *in die malorum, ne immemor ſis bonorum; & vice verſa, in die bonorum, ne immemor ſis malorum.*

Menander apud Stobæum:

ἐν ἐλπίσι χρὴ τοὺς σοφοὺς ἔχειν βίον.
ἄνθρωπος ἀτυχῶν σώζεθ' ὑπὸ τῆς ἐλπίδος.

*In ſpe decet ſapientes agere vitam.*
*Vir infelix ſervabitur ac ſtabit ſpe.*

Hinc & apud Pindar. ſpes γηροτρόφος dicitur.

*Metuit ſecundis.*) Lib. 1. Epiſt. 10. ad Fuſcum Ariſtium:

*Quem res plus nimio delectavere ſecundæ,*
*Mutatæ quatient.*

Sapienter itaque Philippus Macedo, cum tres uno die lætos accepiſſet nuntios, exclamaſſe fertur: *magne Jupiter pro his tantis bonis modicum repone mali.*

14. *Bene præparatum pectus.*) Virtutis ac ſapientiæ documentis inſtructus animus.

15. *Informes hyemes reducit Jupiter, &c.*) Non ergo deſperandum, deſperatis etiam rebus: ſiquidem quotidianæ vices abjectum ſæpe erigunt: *ſummovetque* tandem *Jupiter hyemes*, & ærumnas, quas invexerat. Hinc Cic. ad Brutum Epiſt. 17. *Rempublicam deſperatam quoque ſanari puto poſſe*, inquiebat.



Digitized by Google

Summovet: non, si male nunc, & olim
Sic erit. Quondam citharâ tacentem
Suscitat Musam; neque semper arcum
Tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundo
Turgida vela.

### INTERPRETATIO.

*gat Jupiter, idemque pellit. Si modo res se habent male, non etiam post ita se habebunt. Musas dudum silentes* aliquando *lyrâ Phœbus excitat, nec arcum semper intendit. Mœstis rebus generosum te & constantem exhibe: aurâ vero propitiâ ipse prudenter constringes vela plusculum inflata.*

### ANNOTATIONES.

17. *Non, si male nunc, & olim sic erit.*) Sophocl. in Electra: *crastina dies melior erit statim*: ταχ' αὔριον ἔσσεται ἄμεινον. Tibull. lib. 2. Eleg. 6.

*credula vitam*
*Spes fovet, & fore cras semper ait melius.*

18. *Quondam citharâ tacentem suscitat musam, &c.*) Armatus ipse arcu & sagittis Apollo, hæc ponit interdum, & ad hilaritatem provocat Musas, citharam prior accipiens & pulsans. Pæana παίειν *ferire*, dictus; ex Festo. *neque semper arcum tendit*: non semper nocet. Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 17. *Apollinem adoramus*, inquit, *cognominibus modo sospitatem, modo pestem significantibus*. Vide lib. 1. Od. 12. v. 23. Pingebatur olim Apollo dextrâ Gratias, lævâ sagittas & arcum tenens: quod modo radiis & calore naturam recreet ac beet universam; modo æstus immodicos, morbos, luem, gignat.

23. *Contrahes vento nimium secundo turgida vela.*) Si prospero fortunæ utaris flatu, quod ait Tullius, si res fluant ad arbitrium, ne superiora semper & ulteriora prosequere; imo ambitionem coerce & arrogantiam, unde tibi sit ruinæ causa. Quemadmodum nautæ, cum remittit ventus, expansis velis captant auram: at si vehementior evadat, vela contrahunt; ne validiore abrepti impetu, navim haud possint regere, atque in scopulos impellantur, illidanturque. Ovid. Trist. 3. Eleg. 4.

*Tu quoque formida nimium sublimia semper,*
*Propositique precor contrahe vela tui.*

Isocrates ad Demonicum: μήτ' εὐτυχῶν περιχαρὴς, μήτε δυστυχῶν περίλυπος ἔσο. Neque beatus supra modum exultes, neque infortunatus sine modo mœreas & contristeris.

---

## *AD Q. HIRPINUM.*

## ODE XI.

*Hilariter vivendum, omissis curis.*

Quid bellicosus Cantaber, & Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet, Adriâ

### INTERPRETATIO.

O *Quinti Hirpine, desine percontari quid meditetur bello strenuus Cantaber, ac Scytha, separatus*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 2.

1. *Quid bellicosus Cantaber, &c.*) Ne tam anxie quæras, o Hirpine, quid moliantur exteri populi contra Rempublicam Imperiumque Romanum, neve metuas plus æquo, ne in Italiam irrumpant agrosque devastent eæ nationes, quas mare a nobis disjungit. De *Cantabris* vide annot. Od. 6. vers. 2. de *Scythis* lib. 3. Od. 35. vers 9. Hic vero per *Scythas* intellige Illyrios, Dalmatas, Pannonios, Dacos. Eos enim, ut & omnes Septentrionales, Scytharum nomine veteres indigitabant: hos vero tunc bello fatigabat Tiberius Nero Drusi Neronis frater, qui Consulatum gessit cum T. Quinctio Crispino, ut observat Cruq. unde & Crispinum pro Hirpino, hic legendum ac substituendum opinatur. Favet etiam quod inter Quinctiæ gentis cognomina haud *Hirpinus* recenseatur: quod acute suo more Torrentius indicat. Verum enimvero nullus non codex habet Hirpinum. Vide paulo post. Vide & Epist. 16. lib. 1. huic eidem inscriptam.

2. *Adria.*) Sinus est ingens Illyrium inter at-

Divisus objecto, remittas
Quærere: nec trepides in usum
Poscentis ævi pauca: fugit retro
Levis juventas & decor, aridâ
Pellente lascivos amores
Canitie, facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honos
Vernis, neque uno Luna rubens nitet
Vultu: quid æternis minorem
Consiliis animum fatigas?
Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere, & rosâ
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriâque nardo,

## INTERPRETATIO.

*interposito mari Adriatico: neque sollicitus sis utilium vita modica requirenti. Abit retrorsum polita juventus ac pulcritudo, sicca senectute amovente amores luxuriosos, ac soporem facilem. Haud eadem semper dignitas manet floribus vernis: nec pari facie micat Luna rubicundula.* *Quare mentem crucias sempiternis propositis inferiorem? Quin sub hac procera vel pinu vel platano, ut casus tulerit, prostrati bibimus, quandiu* per vitam *licet, albescentibus capillis odoriferâ rosâ & nardo Syrâ delibutis. Bac-*

## ANNOTATIONES.

atque Italiam, hodie *Sinus Venetus*. De eo plura lib. 1. Od. 16. v. 4.

4. *Nec trepides in usum, &c.*) Hinc videtur habuisse prædia Quinctius noster, quibus calamitatem aut vastitatem metueret ab hostibus supra memoratis, si in Apuliam venirent: ubi forte & sita erant illa; & ipse fortassis natus, aut diu commoratus cognomen sortitus erat. Nam Hirpini Apuliæ populi. Saltem id conjicere liceat, dum certi nihil aliunde suppetit.

5. *Poscentis ævi pauca.*) Consolatur itaque Horatius Hirpinum, quod, etsi detrimentum cepiat res sua familiaris, satis ipsi superfuturum sit unde sustentet vitam, quæ quidem brevis, & parvo contenta est. Unde postea recte infert Poeta; præsentibus utendum hilariter, ac jocunde vivendum, quandiu sinunt fata.

*Fugit retro levis juventas, &c.*) En vides abiisse dudum juventutem nostram: instare jam canitiem ac senii incommoda: ergo carpamus diem & oblectamenta, dum licet adhuc.

6. *Levis.*) Vel cita & velox; vel potius lævis, imberbis, polita: λεία.

*Aridâ pellente lascivos, &c.*) Tum ob caloris naturalis, tum humidi radicalis diminutionem ac defectum. Valeant qui aridos senes hic interpretantur parcos & misere victitantes. Parum enim ad rem.

9. *Non semper idem floribus est honor, &c.*) Nec miremur, aut conqueramur de prioris ætatis amisso decore: cum nec ver sit perpetuum, aut vernis floribus perennis nitor, nec Luna suum servet integrum semper splendorem ac speciem. Ovid.

*Non semper violæ, non semper lilia florent;*
*Et riget amissâ spina relicta rosâ.*

Tibull. lib. 1.

*Et mediis cælo Luna ruberet aquis.*

Cave autem ne *rubens Luna*, tibi aliter intelligatur, quam nitida, & rubore quodam interfuso pulcra.

12. *Quid æternis minorem consiliis, &c.*) Cum fluxa ætas brevi prætereat, morsque advolans hominum consiliis finem cito imponat, cur æterna struis & infinita consilia meditaris; Quare animum discrucias istis longioribus propositis & curis; cum mens humana sit imbecillior, quam ut valeat consulere, providere, statuere aliquid æternum: alii, quam ut æterna Dei consilia possit comprehendere. Quod minus placet. Arist. θνητὰ χρὴ τὸν θνητόν, οὐκ ἀθάνατα θνητὸν φρονεῖν, *mortalia mortalem non immortalia decet cogitare*.

13. *Cur non sub alta vel platano, &c.*) Cur genio non indulgemus, posthabitis omnibus curis, in umbra procumbentes?

14. *Temere.*) Sine ullis cæremoniis, Gall. *sans façon; à la negligence*.

*Rosâ canos odorati capillos, &c.*) Perfusis succo rosæ capillis; aliisque pretiosis unguentis. Hoc enim pertinebat ad hilaritatem & læta veterum convivia, ut annotavi fuse lib. 1. Od. ult. & alibi.

15. *Canos.*) Hinc apparet Horatium Hirpinumque tum senes fuisse, cum hæc ab illo scriberentur.

16. *Assyriâque nardo.*) Nardino unguento. De quo Plin. lib. 13. c. 1. *nardinum sive foliatum constat omphacio, balanino, junco, costo, nardo, amomo, myrrha, balsamo.*

16. *Assyriâ.*) Pro Syra; non quod in Syria nar-

Digitized by Google

Potamus uncti? Dissipat Evius
Curas edaces. Quis puer ocyus
Restinguet ardentis Falerni
Pocula prætereunte lympha?
Quis devium scortum eliciet domo
Lyden? Eburnâ dic age cum lyra
Maturet, incomtum Lacænæ
More comam religata nodum.

## INTERPRETATIO.

*chus sollicitudines discutit mordaces. Quis servus calidi Falerni vasa quamprimum refrigerabit aqua defluente? Quis ædibus evocabit Lyden meretricem a via remotam? Heus jube cum eburnea cithara hoc festinet capillos* habens *inc omtos, sicut Lacænia* mulier, *nodo collectos*.

## ANNOTATIONES.

nardus crescet; sed quod ibi mercatores comperabant, indeque Romam advehebant nardum, quæ ad Syros deferebatur ex India, ubi copiose provenit. Sic & Malobethrum Syrium vocetur, supra Od. 7. vers. 8. Plin. cit. mox loco, *nardum Indicam*, appellet. Et lib. 12. cap. 12. *in nostra urbe laudatur Syriacum*, inquit: & paulo post: *de folio nardi plura dici par est, ut principali in unguentis. Frutex est gravi & crassa radice, sed brevi & nigra, fragilique quamvis pingui ... folio parvo densoque. Cacumina in aristas se spargunt; ideoque geminâ dote nardi spicas ac folia celebrant*. Hinc patet cur spicatum & foliatum appelletur nardinum unguentum. Marci c. 14. v. 3. *venit mulier habens alabastrum nardi spicati pretiosi*. Nardini velut exquisiti meminit Athen. lib. 15. cap. 12. & 13. Cœl. Rhodig. lib. 30. cap. 24.

17. *Dissipat Evius curas*.) Cur *Evius* dicatur Bacchus, Annot. lib. 1. Od. 18. v. 9. quod animo pellet curas & sollicitudines, lib. 1. Od. 7. 18. 27.

18. *Edaces*.) Curas, quasi cor urentes dici ajunt.

*Quis puer ocyus*.) Quasi sit jam in convivio, sic iste profert: quis vini ardorem aque temperabit; vel potius, quis lagenas, pocula, vasa refrigerabit aquis immersa?

20. *Prætereunte lympha*.) In fonte, qui frigidus, ac in rivos prælesit & defluit.

21. *Quis devium scortum eliciet*.) Lydeo fidicinem, cytharâ canendo quæstum facere solitam; quæ non se vulgare quibusvis consuevit, nec per vias oberrare. Hinc *deviam* vocet. Locum hunc amplius explanare nec licet, nec libet. Addam tamen, forte comissatum vocari, atque hinc dumtaxat *scortum* dici.

23. *Incomtum Lacænæ more comam religata nodum*.) Habens comam nodo religatam tantum, parum vero comtam, more puellarum Laconicarum, quæ non eleganti corporis ornatui studebant, sed ad palæstram, venationem, & alia ejusmodi, neglecto cultu, exercebantur. Itaque vetat ne, dum crines nodarentur in aurem, ac studiose comerentur, exspectantes fatiget mora. Legunt quidam *incomtam*, &, *nodo*: alii, *in comtum*, & *nodum*; alii *in comptum*. Varieque se torquent ut perturbata satis verba ordinent. Verum cum eodem recidat sensus utrobique non obscurus: non est ita de cætero laborandum.



Digitized by Google

## *AD MÆCENATEM.*

# ODE XII.

*Lyræ suæ haud convenire res graves: Mæcenas Augusti bella scribat, dum a se cantabuntur Liciniæ laudes.*

Nolis longa feræ bella Numantiæ,
Nec dirum Annibalem, nec Siculum mare
Pœno purpureum sanguine, mollibus
  Aptari citharæ modis;
Nec sævos Lapithas, & nimium mero
Hylæum, domitosque Herculeâ manu
Telluris juvenes; unde periculum
  Fulgens contremuit domus
Saturni veteris. Tuque pedestribus

### INTERPRETATIO.

*Ne carmine Lyrico leniori decantari jubeas a me diuturna prælia ferocis Numantiæ, vel sævum Annibalem, vel mare Siciliæ Carthaginensium cruore rubicandum, vel immanes Lapithas, & Hylæum vino immoderatum, & subactos Herculis dextrâ filios terræ, a quibus cladem timuit domus splendens antiqui Saturni. Tu*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Nolis, &c.*) Ne a me exigas, inquit Horatius, quod tu longe melius exequêre, o Mæcenas: perge Augusti bella describere, & quod jam feliciter auspicatus es, confice. Ego vero Liciniæ tuæ laudes persequar.

*Longa feræ bella Numantiæ.*) Longa quidem quæ per annos tot exarsere, Strabo 20. Polyb. 18. Florus & Orosius 14. numerant. Confecta tandem sunt ad Æmiliano Scipione Africano, qui orbem istam octo jam annis obsessam cepit ac delevit; imo fame ad extrema compulit: indeque Numantini cognomen alterum consecutus est. L. Flor. lib. 2. cap. 18. *Numantia quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, ita virtutis nomine & honore par omnibus; summumque si viros æstimes, Hispaniæ decus sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium sita, quatuor millibus Celtiberorum, quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim sola sustinuit, nec sustinuit modo, sed sævius aliquanto perculit, pudendisque fœderibus affecit, &c.* & postea, *exitu denique deplorato in ultimam rabiem furoremque conversi . . . Duces suos, seque, patriamque ferro, & veneno, subjectoque undique igne peremerunt, &c.* Idem memorat Oros. lib. 5. cap. 6. Vide & Strabon. Polyb. lib. 1. Valer. Maxim. lib. 7. cap. 6. Eutrop. Plin. Tit. Liv. Div. Augustin. de Civitat. Dei, lib. 3. cap. 21.

2. *Dirum Annibalem.*) Romanorum hostem per annos septemdecim infensissimum. Alii legunt *durum*, id est, *indefessum*. Vide Tit. Liv. lib. 21. cap. 4. ubi sic scribit: *Annibali plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat, &c. . . . virtutes æquabant vitia inhumana crudelitas, perfidiâ plusquam Punica: nil veri, nil sancti, &c.*

*Siculum mare Pœno purpureum sanguine.*) C. Duillius Consul in mari Siculo primus omnium Carthaginenses navali prœlio superavit, captis navibus triginta, mersis tredecim, tribus hominum cæsis millibus, captis septem. Unde perpetuus illi honos habitus est, ut revertenti a cœna tibicines præcinerent, & funale præferretur. Aurel. Victor. de viris illustr. Oros. lib. 4. cap. 7. Flor. lib. 2. cap. 2. &c.

5. *Sævos Lapithas.*) Vide lib. 1. Od. 18. v. 8. Metamorph. Ovid. lib. 12. &c.

*Nimium mero Hylæum.*) E Centauris unum vini potu nimio ebrium, petulantem, superbum, libidinosum. Virgil.

*Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.*

6. *Domitosque Herculeâ manu Telluris juvenes.*) Gigantes Terræ filii dicti ob ingentem corporis molem, γηγενεῖς Homer.

7. *Unde periculum fulgens contremuit domus Saturni veteris.*) A quibus periculum timuerunt Dii, totumque cœlum *contremuit*, cum illi bellum moverent; at Herculis auxilio domiti ac debellati sunt. Vide Diodor. Sicul. lib. 5. & postea Od. 19. hujus libri.

9. *Saturni veteris.*) Quia primus ante Jovem regnavit. Hinc & Virgil. Æn. 7.

*Saturnusque senex.*

Digitized by Google

Dices historiis prœlia Cæsaris,
Mœcenas, melius, ductaque per vias
Regum colla minacium.
Me dulces dominæ Musa Liciniæ
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, & bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia
Ludentem niridis virginibus, sacro
Dianæ celebris die.

## INTERPRETATIO.

*vere Mæcenas solutis narrationibus referes convenientius bella Cæsaris, ac reges superbos domitâ tervice per vias* Romæ *tractes. At Musa me celebrare jussit amica tuæ Liciniæ suaves modulos, oculos admodum rutilantes, animum* que *amori* tuo *æque & fideliter respondentem; quam decuit & choris interesse, & facetiis contendere, & saltantem* cum *puellis ornatis brachia jungere,* in *religiose celebrata Diana festa.*

## ANNOTATIONES.

*Tuque pedestribus.* ) Et certe ipse tu, Mœcenas, melius & ornatius referes egregie Cæsaris facinora & triumphos.

*Pedestribus historiis.* ) Prosâ oratione: quam Græci πεζὸν λόγον dicunt, contra Poesim ἄποχον, orationem equo velut insidentem; solitamque recitari ἐξ ἁμάξης, ἐξ ἁμαξῶν, *e curru, e plaustro;* & quadrigis velut invectam. Unde Cicero ad Quinctium fratrem, lib. 2. Epistol. 14. *Quoniam in isto homine colendo tam indormivi diu, te mehercule sæpius exsistante, cursu corrigam tarditatem tum equis, tum vero (quoniam scribis poema ab eo nostrum probari) quadrigis poeticis, &c.* Pind. ἀναγκᾶσθαι ἐν μοισᾶν δίφρῳ. *Tolli in curru Musarum.* Porro Mœcenatem constat fuisse literarum peritum, & plura composuisse carmina. *Nam & Augusti Cæsaris gesta descripsit,* inquit Servius ad 2. Georg. v. 42.

*Non ego cuncta meis amplecti versibus opto.* Ubi & affert locum hunc Horatii. Ne vero quis inde arbitretur scriptam versibus a Mœcenata Cæsaris historiam.

11. *Ductaque per vias regum colla minacium.* ) Reges in triumpho ab Augusto circumductos per mediam urbem, & Velabrum, perque Sacram viam ad Capitolium. Quo vero id fieret apparatu, qua pompa, fuse narrat Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 6. De triumphis Augusti Sueton. in Octav. cap. 22. *bis ovans ingressus est urbem post Philippense, & rursus post Siculum bellum. Curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum; continuo triduo omnes.* Anno scilicet U. C. 724. *jamque tantus erat Cæsar, ut posset triumphos contemnere,* inquit L. Flor. lib. 4. cap. ult. Adde quod ait Eutrop. l. 7. *Multi autem reges ex regnis suis venerant, ut ei obsequerentur: & habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculum vel equum ipsius occurrerunt.*

13. *Me dulces domina, &c.* ) Dum tu Italiæ bella, & Augusti bellicas laudes magnifica oratione celebrabis; ego dilectæ tibi Liciniæ tuosque amores carmine Lyrico molli & dulci decantabo. Dicam ut illa suaviter canit, ut *fulgentes* habet *oculos,* quam fideliter te redamet, quam molliter ac decore saltet, quam scite & ingeniose cavilletur, ac sales jactet, &c.

*Licinia.* ) Quidam, *Lycymnia.* Ea vero Terentia sive Licinia fuit soror Licinii, cui est inscripta Ode 10. hujus libri. Vide ibi Annot. Mœcenati vero cum scriberet hanc Oden Horatius, nondum erat nupta Licinia. Patet ex eo quod virginum choris Dianam colentium in ejus festo, inserta dicatur mos: inde enim arcebantur nuptæ. Accedit quod *bene mutuis fidum pectus amoribus* hic laudatur: at longe aliter fuit posteaquam nupta est. Senec. de provid. cap. 3. refert *Mæcenati amoribus anxio & morosæ uxoris quotidiana repudia deflenti somnum per symphoniarum cantum ex longinquo lene resonantium, quæsitum fuisse:* Ubi J. Lipsius anxium fuisse Mœcenatem dicit, quod uxorem amabat, nec fortasse solus. Additque: Cæsarem Augustum ea suspicione aspergit Dio lib. 54. *quod creditus Gallicanam peregrinationem suscepisse, ut liberius & procul a vulgi sermonibusque frueretur Terentia Mæcenatis.* Itaque & ob hanc causam occulte infensus Cæsari Mœcenas: quod idem scriptor lib. 55. tangit, in Mœcenatis obitu: Potes tamen angorem hunc, fateor, alio referre, & ad nudum ipsum amorem, qui semper querulus & anxius, præsertim ubi non respondetur. Hæc Lips. cit. Idem Seneca Epist. 114. iterum de Mœcenate, *hunc esse qui uxorem millies duxit, cum unam habuerit:* Terentiam nempe scam, cum qua assidua jurgia, divortia, iterumque conjugia, inquit Lips. ibid.

18. *Certare joco.* ) Scite gesticulari, ut quidam interpretantur: vel potius, ut alii, facete, lepide, acuta jactare dicteria, sive breves & salsas cavillationes. Quo quidem in certamine qui vicisset olim etiam coronari institutum fuit.

20. *Sacro Dianæ celebris die.* ) In frequenti
ac

Digitized by Google

Num tu, quæ tenuit dives Achæmenes,
Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes
Permutare velis crine Liciniæ;
  Plenas aut Arabum domos;
Dum fragrantia detorquet ad oscula
Cervicem, aut facili sævitiâ negat,
Quæ poscente magis gaudeat eripi,
  Interdum rapere occupet?

## INTERPRETATIO.

*Enimvero tunc Licinia capillum mutare consentias opibus, quas possedit Achæmenes, vel divitiis Mygdoniis opimæ Phrygiæ, vel refertis Arabum ædibus; quando collum flectit ad basia suaveolentia, vel molli asperitate denegat, quæ plus latetur a petente surripi, nonnunquam ipsa præripiat?*

## ANNOTATIONES.

ac celebri Dianæ festo, cujus sacra virginum choris ac religiosis tripudiis peragi solita, Idibus Augusti. Vide lib. 1. Od. 21. ubi

*Dianam tenera dicite virgines.*

21. *Achæmenes.*) Rex Persarum primus, a quo Persiæ Reges ad Darium usque sunt omnes orti ac denominati Achæmenides. Herodot. lib. 1. & alibi.

22. *Pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.*) Fertilem & opulentam ignorat nemo Phrygiam exstitisse. Hujus rex Midas ille pecuniæ & auri tam avidus quam dives, vel unus testis fuerit locupletissimus. Adde Priami gazas, ac Trojanorum opes. Mygdonia porro Phrygiæ finitima erat regio: Ex Plin. lib. 5. &c. Mygdones autem populi e Macedoniæ parte Thraciæ proximâ in Asiam venisse, Phrygiæ quandam regionem occupasse, nomen suum indidisse, ibidem referuntur.

23. *Permutare velis crine Liciniæ.*) Sic quale placet dat pretium rebus amor, non quantæ sunt, sed quantus ipse est.

24. *Arabum domos.*) Plenas opibus & aromatibus exquisitis. Vide supra lib. 1. Od. 29. v. 1.

25. *Fragrantia.*) Alii legunt *flagrantia*, id est, amoris ardore ferventia.

26. *Facili sævitiâ negat.*) Ficta nimirum sævitia, quæ facile vincatur, & postquam tantulum irritavit amorem, amanti sponte cedat; interdum etiam ultro occurrat & occupet. Terent.

*Nolunt ubi velis, ubi nolis cupiunt ultro.*

Ovid. de Arte lib. 3.

*Quod datur ex facili longum male nutrit amorem.*
*Miscenda est lætis rara repulsa jocis.*

Cæterum Oden hanc allegorice interpretari sane licet. Itaque per Gigantes & Lapithas Thessaliæ quidem populos, junctis viribus in Deos bellum moventes, ab Hercule vero domitos, intellige Brutum & Cassium in campis Philippicis ab Augusto victos ac debellatos. Hylæus mero nimius, ab Atalanta interfectus, Antonium Cleopatræ amoribus & immodicis cum ea conviviis perditum, Bacchi insuper nomen & insignia affectantem optime designat. Denique sicut Gigantes & Lapithæ domum Saturni pavore concusserunt: ita Brutus & Cassius, atque Antonius totam commoverunt Italiam, ac Romam quidem, eâ sitam regione, quæ Saturnia dicta est, a Saturno, postquam a Jove pulsus est, eo confugiente. Hæc recens auctor & Gallicus interpres ingeniose, ut & cætera, sagaciter & erudite.

ODE

# ODE XIII.

*In arborem, cujus casu pæne est oppressus.*

Ille & nefasto te posuit die,
Quicumque primum & sacrilegâ manu
Produxit, arbos, in nepotum
Perniciem, opprobriumque pagi.
Illum & parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, & penetralia
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis. Ille venena Colchica,
Et quicquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
Te, triste lignum, te caducum

## INTERPRETATIO.

*O arbos, quisquis olim te plantavit, is & infausto die, & impia dextra protulit, ad ruinam posterorum, ac vici dedecus. Eum etiam patris sui guttur præfocasse crediderim, atque domûs interiora sanguine hospitis noctu polluisse. Is toxica Colchidis, & quodcunque usquam flagitium animo volvitur, præparavit qui in agro meo collocavit te lignum infelix, te ruinosum*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

*Ille & nefasto, &c.* ) Deambulantem in agro suo Sabino Poetam nostrum cadens inopinato fere oppressit arbos: atque, ut ait Od. 17. seq. *truncus illapsus cerebro sustulerat, nisi Faunus ictum dextrâ levasset.* Hinc illius beneficii memor, & quod *prope funeratus arboris ictu*, ac tantum non exanimatus fuerat, erga Deos gratus, *anno redeunte, die* ipsi quidem *festo*, Kalendis Martiis sacrificium parat, ac festivas epulas, Od. 8. lib. 3. Hic autem ominosam illam arborem tanquam inauspicato satam duntaxat execratur: ac velut œstro quodam percitus in abruptas indignationis voces erumpit. Rem vero totam mira expolitione amplificat. Tum de variis humanæ vitæ casibus belle disserit. Denique velut *ἐν παρέργῳ & παρόδῳ* occasionem arripit Alcæi & Sapphonis versus extollendi: omnia quidem non sine mirabili artificio. Valeat ergo Scaliger, qui & in hanc eximiam Oden stylum suum strinxit, ut dicetur ad calcem.

*Nefasto.* ) Quid proprie sit nefastus dies, in quo nimirum Prætor Jus non dicebat, Gall. *jour non plaidoyable*: docet Ovid. Fast. 1.

*Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur*, Scilicet, do, dico, addico. Contra dies fastus, Gall. *jour d'Audience*. Ovid. Ibid.

*Fastus erit, per quem lege licebit agi.*

At præterea *nefastus dies*, ut & hoc Horatii loco, significat infortunatum, & male ominatum: Græci *ἀποφράδας ἡμέρας*, *dies infandos & consceleratos*, dixere. Romani pariter, quosdam atros & nefastos habuere, eo quod in iis clades acceperant: *In primis postriduanos*, seu qui sunt postridie Calendas, Nonas, Idus; item alios aliquot: de quibus fuse Macrob. mox citand. Cœl. Rhodig. lib. 24. cap. 9. Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 20. Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 16. *dies postriduanos ad omnia majores nostri cavendos putarunt: quos etiam atros velut infaustâ appellatione damnarunt.* Gellius lib. 4. cap. 9. item lib. 5. cap. 17. *religiosos*, seu *tristi omine infames* nuncupat: additque: *quos vulgus prave, perperam, & imperite nefastos dicit.* Non. Marcell. *atri dies dicuntur*, inquit, *quos nunc nefastos vel posteros vocant*: Afranius Fratriis: *Septembris heri Calendæ: hodie ater dies.* Claudat scenam Cicero, ita scribens, 2. de leg. n. 21. *Quæ augur injusta, nefasta, vitiosa, diravo dixerit, irrita infectaque sunto.*

5. *Illum & parentis, &c.* ) Epod. 3.

*Parentis olim si quis impia manu*
*Senile guttur fregerit, &c.*

6. *Penetralia sparsisse nocturno cruore hospitis.*) Jus hospitale violasse, hospite noctu interfecto, in ædium penetralibus, ubi colebantur Penates Dii, quod sceleri scelus addere est. Virg. Æn. 1. v. 715.

*Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur.*

A. Gell. l. 5. c. 13. *Primum juxtà parentes eum tenent pupilli: secundum clientes: tertium hospites: postea cognati, affines, &c.*

8. *Venena Colchica.* Colchis Asiæ regio ad oram Euxini maris, Ponto vicina, hodie *Mingrelia*, estque pars Georgiæ. Venenis autem eas regiones famosas reddidit vel una Medea Regia Colchorum filia veneficiis suis inclyta: vel quod *nascuntur plurima Ponto*, ut canit Virg. Eclog. 8. Adde Mithridatem Ponti Regem, qui venenis etiam impune vescebatur.

*Colchica.* ) Quidam legunt *Colcha*, ut opus non sit ultimam hujus versus syllabam rejicere ad sequentem versum.

11. *Triste lignum.* ) Infelices arbores quæ dicantur, enarrat Plin. lib. 13. c. 22. & lib. 16. c. 26.

*Caducum.* ) Quod minatur casum & ruinam: hic

Digitized by Google

In domini caput immerentis.
Quid quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est in horas. Navita Bosphorum
Pœnus perhorrescit: neque ultra
Cæca timet aliunde fata.
Miles sagittas & celerem fugam
Parthi; catenas Parthus, & Italum
Robur: sed improvisa lethi
Vis rapuit rapietque gentes.
Quàm pæne furvæ regna Proserpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum,
Sedesque discretas piorum, &
Æoliis fidibus querentem

INTERPRETATIO.

*in caput domini innocui. Nunquam satis homo providere potest quid per horas singulas quilibet eluctetur. Nauta Carthaginensis Bosphorum formidat, nec amplius occulta fata aliunde metuit. Miles Parthorum spicula & fugam repentinam: Parthi vincula & potentiam Romanorum reformidant. At mortis inopinata violentia populos abstulit, & auferet. Quàm prope aspexi Imperium nigræ Proserpinæ, & judicem Æacum, & bonorum domicilia separata; & Sappho chordis Æoliis en-*

ANNOTATIONES.

hic vero significat quod jam cecidit: quo sensu fulmen etiam caducum vocatur.

13. *Quid quisque vitet, &c.*) Egregie divertit ad locum communem de periculis & casibus improvisis, quibus ut plurimum ad mortem abripimur. Alius, inquit, maris, alius belli solum cavet discrimina: uterque vero quod non timet, subit genus mortis; v. g. morbo extinguitur.

14. *Bosphorum.*) Angustas fauces quaslibet designat, per quas nemo sine periculo ac formidine navigat. Duplex autem Bosphorus celebratur: Thracius inter Pontum Euxinum & Propontidem, seu Thraciam inter & Asiam minorem, quatuor stadiis patens: & Cimmerius, inter Mæotidem Paludem & Pontum Euxinum: hodie *Fretum Caffa*.

15. *Pœnus.*) Pro quolibet nauta ponitur, per synecdochen: vel antonomasticè *Pœnum* dicit: tum quod emporium orbe toto celeberrimum Carthago; tum quia ejus urbis cives navigatione longinqua ominati. Quam inclytus fuerit Hanno dux ille Carthaginensium, docet Mela lib. 3.

16. *Timet aliunde.*) Observa vel cæsuram brevem licenter productam; vel tribrachyn pro dactylo.

18. *Parthi.*) De Parthis eorumque certandi ratione, lib. 1. Od. 19. ad v. 12.

21. *Quàm pæne furvæ regna Proserpinæ, &c.*) Quantulum a morte abfui.

*Furvæ.*) Ex Varrone fur dicitur ex eo quod *furvum* atrum appellarint, & fures atra nocte facilius furentur. Nonius Marcellus. Contra tamen de ea etymologia sentit A. Gellius lib. 1. c. 18. vultque deduci ab antiqua voce φῶρ: quanquam aptius forte, furem a furvo, id est, nigro dici putarit vir excellentis doctrinæ, Varro scilicet, inquit ille Ibid.

*Proserpinæ.*) De ea lib. 1. Od. 28. v. 20.

22. *Æacum.*) Ex eo quod Plato, in Gorgia, Rhadamantum Asianorum, Europæorum vero Judicem Æacum scribit; inde convenientius hunc quam illum ab Horatio quidem Europæo nominari, erudite nonnulli observant. Ego tamen crediderim respexisse potius nostrum Poetam ad id quod lib. de luctu Lucianus refert: *in Orci adita portâque adamantina fuisse custodem Æacum Regis fratruelem; atque juxta eum canem tricipitem.* Bene igitur Horatius, qui morti proximus fuerit, ait se prope salutasse Æacum, Orci Janitorem, perinde ac Judicem cum Minoe ac Rhadamanto, ob insignem justitiæ famam, a Plutone constitutum.

23. *Sedesque discretas piorum.*) Elysios campos, quos describit & laudat Virgil. Æneid. 6. v. 638. Legunt alii *discriptas*, alii *descriptas*, id est, assignatas ac notatas: *discretas* habent tamen optimi codices: & vox illa pulcrum sane ac nobilem sensum efficit, ut boni designentur a reliquis, & a vulgo segregati. Sic Virgil. Æneid. 5. v. 734.

*non me impia namque*
*Tartara habeat, tristesque umbræ; sed amœna piorum*
*Concilia, Elysiumque colo.*

24. *Æoliis fidibus querentem Sappho, &c.*) De popularibus puellis, quas amabat Sappho conquerentem quod in amore sibi non responderent. Tres vero potissimum Suidas recenset ab ea dilectas, Atthin, Telesillam, Megaram: plures Ovidius aliique numerant. Vel zelotypiâ Sappho percita de virginibus æmulis suis querebatur, quod Phaoni, quem ipsa deperibat, adhærerent, ejusque amorem retardarent. Ovid. Epist. Sapphûs ad Phaonem:

*Nec me Pyrrhiades, Methymniadesve puellæ,*
*Nec me Lesbiadum cætera turba juvant.*
*Vilis Anactorie, vilis mihi candida Cydno,*



Digitized by Google

Sappho puellis de popularibus:
Et te sonantem plenius aureo,
Alcæ, plectro dura navis,
Dura fugæ mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio
Mirantur umbræ dicere: sed magis
Pugnas & exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.

## INTERPRETATIO.

*postulantem de virginibus patria sua: nec non te, a Alcae, aureâ citharâ canentem altius molesta navigationis, mæsta exilii, gravia militia incommoda. Manes autem admirantur ambos loquentes religiosa dignas res silentio. Verum turba scapulis conferta libentius excipiunt auribus prælia*

## ANNOTATIONES.

*Non oculis grata est Atthis, ut ante, meis:*
*Atque alia centum, quas non sine crimine amavi.*
*Improbr, multarum quod fuit, unus habes.*

Narrat Plinius lib. 22. c. 8. in Phaonis amorem Sappho incidisse per herbam centum capita nuncupatam, cujus radix rara quidem inventu, quibus contigerit, amabilas facit. Porro ex Suida, item ex Æliano, duplex Sappho fuit, utraque e Lesbo insula: prior Eresia, Alcæi, Stesichuri & Pittaci coætanea, quæ tres habuisse fertor sodales seu amicas ante memoratas, plectrum invenisse, scripsissa vero Lyricorum carminum libros nuvem, Epigrammata, Elegias, Iambos, & Monudias. Posterios Mitylenæa, quæ psaltria fuerit, Lyrica scripserit etiam, atque ob amorem Phaonis Mitylenæi, a quo spernebatur, de Leucate promontorio in mare sa præcipitem dederit. De quo vide quæ aunotabo lib. 1. Epist. 19. v. 28. ad has voces *mascula Sappho*. Utut sit, quemadmodum unum Herculem, etsi plures extiterunt, oominant, & quod multorum est aidem tribuunt; ut alibi notavimus: ita unam Sappho vulgo celebrant, Sapphici carminis aucturem tam venustam & elegantem, ot decimæ quidem Musæ cognomen obtinuerit. *Veris nuntiam, blandiloquam luscinam* vocat Sophoclis Scholiastes. Floruit cum Alcæo & Stesichoro, annis ante Christum circiter sexcentis. Ejus (quæ temporum injuria ast) apud varios auctures sparsas quasdam poematum reliquias duntaxat veneramur: & mire laudant Strabo, Aristot. Socrates. Dionys. Halicarn. Plutarch. Longinus, &c. Catullos Carmen suum 52. quod est ad Lesbiam, transtulit a Sapphûs Græco, quod Longinus lib. de sublimi genere dicendi, sic habet:

φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
Ἔμμεν ὤνηρ, ὅστις ἐναντίος τοι
Ἰζάνει, καὶ πλασίον ἆδυ φωνεί-
σας ὑπακούει,
Καὶ γελαίσας ἱμερόεν, &c.

*Æoliis fidibus.*) Æolicâ nempe dialecto usa est Sappho. Æolii quidam Græciæ populi, cum eam Asiæ minoris regionem, quæ ante Mysia dicebatur, invasissent, quasdam insuper Lesbi insulæ tenuere civitates, ac in primis aliarum caput Mitylanen Sapphûs patriam. Hinc noster lib. 4. Od. 9. v. 12. *Æoliæ fidibus puellæ.* Et Ovid. Epistolâ Sapphuûs ante citatâ,

*Lesbides Æoliâ nomine dicta lyrâ.*

26. *Et te sonantem plenius aurea, Alcae, plectro.*) Ovid. Epist. mox cit.

*Nec plus Alcaus consors patriaque lyraque*
*Laudis habet, quamvis grandius ille sonet.*

Herudut. lib. 5. de Alcæo multa refert, quæ redarguuntur a Plutarcho, in suo de Herodoti malignitate liballo. Vida quæ de illo ampiius annotavi lib. 1. Od. 32. v. 5. & seq. Item lib. 4. Od. 9. v. 7. obi *Alcæi minaces camenæ* appellautur.

27. *Dura navis, dura fugæ mala, dura belli.*) Ea videlicet quæ pertulit Alcæus atque exantlavit pericula, mala, difficultates, ærumnas, cum navigando fugere, patriâque exulare coactus est, eo quud civibos, ut ajunt, suia emorem libertatis suaderet, invisus tyrannis; quos tandem collecta exulom manu Mitylene exegit, patriamque vindicavit.

29. *Utrumque sacra digna silentia mirantur umbra dicere.*) Alcæum & Sappho *umbra mirantur* canentes *digna* silentum concilio, de quo Virg. Æn. 6. v. 432. Vel Ditis digna sacrariia, quæ affert idem Virg. Æn. 12. v. 199. vel auscoltari digna cum eo *silentio*, quod adhibetor in sacris. Vel denique *sacro digna silentio*, id est, nun profanis revelanda, nec avulganda quibuslibat, veluti quædam mysteria. Huc facit μυστηριώδης σιγὴ apud Plutarch. lib. de Garrulitata.

31. *Sed magis pugnas & exactos tyrannos.*) Quamvis autem uterque admiranda loqueretur, & ab ora utriusque penderent ombræ, hoc tamen erat discrimen, quud amatoria quidem Sapphûs carmina eximia prorsus atque divine vulgus admiraos auscoltaret: at longa tamen attentius, cupidius, jucundius audiebat *pugnas* ab Alcæo descriptas, & qua rationa *exactos tyrannos* Pittacum, Myrsilum, Megalagyrum insectari nun destiterat, donec omnino extermioaret.

32. *Densum humeris, &c.*) Confertum, turmatim aggragatum, contente & certatim appropinquans auresque arrigens, præ aviditate capiendi quæ dicebantur de expulsis tyrannis, quos odit *vulgus* maxime, & de restituta civibus libertate, quam omnibus antefert, ipsiusque interdum vitæ periculo redimit ac vindicat. Virgil. Æneid. 10. v. 361.

*Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.*

*Bibit aure vulgus.*) Hunc locum imitatus Juvenalis Sat. 4. vers. 30.

*Nequicquam populo bibulas donaveris aures.*

Digitized by Google

Quid mirum? Ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps
Aures: & intorti capillis
Eumenidum recreantur angues?
Quin & Prometheus, & Pelopis parens
Dulci laborum decipitur sono:

## INTERPRETATIO.

*& expulsas tyrannos. Quid stupendum? Quandoquidem attonita cantilenis istis bestia centum capitum nigras deprimit auriculas, atque demulcentur serpentes Furiarum crinibus implexi. Imo etiam Prometheus, & Pelopis pater suavi cantu raptus ærumnas obliviscitur; nec*

## ANNOTATIONES.

33. *Quid mirum? Ubi illis carminibus stupens, &c.* ) Neque vero mirandum, quod ita curiosæ umbræ affluant, audiantque versus Alcæi & Sapphonis; siquidem iis etiam oblectatur terribilis inferorum canis Cerberus, atque voluptatem suam exhibet *demissis auriculis*, quibus depositam iram ac furorem indicat. Contrarium ostendunt *sublata aures*, Epod. 6. Lactant. de Ira Dei, c. 7. *Risus homini proprius est*, inquit, *& tamen videmus in aliis quoque animalibus signa quædam lætitiæ, cum ad lusum gestiunt, aures demulceant, rictum contrahunt, frontem serenant, oculos in lasciviam resolvunt.*

34. *Bellua centiceps.* ) *Canis apud Inferos fabulosus*, ut ait Suidas, *immanis trifauci latratu, tria pandens guttura, horrentia colubris colla exerens*: Virg. Æn. 6. v. 417. & seq. *Plutonis canem ærea voce*, πεντηκοντακέφαλον *quinquaginta capitum, crudivorum impudentemque fortemque* appellat Hesiodos in Theogonia. τρίκρανον σκύλακα, *tricipitem Orci canem*, Sophocles in Trachiniis. Cerberus quasi κρεοβόρος, *carnivorus*, Mythol. terram designat cadavera consumentem. Quoniam vero mortales universi triplici extinguuntur mortis genere, naturali, violento, & fortuito, quæ tria rursus infinita sunt; hinc Cerbero quidam tria capita, alii quinquaginta, nonnulli denique centum affinxerunt. Sic Horat. *bellua centiceps.*

35. *Intorti capillis Eumenidum recreantur angues.* ) Eumenides per antiphrasin dictæ, quia nequaquam benignæ: tres censentur, Alecto, Megæra, Tisiphone. Sensus est: Infernales illæ Furiæ ejusmodi carminibus placari, imo & serpentes earum crinibus intorti iis recreari pariter ac demulceri videbantur. Virgil. Georgic. 4. v. 484.

*Cæruleosque implexæ crinibus angues*
*Eumenides.*

Hæ quidem scelerum ultrices multiplici colubrorum morsu belle exprimunt conscientiæ stimulos, quibus scelerati vellicantur intus, semperque plectuntur.

36. *Recreantur angues.* ) Proprie dictum. Nam cantu delectari naturaliter serpentes, ajunt: & Plinius auctor est lib. 8. cap. 16.

37. *Quin & Prometheus, &c.* ) Prometheus quoque, item Tantalus suum uterque laborem ac supplicium non sentit, velut raptus extra se, & deceptus amœnitate carminum Alcæi & Sapphonis. Illum ignis cælestis raptorem, in furti pœnam, aquilæ rostro jecur depascente excruciari Caucaso affixum vulgo fabulantur: in inferis tamen collocat Aristoteles, Poetices cap. 17. quod idem facit hic Horatius. De Prometheo jam lib. 1. Od. 3. & 16.

*Pelopis parens.* ) Tantalus *Deorum conviva*, ut est lib. 1. Od. 28. vers. 7. quid scirent ac possint numina ausu temerario experturus, filium suum Pelopem coctum iis apposuit. Tanti vero sceleris pœnas luit apud inferos detrusus, ubi perpetua fame ac siti cruciatur, ita ut aquis Eridani mento tenus immersus, & poma cernens ex arbore capiti impendentia, nec tamen hæc, neque illas captare queat. Cic. Tusc. 1. num. 10. *mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus.* Ovid. Metamorph. 4. cap. 13.

*tibi, Tantale, nullæ*
*Deprenduntur aquæ: quæque imminet, effugit*
*arbos.*

38. *Laborum decipitur.* ) Græca dictio, ἐπιλανθάνεται πόνων. Sic supra Od. 9. *desine querelarum*: Od. seq. 14. *damnatus longi laboris Sisyphus*: lib. 3. Od. 27. *abstineto irarum calidæque rixæ*: Od. ult. ejusdem libri: *regnavit populorum.* Nec Horatius vero tantum ejusmodi locutionibus atque hellenismis usus. Plaut. Mercat. *animi pendeo.* Virgil. Æn. 1. v. 219.

*Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinæ.*

Et Æneid. 11. v. 126.

*Justitiæne prius mirer, bellive laborum.*

Unde igitur hoc dicendi genus tam novum aliquibus visum? & quæ mens læva ductos alioqui viros perculit, ut aut lectionem comprobatam, aut sensum pervertorent? Porphyrione duce, quidam legunt *laborem*, & *decipitur* accipiunt pro *decipis*. Quorsum vero tam audax figura atque mutatio? Turnebus Alcæi labores intelligit; ut sit sensus, Prometheum, ac Tantalum proprias oblivisci pœnas, delinitos scilicet ac veluti deceptos suavi cantu & narratione laborum Alcæi; de quibus supra. Verum de Promethei Tantalique laboribus hic sermo est apertus quidem & manifestus: sensusque est; *Prometheus & Pelopis parens dulci sono* & modulatione Alcæi carminum & Sapphonis uterque adeo *capitur* & fallitur, ut quasi sensum atque memoriam amittat *laborum* & cruciatuum suorum.

Nec curat Orion leones,
Aut timidos agitare lyncas.

INTERPRETATIO.

*Orion satagit venari leones vel lyncas meticulosos.*

ANNOTATIONES.

39. *Nec curat Orion Leones, &c.* ) Denique Orion cum aliis ad audiendum properat, abjectaque venandi cura, qua solet occupari, ad dulces cantus accurrit. Ajunt nimirum eadem apud Inferos umbris inesse ac vigere studia, quibus viventes tenebantur. Virg. Æn. 6. v. 653.

*Quæ gratia currûm*
*Armorumque fuit vivis, quæ cura nitentes*
*Pascere equos: eadem sequitur tellure repostos.*

Ovid. Metamorph. 4. Fab. 13.

*Errant exangues sine corpore & ossibus umbræ.*
*Parsque forum celebrant; pars imi tecta tyranni.*
*Pars aliquas artes antiquæ imitamina vitæ*
*Exercent.*

Vide & Odyss. 11. & Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. c. 9. &c. En vero quo solet in Horatium animo bellum movet Scaliger hoc etiam loco: *Nondum*, inquit, *apud Inferos hæc inveni, aut Prometheum tormentis addictum, aut Oriona venantem.* Ergone, vir perspicax, quicquid rerum ibi geritur perspexisti? an illic diversatus aliquando singula otiose tamque luculenter indagasti, ut asseveranter dicas, scribasque, hæc a te ibi minime visa aut reperta; quæ tamen ex Aristotelis citati, item ex Homeri mox citandi fide, inveniri ultro credam; teque exploso credent alii.

*Orion.* ) De eo varie fabulantur: illud constat acrem & strenuum venatorem extitisse. Homerus Odyss. λ. paulo ante finem, narrat hunc *apud Inferos etiam visum Ulyssi per floridum pratum feras persequentem, in desertis autem montibus clava ferreâ occidentem, &c.*

40. *Lyncas.* ) Lynx animal pardo non prorsus absimile, ex Gesnero de quadrup. perinde maculosum. Virg. Æn. 1. vers. 327. acutissimi visûs, ex Plutarch. Plin. lib. 28. cap. 8. &c.

---

*AD POSTUMUM.*

## ODE XIV.

*Vitari mortem non posse.*

Eheu, fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis & instanti senectæ
Afferet indomitæque morti.

INTERPRETATIO.

*Heu, Postume, Postume, anni cito prætereunt. Neque religio rugas, & urgens senium,*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Eheu fugaces.* ) Dolet vitæ brevitatem, mortisque horam necessitatem.
Virgil. Georgic. 3. v. 284.
*Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.*
Ovid. *Tempora sic fugiunt.*
Pers. Sat. 5. vers. 153. *fugit hora.*

*Postume.* ) Parvi refert seu legas, *Postume*, quo significatur ultimo loco natus; sive *Posthume*, id est, qui post humatum patrem in lucem editus. Hic cognomen est, ut volunt quidam parvo certe nixi fundamento, Julii Flori, ad quem Horatius inscribit Epist. 3. lib. 1. & secundam secundi. Conjectori tamen danda venia, cum certi nihil aliunde suppetat. Virg. Æn. 6. v. 763. Agell. lib. 2. c. 16. &c.

2. *Nec pietas moram, &c.* ) Etsi Deos colas religiosissime, haud proinde vita continget tibi diuturnior. Ita quidem Ethnicus de falsis Numinibus non falso. At sacris nos codicibus instructi, multis dilatam ope Dei præpotentis mortem non ambigimus. Exod. c. 20. & Deut. cap. 5. *Honora patrem & matrem ut longe vivas tempore, ac bene tibi sit in terra, &c.* lib. 4. Reg. c. 20. Ezechias usque ad mortem ægrotans, sanitatem oratione piisque lacrymis obtinet, meretturque audire Deum ita pollicentem: *Vidi lacrymas tuas: ecce sanavi te: & addam diebus tuis quindecim annos, &c.*

3. *Rugis & instanti senectæ.* ) Deficientibus in senectute humoribus subtilioribus, paulatim arescit corpus ac durescit, & cutis in rugas contrahitur.

Digitized by Google

Non si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris; qui ter amplum
Geryonem Tityonque tristi
Compescit undâ, scilicet omnibus
Quicumque terræ munere vescimur,
Enavigandâ; sive reges,
Sive inopes erimus coloni.

## INTERPRETATIO.

*fatumque ineluctabile retardabit: nec si tauros quotidie trecentos immoles Plutoni inexorabili, qui ter magnum Geryonem & Tityum coercet fluvio lethali nempe tranando cunctis, quotquot nutrimur frugibus telluris, seu principes, seu egeni agricolæ fuerimus.*

## ANNOTATIONES.

5. *Non si trecenis.* ) Etiamsi tribus quotidie Hecatombis Plutonem satagas placare: non litabis tamen, & mortem frustra deprecabere. Æschyl. *μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ, οὐδ' ἂν τι θύων, οὔτ' ἐπισπένδων ἄνοις, sola Deorum mors non capitur muneribus, nec si sacrifices in templis.*

*Trecenis.* Perperam aliqui, *tricenis*, cujus prima syllaba cum sit longa, metri lege arcetur.

6. *Illacrymabilem.* ) Lacrymabiles dicuntur ii qui ad misericordiam facile moventur per lacrymas & preces: a contrario Pluton vocatur illacrymabilis, qui nunquam flectitur. Sic Erasm. *ἀδάκρυτος, implacabilis*, cujus ob inexorabilem sævitiam illacrymemus, inquit Torrentius.

7. *Plutona.* ) Inferorum & mortuorum Deum. Is Saturni filius, frater autem Jovis, ac Neptuni. Hi tres ita paternum regnum divisere: Jupiter quidem Orientalis plagæ sortitus est imperium, & cum inde lux oriatur, Cœlum dictus est occupasse. Neptunus Insulas habuit, unde & maris dominus ac Deus appellatus est. Pluto natu minimus Occidentalem obtinuit regionem, secus inferum mare. Hinc fabula, dominari inferis ait: & quoniam terræ visceribus conduntur metalla auri & argenti, Divitiarum Deus existimatus est, & Ditis ac Plutus dictus. Lactant. lib. 1. Divin. institut. Neque vero prætermittendum, quod testatur Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 21. Eorum quæ ad defunctorum spectant cultum, Plutonem fuisse auctorem primum. Quo nomine creditum, mox vitâ functis præsidere.

*Qui ter amplum Geryonem, &c.* ) Qui potentes quosque & magnos domat, v. g. Geryonem & Tityum: scilicet, ut scribit Juvenal. Sat. 10. v. 172.

*Mors sola fatetur*
*Quantula sint hominum corpuscula.*

*Ter amplum Geryonem* vocat Horatius, *tergeminum* Virg. Æn. 8. v. 202. ex eo quod fabulantur, triplex ei corpus fuisse. Hinc Virgil. Æneid. 6. v. 289.

*Forma tricorporis umbræ.*

Fingendi porro ansam præbuit triplex regnum, sive triplicis circa Hispaniam insulæ dominium; vel potius trium fratrum corporis robore præstantium concordia, quæ tanta quidem, *ut uno regi animo viderentur*, inquit Justin. ad calcem libri ultimi. Quod idem fere narrat Diod. Sicul. lib. 5. c. 2. ubi decimum Herculis laborem in debellando Geryone exponit. Porro valde arridet sententia Palæphati asserentis, e Tricarenia ad Pontum Euxinum insula Geryonem fuisse, adeoque Tricarenum; & ex ambigua vocis significatione tricipitem ac proinde tricorporem dictum.

7. *Tityon.* ) Is mole corporis plus quam Gigantæa fertur, quod Latonæ vim inferre tentasset, ab Apolline sagittis trusus ad Inferos, ubi vulture jecur perpetuo renascens exedente & laniante torquetur. Virg. Æn. 6. v. 596.

*Nec non & Tityon, terræ omniparentis alumnum,*
*Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus*
*Porrigitur; rostroque immanis vultur adunco*
*Immortale jecur tondens, fœcundaque pœnis*
*Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto*
*Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.*

9. *Compescit undâ tristi.* ) Detinet in Inferis, & coercet *unda* Stygia, seu palude illa horrida & irremeabili, de qua Virg. Æn. 6. v. 438.

*Quàm vellent æthere in alto*
*Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!*
*Fata obstant, tristique palus innabilis unda*
*Alligat, & novies Styx interfusa coercet.*

10. *Terra munere vescimur.* ) Plin. lib. 2. c. 63. *Terra, quæ hominum, ut cœlum Dei; nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper ... sola quæ nunquam irascatur homini. Aquæ subeunt in imbres, rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes. Aer densatur nubibus, furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgens, ususque mortalium semper ancilla, quæ coacta generat! Quæ sponte fundit! Quos odores saporesque! Quos succos! Quàm bona fide creditum fœnus reddit! Quæ nostri causâ alit! &c.* quæ lege.

11. *Enavigandâ.* ) Mors omnibus subeunda: mortali cuilibet *calcanda est semel via lethi*, ut est in Ode 28. lib. 1. Styx tranandà & *enaviganda* vectore & portitore Charonte, qui *ferrugineâ subvectat corpora cymbâ*. Virg. Æneid. 6. Vide locum a v. 295. ad 317.

*Sive reges, sive inopes.* ) Vide lib. 1. Od. 4. & 28.

Digitized by Google

Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Adriæ:
Frustra per Autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum.
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, & Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, & domus, & placens

INTERPRETATIO.

*Abstinebimus incassum sanguinolento Marte, & illisâ undâ maris Adriatici frementis. Incassum cavebimus Notum corporibus noxium Autumnali tempestate. Adeundus niger Cocytus lentâ fluens aquâ, Danaique stirps conscelerata, & Sisyphus Æoli filius æterna pœna addictus. Deserenda terra, & domicilium, & grata con-*

ANNOTATIONES.

13. *Frustra cruento Marte carebimus, &c.*) Nihilo secius moriemur, etsi abstinuerimus bello, mari, &c. frustra cavebimus pericula militiæ & navigationis, aut pestiferi Austri flatus, in Autumno præsertim. Quamvis enim mortis unum aliquod spiculum eluctemur, et altero percussi occumbemus. *Improvisa lethi vis rapuit, rapietque gentes*: ut est in Ode superiori.

14. *Fractis fluctibus.* Virg. Æn. 1. v. 165.

*omnis ab alto*
*Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.*

*Adria.*) Supra Od. 11. v. 2.

*Rauci.*) Horrendum frementis, quando tumentes fluctus ad scopulos illiduntur, ingenti sonito & fragore.

15. *Per Autumnos nocentem corporibus Austrum.*) *Autumno* quidem morbi semper acutissimi & exitiales, ex Hippocr. lib. 3. Aphor. 9. Hinc Juven. Sat. 4. v. 56. *lethiferum* appellat & Sat. 10. v. 221.

*Quot Themison ægros Autumno occiderit uno.* In causa sunt inæqualitas caloris & frigoris eodem sæpius die ingruentium. Deinde æstati successio, in qua biliosi humores accumulati dein facile computrescunt. Adde cutis constipationem a frigore, per quam tetri halitus retinentur intus, & morbos creant. Denique debilitatæ per æstatem vires corporis, fructuumque copia noxiorum humorum colluviem gignens, Autumnum verè Θανατωδέστατον *ferinum* ab Hippocrate dici fecerunt. Causas afferunt istas quinque Galen. aliique, nec non Plutarch. Sympos. lib. 8. cap. ult.

16. *Austrum.*) Hujus natura cum calida sit & humida, valet ad procreandas ægritudines, replendumque caput, indeque ad gravedinem inducendam, sensus torpore inficiendos, viresque dissolvendas & enervandas. Hippocrat. lib. 3. Aphorismo 5. *Auster auditum hebetat, caliginem offundit, caput gravat, pigros, & languidos facit.*

17. *Visendus ater flumine languido.*) Id est; adire tandem ad Inferos oportebit; illicque visere Cocytum, &c. Vide lib. 1. Od. 28.

*Flumine languido.*) Virgil. ante citat. *tardam* Stygem vocat.

18. *Cocytus.*) Ex ea derivatur. Nomen κωκύω *lamentor*. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 10. Quicquid homines in luctum lacrymasque compellit, *Cocytum*: quod in gurgite mergit odiorum, *Stygem* interpretati sunt, inquit. Sic & ipsas pœnas, quas apud Inferos memorant. Vulturem jecur immortale tundentem, intellige tormenta conscientiæ indefesse sceleris admissi admonitione lenientis, &c. Vide cætera ibidem.

18. *Danai genus infame.*) Danaus Argis regnavit an. M. 3716. Euseb. Chron. hujus filiæ quinquaginte suos, una excepta, viros jugulavere, patris mandato nefarie obsequentes: quam ob noxam pertusum aquis implere dolium in Inferis coguntur. Vide lib. 3. Od. 11.

Virgil. Æneid. 10. v. 496.

*unâ sub nocte jugali*
*Cæsa manus juvenum fœde thalamique cruenti.*

Tibull. lib. 1. Eleg. 3.

*Et Danai proles Veneris quod numina læsit,*
*In cava Lethæas dolia portat aquas.*

19. *Damnatusque longi, &c.*) Elipsis supplenda.

20. *Sisyphus Æolides.*) Latrociniis, ut ajunt, infamis a Theseo est occisus: alii dicunt virum fuisse rerum multarum notitie pollentem: & cum immortalitatem sibi parare attentasset, longo isto labore damnatum, ut ad apicem montis portet saxum inde relapsurum. Vide Epod. ult. Ovid. Metamorph. 4. Fab. 13.

*Aut petis, aut urges ruiturum Sisyphe saxum.*

Virgil. Georgic. 3. v. 39.

*non exsuperabile saxum.*

Lucret. lib. 3.

*nixantem trudere monte*
*Saxum, quod tamen a summo jam vertice rursum*
*Volvitur, &c.*

Vide & Odyss. 11. ubi Sisyphi labor graphice describitur ac pingitur, ut observari oculis videatur Sisyphus trudens saxum, connitens, totoque sudans corpore.

21. *Linquenda tellus.*) Supra Od. 3.

*Cedes coemptis saltibus, & domo,*
*Villaque, &c.*

*Et placens uxor.*) Vel decore & pulchre, vel,

*be*

Uxor: neque harum quas colis arborum,
Te, præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus; & mero
Tinget pavimentum superbum
Pontificum potiore cœnis.

## INTERPRETATIO.

*jux. Et harum, quas educas, arborum nulla te comitabitur haud diuturnum possessorem, præter ferales cupressos. Hæres dignior consumet vina Cæcuba centenis clavibus custodita: superbumque pavimentum asperget vino meliore Pontificum epulis.*

## ANNOTATIONES.

*bene conveniens*, ut est apud Suet. Tib. c. 7. & hinc viro dilecta & omnino placens.

22. *Quas colis arborum.* ) In colendis arboribus luxum atque delicias Romanorum alibi notavi. Vino etiam platanos irrigasse Q. Hortensium, testis Macrobius lib. 3. c. 13. Valer. Max. lib. 9. c. 1. art. 4. de Cn. Domitio, & Luc. Crasso altercantibus: *uter luxuriosior?* inquit Crassus; *Egone qui decem columnas centum millibus nummûm emi: an tu qui decem arbuscularum umbram tricies sestertium summâ compensas?* Idem ferre narrat Plin. lib. 17. c. 1. Vide seq. Od. Annot. initio.

23. *Cupressos.* ) Funebres quidem arbores, ideoque *invisas* appellat Horatius: Proserpinæ Ditique sacras, ex Servio, Festo, Plinio. Hic lib. 16. c. 33. ita scriptum reliquit: *natu morosa, fructu supervacua, baccis torva, folio amara, odore violenta, ac ne umbrâ quidem gratiosa.*

24. *Brevem dominum sequetur.* ) *Sequetur*, funeribus tuis ex more apposita, cum vitâ excesseris.

*Brevem.* ) Paucis annis usum, & possessorem ὀλιγοχρόνιον. Valeant qui ad tumuli vel urnæ angustias redactum interpretantur. Quæ si cui placeat explicandi ratio, lucem huic afferet Juven. 10. v. 168. & quinque sequentibus.

*Dominum.* ) Te potentem ac divitem. Plin. mox cit. *Cupressus*, inquit, *Diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita;* adde *nobilium*, ex Lucano:

*Et non plebejos luctus testata cupressus.*

Ad rem præterea faciunt, quæ de cupresso scribunt. Præciso capite moritur, & subsecta non renascitur, sicut ex mortuis nihil speratur. Servius. Rogis adhibetur, & cremandis utilis est cadaveribus, ob gravem ustrinæ nidorem, quoniam fœtorem cadaveris dum uritur, odoris sui jucunditate lenit. Ita Varro. Leges publicas, & sacrorum ritus, ob æternam firmitatem, in tabulis cupressinis describi Plato jubebat. Vide Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 2.

25. *Absumet hæres Cæcuba dignior, &c.* ) Hæres dignior te, quia liberalior & sciens uti iis, quæ ad usum sunt facta; quibus improbe avari velut sacris parcunt. Quæ vero tu parce nimia servasti vina exquisita, hæc ille absumet, & ejus modo fundet.

*Cæcuba.* ) Lib. 1. Od. 20. Vinum optimum profundet disperdetque.

26. *Mero tinget pavimentum.* ) Cic. Philipp. 2. *natabant pavimenta vino.* Porro in deliciis fuisse olim respergi pavimentum vino fragrantissimo, auctor est Athen. lib. 15. Alii referunt ad cottabismum, quo veteres inter potandum usi, non siccantes omnino calicem, sed arte quadam vini reliquias in terram elidentes, ut sonus inde redderetur. Ita J. Lips. antiq. lect. lib. 3. de eo more & joco a Siculis invento, Hesychio teste. Suidas paulo aliter, in κοττοβίζειν. Athen. variis locis, maxime vero lib. 15. Jul. Pollux. lib. 6. c. 19. Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 28. &c.

27. *Pavimentum superbum.* ) *Marmoreum solum* vocat Tibull. l. 3. Eleg. 3. & Cicer. Parad. 6. de pavimentis arte & pictura elaboratis, deque lithostrotis ac vermiculatis. Plin. lib. 36. cap. 25. Quidam legunt *superba*, referuntque ad vocem, *mero;* ut, per hypallagem, significetur hæres superbus vinum pretiosum effundere. Alii *merum superbum* ajunt, quod non amplius clavibus inclusum jam marmoreo libere decurrat pavimento. Sed vix id venisse in mentem Horatio, si dicam; plus credat mihi quisque cordatus injurato, quam juratis illis.

28. *Pontificum potiore cœnis.* ) Meliore, pretiosiore, quam illud quod adhibetur in sumptuosis illis Pontificum cœnis: quando novi quidam inaugurabantur, & in eorum collegium admittebantur. Varro lib. 3. cap. 6. Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 13. Chiliad. 3. Centur. 2. Adag. 36. lib. 2. Od. 37. v. 2.



Digitized by Google

# ODE XV.

*Immoderatum sui sæculi circa ædificia luxum reprehendit.*

Jam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent: undique latius
Extenta visentur Lucrino
Stagna lacu: platanusque cælebs
Evincet ulmos: tum violaria, &
Myrtus, & omnis copia narium

## INTERPRETATIO.

*Regales deinceps substructiones modicam terram relinquent arandam. Undequaque venient spectatum stagna magis spatiosa,* quam sit *lacus Lucrinus. Platanus quoque sterilis ulmos excludet. Dein violaria, myrteta, & uberes odoratûs*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Jam pauca, &c.* ) Hæc Ode superiori juncta legitur in quibusdam exemplaribus; sed perperam: ut satis ostendit argumentorum diversitas.

*Pauca aratra jugera regiæ moles relinquent.* ) Occupantibus fere omnia ædificiis sumptuosis, operosis, rege dignis. Cic. pro Milone, *insanas substructiones*, & postea, *substructionum insanas moles* vocat.

2. *Undique latius extenta visentur, &c.* ) In illis ædibus magnifice structis visentur piscinæ, vivaria, stagna, Lucrino lacu ampliora, qui tamen ingens & spatiosus. Valer. Maxim. lib. 9. c. 1. *C. Sergius Orata, ne gulam Neptuni arbitrio subjectam haberet, peculiaria sibi maria excogitavit, æstuariis intercipiendo fluctus, piscium que diversos greges, separatos molibus includendo: ut nulla tam sæva tempestas incideret, qua non Oratæ mensa varietate ferculorum abundaret. Ædificiis etiam spatiosis & excelsis deserta ad id tempus ora Lucrini lacus pressit, &c.*

3. *Lucrino lacu.* ) Hic & Bajanus appellabatur, inter Puteolos & Bajas situs, ac inter Avernum lacum & mare Tyrrhenum: maxime piscosus, & proinde afferens lucrum: hinc nomen. Ita quidem olim: at anno 1538. terræ motus novum excitavit extulitque montem Cinereum dictum: nihilque reliquit e lacu Lucrino præter cœnosam paludem cum arundineto, quod quidem in suo Lexico affirmat Michael Anton. Baudrandus rerum Geographicarum studiosissimus, teatisque oculatus. Strabo lib. 5. stadiis octo longum fuisse refert. Sueton. August. c. 16. *Portum Julium apud Bajas immisso in Lucrinum & Avernum lacum mari effecit.* Virg. Georg. 2. v. 161.

*An memorem portus: Lucrinoque addita claustra:*
*Atque indignatum magnis stridoribus æquor? &c.*

4. *Platanusque cælebs evincet ulmos.* ) Arbores ad umbram, delicias, & mollitiem duntaxat utiles frugiferis arboribus præferentur. Plin. lib. 12. cap. 1. *Quis non miretur arborem umbræ gratiâ tantum ex alio petitam orbe? platanus hæc est, per mare Ionium in Diomedis insulam ejusdem tumuli gratia primum invecta; inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ . . . . . tantumque postea honoris increvit, ut mero infuso enutriantur. Compertum id maxime prodesse radicibus: docuimusque etiam arbores vina potare.* Platani folia latissima, umbram peramœnam alibi notat. Vide apud Herodot. lib. 7. Xerxem cùm ingenti exercitu in Lydiam pergentem platani pulcherrimæ admiratione captum, circa illam stantem, aureo monili donantem, ejus denique curam viro immortali committentem. Decem erant nempe millia virorum selectorum e Persica militia, qui dicebantur immortales: quoniam uno moriente, statim alter substituebatur, ut completus esset semper ille numerus. Horum meminit Q. Curtius lib. 3. Porro platanum auream sibi fundi jussit Xerxes, quæ supra memoratam effingens ejusdem leniret desiderium, & æstuationem mentis ob ejus absentiam Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 1. Vide supra Od. 14. sub finem, Annot. ad ea verba, *quas colis arborum.*

*Platanus cælebs.* ) Martial. lib. 3. Epigram. 57. *viduam* appellat: intellige sterilem, vel non vitibus, ut solet ulmus, maritatam. Vide Plin. lib. 16. c. 37. Senec. lib. 5. Epist. 6.

5. *Evincet ulmos.* ) Expellet, quasi dimovebit loco, earumque plantaria occupabit.

*Tum violaria, &c.* ) Similiter & flores odoriferi exterminabunt fructuosas arbores, hisque neglectis & ajectis, excolentur. Quidam legunt, *myrtusque & omnis, &c.* ut metri constet ratio. Alii volunt hic *myrtus* 4. declin. esse, & num. plur. adeoque ultimam syllabam produci. Plin. lib. 21. c. 11. *In Italia violæ succedit rosa: huic intervenit lilium: rosam cyanus excipit, cyanum amarantus.* De myrto plura lib. 1. annotavi ad Od. ult.

6. *Omnis copia narium.* ) Abundantiam florum & odorum, qui sunt odoratûs opes velut ac divitiæ, voluptas ac delectatio. Est qui *dormitasse* hic Horatium cavilletur, nec satis *intendisse animum.* Quasi vero temere quidquam scribere soleat tantus Poeta. Imo feliciter *intendebat animum*, forsan *vivos & roserat ungues, & in versu faciendo sæpe caput jam scaberat*, atque, ut ait

etiam

Spargent olivetis odorem
Fertilibus domino priori.
Tum ſpiſſa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli
Præſcriptum, & intonſi Catonis
Auſpiciis, veterumque normâ.
Privatus illis cenſus erat brevis,
Commune magnum: nulla decempedis
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton.

## INTERPRETATIO.

*opes afflabunt ſuavitatem per loca oleis* ante *conſita, quæ priori poſſeſſori fructum dabant. Mox denſa laurus ardentes* Solis *radios ramis arcebit. Non ſic erat licitum per leges Romuli & Catonis criaitè, vel priſcorum inſtituta. Res familiaris aderat eis exigua, publica* autem *dives. Nemini privato porticus menſa decem pedum porticû colligebat auram Septentrionalem plurimam.*

## ANNOTATIONES.

etiam Perſius, *plateam exciderat*, cum ſcripſit, *omnis copia narium*: dictio ſane tam grandis quam inſolens, tam pulchra & dives, quam audax & nova.

7. *Spargent olivetis odorem fertilibus domino priori.*) Odoriferæ omnis generis plantæ diffundent fragrantiam iis in locis, quæ prius olivis conſita uberem domino proventum afferebant.

9. *Tum ſpiſſa ramis laurea fervidos excludet ictus.*) Seu quod adverſus fulmen ejusque ignitos ictos valere laurus dicatur ex Plinio lib. 15. c. ult. Sueton. Tiber. c. 69. &c. Sive quod arte quadam laurus apud Romanos veluti ſilveſcebat, ramosque tam alte lateque extendebat, ut *ſpiſſam* & opacam umbram prætexeret, Soliſque ardorem arceret, *ictuſque fervidos*; qui Lucretio *verbera Solis* nuncupantur. *Spiſſam* quoque *ramis lauream* referunt aliqui ad hortos operis topiarii. De quibus omnibus Plin. cit. loco. Laurus nempe aliique frutices gradatim modicis intervallis inflecti, annectique, & cancellatim pingi poſſunt, inquit Cruq. hic.

10. *Non ita Romuli præſcriptum, &c.*) Non ita majores noſtri; nec iſta graſſabatur luxuria temporibus *Romuli*: qui ſingulis civibus duo tantum agri jugera diſtribuit; aut *Catonis* Cenſoris, Portiæ familiæ principis, luxuriæ hoſtis infenſiſſimi: qui Dux, Orator ac Senator præclarus, frugalitate & continentia longe clarior, quater & quadragies accuſatus, toties eſt abſolutus. Plutarch. in ejus vita Plin. lib. 7. c. 27. Valer. Max. lib. 3. c. 7.

11. *Intonſi*.) Nimirum Romani uſi tonſoribus, anno ab urbe condita 454. *antea* vero *intonſi fuere*: quod ex Varrone aſſerit Plin. lib. 7. cap. 59. Vide Gell. lib. 3. cap. 4. Quod ſi Catonem intelligere Uticenſem placet; hic etiam intonſus, quia ex quo civilia bella exarſere, tonderi nunquam voluit. Lucan.

*Ille nec horriferam ſancto dimovit ab ore*
*Cæſariem, duroque admiſit gaudia vultu:*
*Ut primum tolli feralia viderat arma,*
*Intonſos rigidâ in fronte deſcendere canos*
*Paſſus erat, mæſtamque genis increſcere barbam.*

13. *Privatus illis cenſus erat brevis.*) Exigui tunc erant privatorum opes: nec dives eſſe quiſquam ſatagebat: at univerſi Reipublicæ decus, gloriam, potentiam augere & amplificare ſtudebant. Vide paupertatem laudatam apud Valer. Max. lib. 4. c. 4. ubi inter exempla non pauca, hæc affert: Valerii Poplicolæ, *cui mortuo lectus funebris & rogus defuit; exequiæ verò pecuniâ publicâ ductæ ſunt*: Agrippæ Menenii, *qui publicæ ſalutis arbiter ita pecuniæ inops deceſſit, ut ſepulturæ honore caruiſſet, niſi a populo collatis in capita ſextantibus funeratus eſſet.* Et paulo poſt, idem ſic ſcribit: *imo vero quos pericula Reipublicæ Imperatores aſſerebant, anguſtiæ rei familiaris (quid enim proprium nomen veritati reddere?) bubulcos fieri cogebant.* Et poſtea: *Quid Ælia familia, quam locuples? Sexdecim eodem tempore Ælii fuerunt, quibus una domuncula erat eodem loci, quo nunc ſunt Mariaaa monimenta: & unus in agro Veiente fundus minus multos cultores deſiderans, quam dominos habebat, &c.*

14. *Commune magnum.*) τὸ κοιὸν apud Cic. ſenſus eſt: magni putabatur publica res, ſalus, auctoritas: commodo privato Reipublicæ utilitas anteponebatur. Cic. pro Flacco, *in privatis rebus minimo contenti erant majores noſtri: in imperio & publica dignitate, omnia ad gloriam & ſplendorem revocabant.*

*Nulla decempedis metata privatis, &c.*) Privatorum nemini porticus erat pluribus metata decempedis, adeoque valde longa, ex arte, & magno proinde ſumptu extructa.

15. *Opacam excipiebat Arcton.*) Quæ porticus Septentrioni obverſa, apta eſſet ad captandum æſtate frigus plurimum, & ad amœnam ambulationem, fervente etiam die. *Arctos* Græcis Ur-

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant; oppida publico
Sumptu jubentes, & Deorum
Templa novo decorare saxo.

## INTERPRETATIO.

*Neque fas erat contemnere glebam obvenientem:* urbes autem *communibus impensis, ac numinum* | *fana lapidibus novis exornare praescriptum* erat.

## ANNOTATIONES.

ει, Latinis sidus Boreale, polo Arctico nomen fecit: regionem septentrionalem designat, unde frigidæ & salubriores spirant auræ. *Porticus* definiri potest ambulacrum columnis septum, Gall. *une Gallerie*. Aliæ centenariæ, aliæ milliariæ dicebantur a longitudine & numero passuum, quos continebant, Sueton. Vitruv. lib. 5. c. 9. & 11. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 22. & 23. ubi & multiplex porticus recensetur: præ ceteris autem Porticus Claudia, in qua subdiales ambulationes, miro ingenio elaborata: item Porticus Augusti, in palatio cum bibliotheca Græca Latinaque, Numidico marmore per symmetriam exstructa, &c. Vide & Cœl. Rhodig. lib. 28. c. 39. Juvenal. Sat. 7. v. 182.

*Parte alià longis Numidarum fulta columnis*
*Surgat, & algentem rapiat cœnatio Solem.*

17. *Nec fortuitum spernere cespitem leges sinebant, &c.*) Legum pœnis erat obnoxius, quisquis operosas ædes sibi molitus esset e saxo quadrato; quæ quidem structura templorum erat. At privatis vel crudo cespititio solo, aut ductis lateribus ædificare tantum licebat. Turneb. lib. 10. cap. 31. Itaque nemo spernebat casam hæreditate sibi obvenientem, agellum, prædiolum. Neminem pigebat habitare domunculas,

*Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.*

Virgil. Eclog. 1. vel, passim & sine discrimine cibum aut quietem captabant majores nostri ubicunque fors tulerat. Ovid. Fast. 1.

*Nec pudor in stipula placidam cepisse quietem,*
*Nec fœnum capiti supposuisse fuit.*

Tibull. lib. 2. Eleg. 5.

*festas exstruet alte*
*Cespitibus mensas, cespitibusque thorum.*

Huc facit quod de Tiberio Sueton. ait, cap. 18. *Trans Rhenum vero eum vita ordinem tenuit, ut sedens in cespite nudo cibum caperet; sæpe etiam sine tentorio pernoctaret.*

*Fortuitum.*) Hujus vocis penultimam corripit Juvenalis Sat. 13. v. 225. hic vero productam vides, a *fortuna & ire*. Servius in Æneid. 6. v. 179.

18. *Oppida publico sumptu jubentes & Deorum Templa, &c.*) Hinc Ædiles, seu publicarum ædium, totiusque urbis curatores. Hoc & ad Augusti laudem scripsisse Horatius creditur. Sueton. Octav. cap. 30. *Spatium urbis in regiones vicosque divisit, instituitque ut illas annui magistratus sortitò tuerentur ..... Ædes sacras vetustate collapsas, aut incendio absumptas refecit, easque & ceteras opulentissimis donis exornavit, &c.*

20. *Novo saxo.*) Vel secto, quadrato, & polito; vel e longinquis terris Romam advecto; quale est marmor ex Armenia, Paro, Chio; ex Ægypto, Numidia, &c. Juvenal. Sat. 14. v. 86. & seq.

*Ædificator erat Centronius .................*
*.............................. alta parabat*
*Culmina villarum Græcis longeque petitis*
*Marmoribus, &c.*



Digitized by Google

## *AD GROSPHUM.*

# ODE XVI.

*Animi tranquillitatem nonnisi cupiditates coercendo parari.*

Otium Divos rogat in patenti
Prensus Ægæo, simul atra nubes
Condidit Lunam, neque certa fulgent
Sidera nautis:
Otium bello furioſa Thrace,
Otium Medi pharetrâ decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpurâ venale nec auro.
Non enim gazæ, neque Consularis

### INTERPRETATIO.

*O Grosphe, quietem a numinibus petit quilibet in aperto mari Ægæo deprehensus, statim atque nigra nebula texerunt Lunam, neque apparent nautis astra non dubia. Quietem Thracia bello efferata, Parthi insignes pharetrâ quietem poscunt, nec lapillis nec purpurâ nec auro venalem: enimvero divitiæ, vel Consulis appa-*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 2. Lib. 1.

*Ad Grosphum.* ) Hunc Pompejum Grosphum nobilem & Magistratibus partum innuit, quod in fine hujus Odes purpurâ vestiri scribit. Siciliensem ajunt nonnulli, eo quod ibidem Horatius Siculis gregibus & armentis opulentum notat. Virum autem frugi celebrat Epist. 12 lib. 1.

*Utere Pompejo Grospho: & si quid petet, ultro*
*Defer: nil Grosphus, nisi verum orabit, & æquum.*

1. *Otium Divos rogat, &c.* ) Otium poscunt omnes, & tamen omnes avaritiam & ambitionem colunt; per quas assiduis laboribus & periculis exercentur, atque otio frui prohibentur. Sic impiger ad Indos, quæstûs causa, currens mercator, cum se jactatum tempestatibus, & mortis discrimini proximum sentit, tum mare & navigationem detestatur, otiumque rogat a Castore & Polluce, at ultra pergit tamen, urgente avaritia, cum primum periculum præteriit: lib. 1. Od. 1.

*Luctantem Icariis fluctibus Africum*
*Mercator metuens otium, & oppidi*
*Laudat rura sui.*

2. *Ægæo.* ) Quod mare altum & scopulosum, & multis adeo naufragiis infestum. Unde prov. τὸ αἰγαῖον πλεῖν. ab Æga insula, vel ab Ægis Eubœæ insulæ oppido, ut Straboni placet, Ægæum mare dictum est. Alii alia fabulantur. Situm est Græciam inter & Asiam; plures habet insulas quas passim disseminatas; hodie Archipelagus nominatur.

3. *Neque certa fulgent sidera.* ) Cum atris nubibus obducta cœli facies, non ostendit ea sidera certâ semper regione apparentia: quibus dirigi navigantes solent, & tutus esse cursus ac non dubius. Æneid. 1. v. 92.

*Eripiunt subito nubes cælumque diemque*
*Teucrorum ex oculis. Ponto nox incubat atra.*

Lucan.

*miseros fallentia nautas*
*Sidera non sequimur.*

5. *Otium bello furioſa Thrace.* ) In mediis belli periculis & ærumnis, fatigatæ gentes etiam maxime bellicosæ otium desiderant: vix tamen postea bello abstinent, præda alliciente.

*Furioſa Thrace.* ) An quod atris infuscati cingulis (qui fortasse color est) ad bellum procedunt Thraces? An quod terribili specie? Sic apud Plutarch. in vita Pauli Æmilii, *pugnantium Thracum aspectu Nasica maxime exhorruit. Erant nempe in acie primi, homines procera corporibus, albis ac lucentibus scutis, ocreis armati, tunicas induti nigras, graves enses & rectos a dextris humeris quassantes.*

6. *Medi pharetrâ decori.* ) Parthos indicat Medorum victores: de quibus lib. 1. Od. 12. & 19. arcubus armatos in Xerxis exercitu: testis Herodot. lib. 7. Sagittas ab inguine jaculari seu torquere solitos, annotavi ad Pers. Sat. 5. v. 4. ex Casaubono.

7. *Non gemmis neque purpurâ, &c.* ) Non emitur aut venditur ullo pretio liberalis illa animi pax & tranquillitas, imo generosa virtus, quam movere aut concutere nihil potest. Eam vero sibi parat quisquis affectus atque appetitus cogit rationi morem gerere & obtemperare.

9. *Non enim gazæ, &c.* ) Nec divitiæ nec dignitates conferunt immunitatem a curis & sollicitudinibus.

Digitized by Google

Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leves somnos timor, aut Cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? Quid terras alio calentes
Sole mutamus? Patriæ quis exul
Se quoque fugit?

## INTERPRETATIO.

*riter haud pellunt graves animi turbas ac sollicitudines circa palatia laquearibus ornata volitantes.* Ei *felix* est e *medico vita, cui majorum salinum rutilat in frugali mensa: neque tranquillum soporem metus adimit, vel turpis cupiditas. Exiguo tempore valentes cur plura intendimus? Cur petimus regiones diverso calefactas Sole? Ecquis extorris a patria, procul est etiam a seipso?*

## ANNOTATIONES.

*Consularis lictor.*) Minister publicus ante Consulem aliosque magistratus tum honoris causa tum summovendæ turbæ gratia præcedens, Imperiique insignia fasces & secures præferens.. Tit. Liv. lib. 3. c. 48. *I, lictor, summove turbam.*

10. *Miseros tumultus mentis.*) Animi perturbationes, metum, iram, cupiditatem, quibus miser homo efficitur, quando se illis huc illuc distrahi patitur, & discruciari. Tumultus, quasi timor multus.

11. *Curas laqueata circum tecta volantes.*) Palatia divitum curis obsidentur: & quo majores adsunt opes, eo plures & graviores comitantur atque urgent curæ, quasi cor urentes, dictæ. Corn. Tacit. *Invidia summa quæque appeti.* Juvenal. Sat. 14. v. 303.

*Tantis parta malis curâ majore, metuque*
*Servantur. Misera est magni custodia censûs.*

Tull. 2. de Legib. *magnificas villas, pavimenta marmorea, & laqueata tecta contemno.*

12. *Volantes.*) Φροντίδες πτερὰ ἔχουσαι. *alas habentes curæ.* Theognis.

13. *Vivitur parvo bene, cui, &c.*) Contra vero lætam ducit ille vitam, qui parvo contentus, modicam supellectilem & mensam satis habet, gaudetque sua conditione mediocri. Unde pacatum capit somnum, quem non interrumpit vel habendi cupiditas, vel timor perdendi.

*Paternum splendet in mensa tenui salinum.*) Egregie locum hunc illustrat Turneb. lib. 10. c. 22. Insulsus, inquit, videatur sensus, nisi intelligas salis olim quamdam in mensa religionem fuisse, onde ἱεροὺς ἅλας Græci dicunt: & appositus sal mensam consecrare videbatur. Arnob. lib. 2. *sacras facitis mensas salinorum appositu, & simulacris Deorum.* Sed tamen potissimùm tenuem & parcum pauperemque victum Horatius significat hominum pro obsonio salem lingentium, quod pauperes olim faciebant, ut apud Pers. Sat. 5.

*Varo regustatum digito terebrare salinum*
*Contentus perages?*

Hucusque Turnebus. Salinum vero præcipue memorat Horatius; tum quia primo loco solet apponi: tum præsertim quod veteres poculo & salino a majoribus accepto libenter utebantur. Et quibus nullum erat argenteum vas, salinum tamen ex argento habebat. Ex quibus intelliguntur hæ voces, *splendet*, &, *paternum*.

15. *Leves somnos.*) Dulces, molles, placidos & tranquillos, vel solvi faciles.

*Cupido sordidus.*) Amor pecuniæ sordidus, turpis avaritia. *Sæva cupido indomiti censûs.* Juvenal. Sat. 14. v. 175.

17. *Quid brevi fortes jaculamur ævo multa?*) Cum sciamus paucis nos annis esse victuros, cur tam multa & magna prosequimur & captamus? lib. 1. Od. 4.

*Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare*
*longam.*

Et Od. 11.

*Spatio brevi spem longam reseces.*

18. *Quid terras alio calentes Sole mutamus?*) Cur, patria relicta, pergimus in alia plane climata, remotasque valde regiones, alio veluti Sole calescentes? Virgil. Georgic. 2. v. 511.

*Exilioque domos & dulcia limina mutant;*
*Atque alio patriam quærunt sub Sole jacentem.*

Contra Juvenalis, Sat. 12. v. 105.

*nostro sub sidere.*

19. *Patriæ quis exul se quoque fugit?*) Translata sententia e Græco. τίς πατρίδος φυγὰς ὤν, ἑαυτὸν ἔφυγε; id est, quis paternum deserens solum, pravam simul indolem pravosque affectus relinquit? imo se quisque secum defert, id est animum suum seu probum seu improbum. Senec. de Tranquill. vit. *hoc se quisque modo semper fugit. Sed quid prodest, si non effugis? Sequitur seipsum, & urget gravissimus comes.* Sic mercator avarus, quolibet peregrinatus fuerit, avaritiam circumfert. Hor. l. 1. Ep. 11. v. 27.

*Cœlum non animum mutant qui trans mare*
*currunt.*

Epist. 14. v. 13.

*In culpa est animus, qui se non effugit unquam.*

Lucret. lib. 3. sub finem.

*Hoc se quisque modo fugit, at quod, scilicet ut fit,*

Ef-

Scandit æratas vitioſa naves
Cura; nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præſens animus, quod ultra eſt
Oderit curare; & amara lento
Temperet riſu. Nihil eſt ab omni
Parte beatum.
Abſtulit clarum cita mors Achillem:
Longa Tithonum minuit ſenectus:
Et mihi forſan tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum, Siculæque circum
Mugiunt vaccæ: tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa: te bis Afro
Murice tinctæ

INTERPRETATIO.

*Naves ære munitas ingreditur prava ſollicitudo, nec deſerit equitum cohortes, velocior cervis, & Euro nubes diſcutiente rapidior. Mens præſentibus contenta caveat inquirere quidquam ulterius; moleſta vero quadam lætitia moderetur. Non eſt aliquid omni ratione perfectum. Achillem glorioſum ſuſtulit mors repentina: Tithonum debilitavit ſenecta prolixior. Mihique forſitan indulgebit tempus id quod tibi non concesserit. Greges numeroſi & boves e Sicilia circa te mugitum edunt, hinniunt tibi equi trahendis curribus idonei. Te operiunt panni e lana ſemel atque iterum Africa-*

ANNOTATIONES.

*Effugere haud potis est, invitus adhæret & odit.* Varro & Petronius, *longe fugit, qui ſuos* (id eſt, ſe) *fugit*.

21. *Scandit æratas, &c.*) Seu navim ſeu equum conſcendas, ut effugias curam, hæc te facile conſequetur, utpote cervis pernicior & ventis. Horat. lib. 3. Od. 1.

*Sed timor & minæ*
*Scandunt eodem quo dominus: neque*
*Decedit ærata triremi, &*
*Poſt equitem ſedet atra cura.*

23. *Ocyor cervis.*) Cervorum pernicitas cuivis nota.

24. *Euro.*) Ab ortu flat iſte ventus. Ovid. Metamorph. 1. c. 2.

*Eurus ad Auroram Nabathæaque regna receſſit,*
*Perſidaque, & radiis juga ſubdita matutinis.*

25. *Lætus in præſens animus, &c.*) In diem vive: *dona præſentis cape lætus horæ.* lib. 3. Od. 8. utere præſenti fortuna. quod ultra præſens tempus eſt, ne cura, ne futuro te diſturba.

26. *Amara lento temperet riſu.*) Si quid ingruit adverſi & amari, id animo læto perfer. Nam *levius fit patientia quidquid corrigere eſt nefas*. Lib. 1. Od. 24.

*Lento riſu.*) Moderata lætitia. Alii legunt *læto*.

27. *Nihil eſt ab omni parte beatum.*) Cic. 1. de Invent. *nihil omni ex parte perfectum atque beatum.* οὐδεὶς πάντ᾽ ἐστὶ εὐδαίμων: *nemo per omnia omnino felix & beatus.*

29. *Abſtulit clarum cita mors Achillem.*) Quod non protulit, exemplis comprobat Poeta. Fuit illuſtris *Achilles*, at paucis annis inclaruit; & cita mors finem gloriæ ſubitum impoſuit. E contrario *Tithonus* diu vixit quidem, ſed incommoda ſenii perſenſit adeo, ut vitæ pertæſus fuerit, optaritque in cicadam mutari, quod & a Diis obtinuit. Vide lib. 1. Od. 28. De Achille vero eadem lib. 1 Od. 6. v. 6. Od. 8. ſub finem: Od. 15. ad finem lib. 2. Od. 4. v. 3. lib. 4. Od. 6. Epod. 13.

31. *Et mihi forſan tibi quod negarit porriget hora.*) Parvo mihi fortaſſe vitam dabit longiorem, tibi vero diviti negabit.

32. *Hora.*) Vel, tempus: ſic Perſ. Sat. 5. v. 154. *fugit hora*. Vel, horoſcopus. Idem Perſ. ib. v. 48.

*... una fidelibus hora*
*Dividit in geminos concordia fata duorum.*

33. *Te greges, &c.*) Tu te beatum exiſtimas gregibus & armentis abundans, & optima purpura veſtitus. At ego mihi videor æque ac tu fortunatus, tenuibus prædiis victitans & contentus, poetica gaudens facultate, & vulgi ſpernens rumores: Divites Homero πολύρρηνες & πολυβοῦται *agnis & bobus affluentes:* Heſiodo πολύμηλοι *ovibus abundantes* nuncupantur.

*Siculæque vaccæ.*) Opimis e Siciliæ paſcuis valde pingues.

34. *Tibi tollit hinnitum, &c.*) Equorum etiam greges tibi adſunt hinnitu generoſitatem exhibentium. Æn. 3. v. 672. *clamorem immenſum tollit.* Cic. ad Q. fratrem Epiſt. 1. lib. 2. *clamorem ſatis magnum ſuſtulerunt.*

35. *Apta quadrigis equa.*) Curulibus & Circenſibus ineundis certaminibus hoc aptior, quo ve-

Vestiunt lanæ: mihi parva rura, &
Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

INTERPRETATIO.

*no murice imbutâ. Mihi Parca verax largita est agellum, & aliquantulam Græca Musa facultatem, nec non contemnere improbum vulgus.*

ANNOTATIONES.

velocior. In illis bigæ, trigæ, quadrigæ: sive currus duobus, tribus, quatuor equis tracti. Vide lib. 1. Od. 1. Annot. ad hæc verba: *sunt quos curriculo, &c.* Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. &c.

*Te bis Afro murice tinctæ vestiunt lanæ.*) Pretiosæ nobilesque te operiunt & decorant vestes ex optima purpura, seu e panno sanguine muricis piscis semel atque iterum imbuto: sic enim purpureus color efficitur exquisitus; præsertim cum murex est e mari Africano, vel Tyrio. Testis Plinius lib. 9. cap. 36. *ubi murices & purpuræ*, inquit, *florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habent faucibus. Liquor is nimirum est in candida vena, unde pretiosus ille bibitur nigrisantis rosæ color sublucens .... Præcipuus hic in Meninge Africæ, & Gætulo litore Oceani, .... Huic fasces & secures Romanæ viam faciunt: idemque pro majestate pueritiæ est. Distinguit ab Equite Curiam: in triumphali miscetur auro, &c.*

*Bis tinctæ.*) Dibapham purpuram vocant. Plin. lib. 9. cap. 39. *huic successit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi .... dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio. Qualiter nunc omnes pene commodiores purpuræ tinguntur.* Cicero lib. 2. Ep. 16. *Curius noster dibaphum cogitat: sed eum infector moratur.*

38. *Spiritum Graiæ tenuem Camœnæ.*) Lyricæ poeseos ab Alcæo aliisque Poetis Græcis desumptæ facultatem, qua *sublimi feriam sidera vertice*, tribuit mihi.

*Camœnæ.*) Quasi canenæ a canendo dictæ, teste Macrob. in Somn. Scip. lib. 2. cap. 3. Vide lib. 4. Od. 6.

*Spiritum Phœbus, mihi Phœbus artem*
*Carminis nomenque dedit Poetæ.*

36. *Parca non mendax.*) Pers. Sat. 5. v. 48. *Parca tenax veri.* Immutabile fatum. Hujus intelligentia loci pendet e vetere ritu. Ultima scilicet hebdomadis die, qua quis in lucem editus erat, fata vocabantur quæ scriberentur: quod eo die viderentur Parcæ in totam statuere vitam, qua fortunâ futurus quis esset. Tertullianus: *dum per totam hebdomadam Junoni mensa proponitur: dum ultimâ die fata scribenda advocantur.* Hæc Turneb. lib. 10. c. 22. Credebant veteres nascenti cuilibet adnasci genium: deinde vero septimo, a quo natus erat, die, Parcas statuere, qua ille per totam vitam fortunâ usurus esset.

*Et malignum spernere vulgus.*) Populi malignitatem, invidiam, opinionem, favorem etiam & applausum. Quæ qui non spernit, is nunquam beate vixerit.

## *AD MŒCENATEM ÆGROTUM.*

## ODE XVII.

*Superstitem ei se non futurum.*

Cur me querelis exanimas tuis?
Nec Dîs amicum est nec mihi, te prius
Obire, Mœcenas, mearum

INTERPRETATIO.

*Quare mihi vitam aufers per querimonias tuas? Neque numinibus placet, neque mihi, ut prior moriaris, o Mæcenas, insigne ornamen-*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Cur me querelis, &c.*) Vix e pertinaci morbo convalescentem inviserat Mœcenatem Horatius, atque seu affectæ valetudinis tædio, seu integræ salutis desperatione, graviores in querelas erumpentem, ærumnosæ etiam isti vitæ mortem exoptantem audierat. Quo ipse dolore perculsus Odem hanc ei scripsit.

*Exanimas.*) Mœrore conficis ac perimis. Cic. pro Milone. *Me quidem exanimant & interimunt hæ voces Milonis.* Æneid. 4. v. 360.

*Desine meque tuis incendere teque querelis.*

2. *Dîs amicum.*) Dictio Græca, θεοῖς φίλον. Epod. 1. ad eundem Mœcenatem:

*Quid nos, quibus te vita sit superstite*
*Jucunda: si contra, gravis?*

Digitized by Google

Grande decus columenque rerum.
Ah! te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid moror altera,
Nec charus æque, nec superstes
Integer? Ille dies utramque
Ducet ruinam. Non ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcumque præcedes, supremum
Carpere iter comites parati.
Me nec Chimæræ spiritus igneæ,
Nec si resurgat centimanus Gyas
Divellet unquam: sic potenti
Justitiæ, placitumque Parcis.
Seu Libra, seu me Scorpius aspicit

## INTERPRETATIO.

*tum ac tutela rerum mearum. At si promptior mors aufert te, dimidium vitæ meæ, quarsum ego restabo*, dimidium *alterum, haud pariter dilectus, neque remanens totus: Dies iste feret ambobus exitium. Haud falsum juravi. Pergemus* una; *quomodo anteibis, pergemus ultimam inire viam expediti socii. Neque me separabit unquam a te Chimæra flammas spirans, neque redivivus Gyas centum manus habens. Ita decretum Themidi prævaleat & fatis. Sive Libra, sive Scorpius*

## ANNOTATIONES.

4. *Grande decus columenque.*) Vide Od. 1. lib. 1. *partem animæ.* lib. 1. Od. 3. *animæ dimidium meæ.* Pythagoras ajebat amicum esse animam unam duobus in corporibus.

6 *Maturior vis.*) Celerior quam ferat naturæ lex.

7. *Nec charus æque.*) Vel Populo Romano non perinde charus, ut Mæcenas: vel ipse sibi molestus sublato amico.

*Nec superstes integer.*) S. Aug. Conf. lib. 4. cap. 6. *Sensi ego*, inquit, *animam meam & animam illius* (amici) *unam fuisse .... ideoque eo morte sublato mihi horrori vita erat; quia nolebam dimidius vivere, &c.* S. Gregorius Naz. suam cum D. Basilio animi conjunctionem & amicitiam *συνψυχίας* vocat, *eamdem animam.*

8. *Ille dies utramque ducet ruinam.*) Qui te dies e vivis auferet, is & me videbit morientem. Hoc fere ita contigit: nam obiit Mæcenas ann. U. C. 746. Horatius vero anno præcedenti, qui Imperii Augusti 34. erat. Dio, Euseb. Chron.

9. *Non ego perfidum dixi sacramentum.*) Non temere, aut fallaciter, sed ex animo & sincere spondeo fore me tibi vitæ mortisque comitem, atque devoveo. Itaque Horatius ostendit esse se ex eorum numero, qui Principibus devoti appellabantur. Cæsar de bell. Gall. lib. 3. sub finem *alia ex parte oppidi Adcantuannus, qui summam imperii tenebat, eruptionem facere conatus est cum sexcentis devotis; quos illi Soldurios appellant: quorum hæc est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his fruantur, quorum se amicitiæ dediderint, si quid eis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoriâ repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret.* Dio lib. 53. morem istum fluxisse ab Hispanis ait, fuveteque Sallustius; *Hispani se regibus devovent, & post eos vitam refutant.* Et Val. Max. lib. 2. cap. 6. *Celtiberi nefas esse ducebant prælio superesse, cum is occidisset, pro cujus salute spiritum devoverant.*

11. *Supremum carpere iter.*) Discessum e vita hac ad inferas regiones mortisque imperium.

13. *Me nec chimæra, &c.*) Non divellar ergo a te ulla re quantumvis terribili. De Chimæra lib. 1. Od. 27. *πῦρ πνέουσα, ignem spirans* dicitur Pindaro.

14. *Nec si resurgat, &c.*) Epod. 1.

*Et te vel per Alpium juga,*
*Inhospitalem & Caucasum,*
*Vel occidentis usque ad ultimum sinum,*
*Forti sequemur pectore.*

*Centimanus Gyas.*) is unus e natis cælo terraque, de quibus Apollodorus. Legunt alii, *Gyges*: alii *Gigas*. In scirpo est nodum quærere. De nomine controversia est. Designatur certe Gigantum aliquis, qualis Briareus, de quo Virg. Æneid. 10. v. 566.

*Centum cui brachia dicunt,*
*Centenasque manus; quinquaginta oribus ignem*
*Pectoribusque arsisse.*

15. *Sic potenti Justitiæ placitumque Parcis.*) Has cum illa jungit, quasi justæ Deorum ac fatorum legis ac decreti vindices & administras.

17. *Seu Libra, seu me, &c.*) Quodcunque nascenti mihi sidus affulsit, ac dominatum vitæ meæ obtinuit: eumdem affirmaverim tuis natalibus horoscopum fuisse. Adeo id comprobant eventa nobis paria. Enimvero tu emergis vix e periculosa ægritudine, ego prope casu sum arboris oppressus. Scilicet ex ea parte Zodiaci, quæ nostræ genituræ tempore in hemisphærium nostrum assurgit, natalitias suas prædictiones colligunt Astrologi; quorum tamen vanitatem suggillat Juvenalis Sat. 6 v 552. & seq.

*Libra.*) Septimum hoc est e duodecim Zodiaci

Digitized by Google

Formidolosus, pars violentior
Natalis horæ, seu tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ:
Utrumque nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Jovis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque fati
Tardavit alas, cum populus frequens
Lætum theatris ter crepuit sonum:

## INTERPRETATIO.

*timendus mihi dominatur, pars temporis natalitii periculosior: sive Capricornus occidentalis Oceani potens: vix credibili ratione convenit sidus nostri amborum. Te a crudeli Saturno defendit Jovis fulgor propitius; atque fati præcipitis volatum remoratus est, quando plebs numerosa alacrem ter sustulit acclamationem in theatro.*

## ANNOTATIONES.

ci signis, quod Sol ingressus circa diem 20. Septembris, æquinoctium Autumnale facit. Vide Macr. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 18. Virgil. Georgic. 1. v. 208. Manil. lib. 2.

*Quoique dabunt chelæ* (Libra) *& quos dat Aquarius ortus,*
*Unum pectus habent, fideique immobile vinclum.* Et lib. 5.
*Felix æquato genitus sub pondere Libræ.*

Pers. Sat. 5.

*Nostra vel æquali suspendit tempora Libra*
*Parca tenax veri.*

*Scorpius.*) Octavum est hoc Zodiaci Signum, tunc oriens cum Orion occidit. Hinc fabula, interemptum Scorpionis aculeo Orionem; qui juvenili robore ferox nullam esse feram jactarat, quam conficere non posset. Ejus vero superbiam ultus Jupiter mortales docere voluit, non plus æquo viribus suis fidere. Hygin. lib. 2. de Sign. cœlest.

18. *Formidolosus, pars violentior natalis horæ.*) Nempe sidus hoc ad Martem pertinet, qui & inclemens, maleficus, horribilis. Unde referri hoc potest Horatii in Philippensi clade periculosa fuga, de qua supra, Od. 7. Vide Cic. 2. de Nat. Deor. n. 113. Virg. Georg. 1. v. 38. Manil. lib. 4.

*Scorpius armatâ violentâ cuspide caudâ,*
*In bellum ardentes animos, & Martia castra*
*Efficit, &c.*

Hinc & Arat.

*Scorpius infestus præportans flebile acumen.*

Quidam codices habent: *lethalis hora*. Sed apage. Ajunt porro sub hoc natis astro & horoscopo vitam esse breviorem.

19. *Seu tyrannus Hesperiæ Capricornus undæ.*) Sive prodii in lucem sub Capricorni sidere, quod cum Saturnus obtinet, graves excitat pluvias atque tempestates in mari præsertim occiduo; teste Servio in Georgic. 1. cit. Et Manil. lib. 4.

*Tu, Capricorne, regis quicquid sub Sole cadente, &c.*

Propert. lib. 4. Eleg. 1.

*Lotus & Hesperiâ quid Capricornus aquâ?*

Decimum hoc signum Zodiaci, solstitium Decembri mense facit hybernum: unde Cic. 2. de Nat. Deor.

*Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans*
*Corpore semifero, magno Capricornus in orbe:*
*Quem cum perpetuo vestivit lumine Titan,*
*Brumali flectens contorquet tempore currum.*

21. *Utrumque nostrum incredibili modo consentit astrum.*) Sensus est, etsi non est idem mihi, qui tibi horoscopus; at certe magna & incredibilis inter meum natalitium sidus ac tuum consensio est, convenientia, similitudo; quapropter ut mutuus dudum coaluit inter nos amor, ut etiam mortis pariter effugimus periculum; ista quidam efficiente cœlestium vi: sic licet spondere, alterum ab altero nec in morte sejungendos aut divellendos. Persius Horatii perpetuus imitator, hoc loco videatur superasse Sat. 5. v. 45.

*Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo*
*Consentire dies, & ab uno sidere duci.*

22. *Te Jovis impio tutela, &c.*) Benignus Jovis aspectus Saturni (ut fit) malignitatem corrupit infregitque, contra fulgendo, in hora natali. Pers. cit. mox, v. 50.

*Saturnumque gravem nostro Jove frangimus unà*

*Impio Saturno.*) Fabulantur nimirum Saturnum proprios devorasse filios: hinc & ajunt sub ejus sidere genitos sævos & impios effici. Propertius & Pers. cit. Saturnum *gravem*, Juvenalis *tristem* appellat.

24. *Eripuit.*) E gravi morbo incolumem præstitit, ac veluti rapuit violentiæ Saturni falcem jam tibi suam intentantis ad vitam intercidendam.

*Volucrisque fati tardavit alas.*) Advolantem propere, ut solet, mortem retardavit.

25. *Cum populus frequens, &c.*) Istam Jovis tutelam animadvertit, ac celebravit; teque sibi redditum Populus Romanus gratulatus est, Jovique gratias retulit, sublato io lætitiæ signum triplici acclamatione & plausu, quando te post morbi periculum, melius habentem in theatrum advantare conspexit. Vide lib. 1. Od. 20.

Digitized by Google

Me truncus illapsus cerebro
Sustulerat, nisi Faunus ictum
Dextrâ levasset, Mercurialium
Custos virorum. Reddere victimas,
Ædemque votivam memento:
Nos humilem feriemus agnam.

## INTERPRETATIO.

*Me decidens in caput arbor oppressisset, nisi manu casum avertisset Faunus, tutor clientium Mercurii. Cura ut offeras victimas, & promissum templum. Ego parvulam agnam immolabo.*

## ANNOTATIONES.

27. *Me truncus illapsus cerebro, &c.* ) Ut te Jupiter, sic me Faunus imminenti exitio subtraxit; cum *triste lignum* declinavi *caducum in domini caput immerentis*; ut est Od. 13. hujus libri. Vide ibidem.

28. *Nisi Faunus ictum dextrâ levasset.* ) Perieram, nisi subvenisset Faunus Mercurii amicus, & secundum aliquos, ibidem Deus: certe literatorum uterque patronus. De Mercurio dictum jam non semel, maxime vero supra Od. 7. Porro quod suri beneficium, servatam nempe salutem accepit, bene refert ad ruris sylvarumque Deum. Porro dicitur Faunus doctorum virorum *custos* ac tutor, vel ob hoc quod studiosi secessum & quietem ac liberale otium ruri conquirunt & captant, quæ quidem in urbibus ac inter populares strepitus obtinere vix possunt.

29. *Mercurialium.* ) Viros eruditos Mercuriales nuncupat: eo quod illi clientes habeantur Mercurii. Hic enimvero disciplinarum & artium repertor asseritur a Diodoro Siculo lib. 2. cap. 1. & lib. 1. cap. 1. inventor literarum, vocum, palæstræ, numerorum, lyræ, Medicinæ, Astronomiæ, denique interpretationis verborum, unde cognominatus Hermes. Idem affirmat Plinius lib. 7. cap. 56. ex Gellio. Mercurio sacras esse linguas ob eloquentiam, refert Athenæus lib. 1. cap. 14. & lib. 13. c. 1. Statuis Mercurii tanquam orationis & facundiæ præsidis ornata fuisse Gymnasia. Quod & testatur Tullius ad Attic. ut observat Casaubonus in citatum mox Athenæi locum.

30. *Reddere victimas, &c.* ) Votivas offer victimas Jovi Servatori: ædem quoque seu templum, quod æger vovisti, si convalesceres, jam voti reus, Saluti ædifica & persolve.

32. *Nos humilem feriemus agnam.* ) Jovi tauros, aliæque id genus majores hostiæ cædebantur: minores autem ceteris Diis. Hinc Horatius, non pro sua præ Mæcenatis opulentiâ tenuitate; ut garriunt aliqui; sed more majorum, & ex solemni instituto scribit, & spondet Fauno *humilem ferire agnam*. Sic lib. 1. Od. 4.

*Nunc & in umbrosis Fauno decet immolare lucis:*
*Seu poscat agnam, sive malit hædum.*

Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ,
At fides, & ingenî
Benigna vena est: pauperemque dives
Me petit. Nihil supra
Deos lacesso, nec potentem amicum
Largiora flagito,
Satis beatus unicis Sabinis,
Truditur dies die,

## INTERPRETATIO.

*Nec clientæ haud viles nent mihi purpuram Laconicam. Verum fidelitas adest & copiosus ingenii fons. Et exiguum me opulentus requirit. Nihil præterea a Numinibus efflagito: neque ab amico divite majora posco, contentus admodum agro tantum Sabino. Urgetur dies die:*

## ANNOTATIONES.

*lice Ephesiâ citharistæ cujusdam filiâ genitus, qui post mortem Attali velut paternum regnum Asiam invasit, &c.* Vide & Luc. Florum Histor. Rom. lib. 2. cap. 20. ubi *Aristonicus*, inquit, *regii sanguinis ferox juvenis urbes regibus parere consuetas partim sollicitat; paucas resistentes vi recepit; Crassi quoque Prætoris cecidit exercitum . . . . . mox a Perpenna domitus & captus . . . . Aquilius Asiatici belli reliquias confecit: mixtis (nefas) veneno fontibus ad deditionem quarumdam urbium, &c.*

7. *Nec Laconicas mihi trahunt honestæ purpuras clientæ.*) Nec habeo clientes, quos soli divites ac potentes habent: nec adeo clientium uxores nent mihi lanas, e quibus pannus confectus, ac imbutus humore piscis murice ad Tænarum Laconiæ promontorium capti suppeditet mihi vestes purpureas easque valde exquisitas, quæ ad solos nobiles, Patricios ac Magistratus pertinent. Cic. Verr. 4. n. 59. *ipse dabat purpuram tantum, amici operas.* Laconia Peloponnesi regio purpuræ excellentiâ nobilis. Plin. lib. 21. cap. 8. *unguento naturam vicisse gaudens luxuria, vestibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur. Hos animadverto tres esse principales: unum in cocco, qui in rosis micat. Gratius nihil aspectu. Trahitur in purpuras Tyrias, dibaphasque & Laconicas, &c.* & lib. 35. cap. 6. *E liquidis, coloribus quos a dominis dari diximus propter magnitudinem pretii, ante omnes est purpurissum . . . . . laudatur Laconicum, unde pretiosissima purpura.* Vide supra Od. 16. sub finem Annot. ad has voces. *Te bis Afro murice tinctæ vestiunt lanæ.*

9. *At fides, & ingenî benigna vena est.*) Quod si desint opes, at opibus quidpiam melius ac præstantius habere contigit, nimirum fidei virtutem, nec non ingenii lumen & facultatem.

*Benigna vena.*) Metaphora a terræ venis, e quibus fontes promanant uberes: designat optime discendi scribendique facilitatem, qua qui destitutus fuerit, is invita Minerva, invitis Apolline ac Musis literarum studium capessit, hoc est oleum & operam perdit. Epist. ad Pisones, v. 385.

*Tu nihil invita dices faciesve Minerva:*

Et v. 408.

*Naturâ fieret laudabile carmen, an arte,*
*Quæsitum est. Ego nec studium sine divite vena,*
*Nec rude quid prosit video ingenium.*

10. *Pauperemque dives me petit.*) Me diligit, ac familiaritatem meam petit Mæcenas tum ob fidem, cum propter ingenium ad artes liberales idoneum. Epist. ad Pisones v. 405. *Gratia regum Pieriis tentata modis.* Quoties vero Doctores & Sapientes a principibus viris sunt honorati & accersiti?

11. *Nihil supra Deos lacesso.*) Ut largientur quidquam præter ista, non importunis Deos precibus fatigo, non urgeo, non efflagito. Sed nec Mæcenatem *amicum*, plura, si rogitem, dare paratum ac *potentem*, nequaquam ego lacesso, nec ampliora flagito, quam quæ jam donavit, videlicet agrum in *Sabinis*, quo victito beatus & contentus. Sic cupiditatem aversatur omnem ac libidinem, ut vocat Tullius. Hanc feroci tyranno similem ajebat Plato in Phædro. Diogenes autem Cynicus *arcem omnium malorum* vocitabat.

13. *Flagito.*) Quid valeat ista vox, docet Cic. lib. 9. Epist. 8. ad Varronem: ubi sic scribit: *metuo ne te forte flagitent: ego autem mandavi ut rogarent.*

14. *Satis beatus unicis Sabinis.*) Prædio in Sabinis, quo donatus sum a Mæcenate, satis me locupletem existimo, nec ab eo quidquam ultra peto, vel cupio. Vide lib. 3. Od. 13. v. 1. ibique Annot. Item Epist. 16. initium, ubi suam ipse villam describit Poeta.

15. *Truditur dies die.*) Epod. 17.

*Urget diem nox, & dies noctem.*

Senec. Epist. 24. *Nullius rei finis est. Sed in orbem nexa sunt universa. Fugiunt ac sequuntur. Diem nox premit; dies noctem. Æstas in Autumnum desinit. Autumno Hyems instat, quæ Vere compescitur. Omnia transeunt, ut revertantur.* Sic fere ad rem nostram Ecclesiastes cap. 1. *Oritur Sol & occidit, & ad locum suum revertitur: ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem.* Vide Pers. Sat. 5. v. 66. & seq.

Digitized by Google

Herum. Quid ultra tendis? Æqua tellus
Pauperi recluditur,
Regumque pueris: nec satelles Orci
Callidum Promethea
Revexit auro captus. Hic superbum
Tantalum, atque Tantali
Genus coercet: hic levare functum
Pauperem laboribus,
Vocatus atque non vocatus audit.

### INTERPRETATIO.

*absorbentium. Quid amplius quæris? Terra pariter inopi sinum aperit, atque Principum filiis. Neque inferorum custos auro corruptus astutum Prometheum reportavit. Ille Tantalum Tantalique posteros tenet. Ille ipse egenum ærumnas perpessum sive rogatur, sive non rogatur, auscultat levatque.*

### ANNOTATIONES.

pud Inferos sedem opulentus quisque occuparet; libens ego tibi sane condonarem, quod quà jure, quà injuriâ divitias accumules. Verum non ita se res habet: nec enim *divitem manet herum ulla certior aula aut finis*, quam quæ *Orce destinata* est. Non sors ibi aut conditio melior opulento cuilibet, quam inopi. *Quid* ergo *ultra tendis*, quam sancitum decretumque tibi est fatorum ac Numinum lege immutabili? Horat. lib. 2. Epist. 2.

*Quid vici prosunt, aut horrea, quidve Calabris*
*Saltibus adjecti Lucani, si metit Orcus*
*Grandia cum parvis non exorabilis auro?*

32. *Æqua tellus pauperi recluditur, &c.*) Lib. 1. Od. 4.

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas*
*Regumque turres.*

32. *Nec satelles Orci, &c.*) Nec mors muneribus ac donis corrumpitur, ut suam dimittat prædam: omnes mortales rapit. Æschyl. μόνος θεῶν θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ, *Inter Deos sola mors non capitur muneribus.* Theognis: οὔτις ἄποινα δοὺς θάνατον φύγοι. *nemo pretium offerens sese a morte redimit.* Vide supra Od. 3. & 14.

*Satelles Orci, &c.*) Charon, de quo supra, Od. 3. ad v. ult. & alibi.

35. *Callidum Promethea.*) De eo lib. 1. Od. 3. v. 27. & Od. 16. v. 13. Sensus est: nec Charon oblato captus auro transvectum in alteram Cocyti ripam Prometheum revexit ad vivos rediturum: Et Prometheus quantumvis sagax, qui hominem sapienter e luto finxerat, qui cælestem ignem ferula ad Solis currum extensa callide suffuratus in terras detulerat, is tamen nec astu, nec pretio Satellitem Orci vicit, ut mortem evadere posset. Lib. 2. Epist. 2. mox cit.

*metit Orcus*
*Grandia cum parvis non exorabilis auro.*

36. *Hic superbum Tantalum, &c.*) Hic ipse Charon neque superbos veretur, imo domat, & in Inferis coercet. De Tantalo, supra Od. 12. ad finem.

37. *Tantali genus.*) Pelopem, Atreum, Agamemnonem, Orestem.

38. *Hic levare functum pauperem, &c.*) Idem ille pauperi præsto est; atque laboriosa & ærumnosa defunctum vita ultra sublevat, cymba excipit & transfert in sedes quietas. Cic. Catilin. 4. c. 7. scribit; *mortem a Diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum quietem esse.*

40. *Vocatus atque non vocatus.*) Alludit ad oraculum Lacedæmoniis redditum: καλούμενος καὶ ἄκλητος θεὸς παρέσται. *vocatus & non vocatus Deus aderit.*

ODE

# ODE XIX.

*Bacchi laudes eo canit aptius, quod ejus numine est plenus.*

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem, ( credite posteri )
Nymphasque discentes : & aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoe, recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur. Evoe, parce, Liber,
Parce gravi metuende thyrso.

## INTERPRETATIO.

*Bacchum versus dictantem in secretis asperi rupibus, & Nymphas auscultantes, aprestasque aures Satyrorum caprinos pedes habentium. Fidem habete, nepotes. Euhoe, timore nuper incusso agitatur animus, & ob repletum Baccho pectus, non sine gaudio conturbatur. Euhoe; indulge, Bacche, indulge verendo thyrso formidande.*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Bacchum in remotis, &c.* ) Festum Poetis Bacchi diem, epulumque tunc Poeticum fuisse, sacrumque celebre, & hymnum solemnem decantari solitum, constat: auctoresque sunt Ovid. Trist. lib. 5. Eleg. 3. & Propert. lib. 4. Eleg. 6. sive quod Liber & Apollo Deus idem est, ut pluribus asserit Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 18. ac evincunt Æschyli Euripidisque testimonia ibidem allata. Æschyl. Α'πόλλων, ὁ Βάκχιος ὁ Μάντις. Euripid. Φιλόδαφνε, Βάκχε, Παιάν, Α'πόλλων Εὔλυρε. Sive quod Bacchus, id est, vinum scribendis versibus ingenium exacuat. Unde

*Nulla placere diu nec vivere carmina possunt,*
*Quæ scribuntur aquæ potoribus, &c.*

Ut noster egregie docet lib. 1. Epist. 19. Istius igitur generis hymnus est Ode hæc elegantissima, & quæ sane probet *benignam ingenii venam*, qua gloriabatur Poeta, Ode superiori. Talis etiam Od. 25. lib. 3. Et Propert. Eleg. 16. lib. 3.

*In remotis carmina rupibus.* ) Longe a strepitu tumultuque populari, urbano, forensi. Nam

*Carmina secessum scribentis & otia quærunt.*

2. *Vidi docentem.* ) Sic & apud Virgil. Ecl. 6. Silenus in antro a pueris Nymphisque deprehensus petita dudum carmina tandem pangit.

*Satis est potuisse videri.*
*Carmina quæ vultis cognoscite, &c.*

3. *Nymphasque discentes.* ) Musas intellige. Sic Eclog. 7. v. 21.

*Nymphæ, noster amor, Libethrides, aut mihi carmen*
*Quale meo Codro concedite.*

4. *Aures capripedum Satyrorum acutas.* ) Vel in acumen factas & formatas: tales enim habere dicuntur Satyri, vel ad audiendum erectas, paratas, avidas. Lucian. οἱ δὲ σάτυροι ὀξεῖς τὰ ὦτα, ὁ αὐτοὶ φαλακροί. Et alibi: ὦτα μεγάλα, ὄρθια dicit habuisse unum e Bacchici exercitus ducibus, *magnas aures rectas*. Dialog. cui tit. *Bacchus*. Ovid. Trist. 5. Eleg. 3.

*Fer, bone Liber opem, &c.*
*Sic tibi cum Bacchis Satyrorum gnava juventus*
*Adsit, & attonito non taceare sono.*

Vide lib. 2. Od. 1. De Satyris plura, ad v. 31.

5. *Evoe.* ) Vel, Euhoe: ut doctiores aliqui volunt: qua voce Bacchantes in sacris divino se furore concitabant, ut ajunt. Juvenal. Sat. 7. v. 62.

*Satur est, cum dicit Horatius; euhoe.*

Vide lib. 1. Od. 18: ibique Annot.

*Recenti mens trepidat metu, &c.* ) Enthusiasmum sibi affingit Poeta, quem semper comitatur sacer quidam ac religiosus horror, ob Numinis præsentis agentisque reverentiam vehementemque vim, qua turbatur nonnihil simulque lætatur mens divinitus afflata, extra se posita & alienata, superiorisque potentiæ arbitrio mota.

6. *Plenoque Bacchi pectore turbidum lætatur.* ) Numine insidente correptus de divino gaudet consortio, non tamen sine perturbatione.

7. *Parce, Liber, parce.* ) Indignum tali se dignatione professus veniam rogat, ne in ultionem visi numinis id sibi contingat mali, quod Actæoni, Pentheo, Lycurgo aliisque acciderat. Deprecatur & vehementiorem Dei agitationem, qua de sua sede mens omnino dejiciatur.

8. *Gravi metuende thyrso.* ) Quo tot adversarios perculisti ac perdidisti.

*Thyrsus.* ) Hasta erat hederis & pampinis intecta, quibus obvoluta etiam cuspis inopinatos ictus certumque exitium inferebat.

Digitized by Google

Fas pervicaces est mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis & uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.
Fas & beatæ conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non levi ruinâ,
Thracis & exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare barbarum;

## INTERPRETATIO.

*Licet mihi canere Bacchantes proterves, & vinum defluens, & lac copiose manans: & mel exeuntis arboribus stillans celebrare; nec non felicis uxoris ornamentum astris insertum: Pentheique domum gravi deturbatam casu, & Lycurgi Thracii mortem. Tu domas fluvios, & mare longinquum.*

## ANNOTATIONES.

9. *Fas pervicaces, &c.*) Divino itaque spiritu correptus Poeta, vimque Numinis sentiens, recte ait: fas sibi esse Dei laudes exequi.

*Pervicaces.*) Concepto furore petulantes & protervas. Pervicacia interdum est bonarum rerum perseverantia, pertinacia semper malarum, inquit Non. Marcell. Acciique ad Myrmidones verba hæc affert; *tu pertinaciam, Antiloche, esse hanc prædicas: ego pervicaciam aio ...... Tu addis quod vitio est: demis quod laudi datur.*

*Thyadas.*) A θύω *sacrifico, feror impetu quodam furibundo.* Thyades appellatæ sunt Bacchi sacrificulæ seu Bacchantes.

10. *Vinique fontem, lactis & uberes, &c.*) Licet mihi efferre & cantare patrata Baccho prodigia & miracula. Perperam, ut videtur, afferunt hic aliqui morem veterem Baccho seu Dionysio in speluæis sacrificandi vino lacte & melle. Sane respexit ea scribens Horatius Euripidis locum, in Bacchis, Act. 3. in quo *Baccharum una thyrso dicitur petram verberasse, & mox inde prosiluisse aquæ fons: aliâ ferulam projiciente in terram, rivum Deus emisisse: quæ vero candidi potûs cupidæ fuerunt, summis digitis terram scalpentes, lactis flumina statim elicuisse: e thyrsis autem hederaceis flava mellis guttis dulcibus stillasse.*

13. *Fas & beatæ conjugis additum stellis honorem.*) Dicam & Ariadnes coronam nuptialem inter sidera relatam. Hujus meminit Virgil. Georgic. 1. v. 222. Ovid. Trist. 4. Eleg. 3.

*Sic micet æternum vicinaque sidera vincat*
*Conjugis in cælo clara corona tuæ.*

Quomodo vero desertam a Theseo Ariadnen sibi in uxorem adoptarit Liber, coronamque in cælum transtulerit, canit idem Ovid. lib. 8. Metam. cap. 2.

*Desertæ & multa querenti*
*Amplexus & opem Liber tulit; utque perenni*
*Sidere clara foret, sumptam de fronte coronam*
*Immisit cælo. Tenues volat illa per auras,*
*Dumque volat, gemmæ nitidos vertuntur in ignes;*
*Consistuntque loco: specie remanente coronæ:*
*Qui medius nixique genu est, anguemque tenentis.*

14. *Tectaque Penthei disjecta.*) Et hic alludit ad Euripid. cit. loc. ubi Penthei palatium brevi subvertendum minatur Bacchus; διατινάξοντος Βακχίου δῶμα Πενθέως. Pentheus rex Thebarum Bacchantes noctu discurrentes, quod nefas spectantes, iram in se numinis concitavit: unde & ab ipsa matre sua Agave sociisque Bacchantibus discerptus misere periit. Ita Pausan. in Corinth. Euripid. cit. &c. Hyginus autem a Libero patre insania & furore perculsum violentas ipsum sibi manus intulisse, refert. Vide Ovid. Metam. lib. 3. c. 7. & seq. Pers. Sat. 1. v. 100. Diodor. Sicul. lib. 4.

15. *Non levi ruina.*) Legunt alii *non lêni ruinâ*, id est, sæva. Alii, *non levi*, seu *lævi*, id est, asperâ.

16. *Thracis & exitium Lycurgi.*) Referam quoque vindicatum Bacchi numen, prostratis quotquot huic adversati refragative auri sunt; quales Pentheus, de quo mox; & Lycurgus, qui spreto illo pœnas luit, seu a Jove privatus oculis vitâque ipsâ, ut scribit Homerus; seu ab ipso interfectus Baccho, ut volunt alii. Is Thracum Rex multa per temulentiam prave committi videns, abscidi vineta jussit omnia, vinumque aboleri: hinc porro fabulati sunt, ultore Baccho, versum in furorem crura sibi amputasse, falce vinitoria. Hygin. & Plutarchus. Aliter paulo, quod nimirum in carcerem Bacchas & Satyros conjecisset, Lycurgo exitium accidisse, narrant Apollodorus lib. 3. & Euripides antea citatus. Ovid. Trist. 5. Eleg. 3.

*Ossa bipenniferi sic sint male pressa Lycurgi:*
*Impia nec pœnâ Pentheos umbra vacet.*

Propert. cit. lib. 3. Eleg. 16.

*Vesanumque novâ nequicquam in vite Lycurgum:*
*Pentheos in triplices funera grata greges.*

17. *Tu flectis amnes.*) Gangen & Indum fluvios intelligunt quidam: alii Hydaspen & Orontem, quos Bacchus transiit in Indiam pergens. Alii Strymonem Thraciæ fluvium, cujus ac-

Tu separatis uvidus in jugis
Nodo coerces viperino
Bistonidum sine fraude crines.
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,
Rhœcum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique malâ:
Quanquam choreis aptior & jocis
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnæ ferebaris: sed idem
Pacis eras mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo

## INTERPRETATIO.

*Tu secretis in montibus Thraciarum* mulierum *capillos nodo serpentino citra periculum constringis vino madens. Cum vero scelerata Gigantum turma per sublime appeteret Imperium* Jovis *patris tui, Tu Rhœcum dejecisti leoninis unguibus ac terribili maxilla: quamvis saltationibus, cavillationibus, lusibusque habebaris magis idoneus, nec ita ad certamina habilis: veruntamen paci atque bello communis eras. Innoxius te Cerberus aspexit aureo*

## ANNOTATIONES.

accolæ Edoni cum suo Rege Lycurgo primum reluctati, postea vero domiti Baccho, ejus se legibus ac disciplinæ subdiderunt. Favet Ovid. mox cit.

*Nec patria est habitata tibi: sed ad usque nivosum*
*Strymona venisti, Marticolamque Geton,*
*Persidaque, & lato spatiantem flumine Gangem,*
*Et quascunque bibit decolor Indus aquas.*

*Tu mare barbarum.*) Indicum mare, populosque Indos sub jugum tuum misisti. Ex Diodor. Sicul. lib. 5. c. 8. Triumphator Bacchus est appellatus, quoniam ille primus de Indis cum spoliis opimis in patriam reversus triumphavit.

18. *Tu separatis uvidus in jugis, &c.*) Per te fit, ut Bacchantes viperis ac serpentibus implicitos habeant crines, sine ullo damno suo. Scribit Plutarchus in Alexandro, mulieres istâs Orgia Baccho celebrantes impune serpentes tractasse: volunt alii alludi ad fabulam, qua Bacchus infans anguibus a Parcis cinctus fertur, qui nihil intulerint mali, sed ora pueri lamberent.

20. *Bistonidum.*) A Bistone stagno vel lacu dicti Bistonii & Bistones Thraciæ populi: & Bistonides mulieres ibidem sacra Baccho facientes. Est & Bistonia urbs prope mare, hodie *Bouron* dicta.

21. *Tu, cum parentis, &c.*) Quin & præclara a te in bello gesta celebrabo. Tu enim, Bacche, opem Jovi patri tuo egregiam operamque navasti, quando impie tentarant Gigantes cælum scandere, montes montibus imponendo. Tum siquidem assumptâ leonis specie, unguibus & dentibus decertando, Rhœcum aliosque vicisti, dejecisti, profligasti. Leonis pelle indutum pugnasse Bacchum ajunt alii, leoninâque audaciâ: quod quidem minus fabulosum. Diodor. vero pardorum pellibus usum refert.

25. *Quanquam choreis aptior.*) Duo extitere Dionysii, inquit Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 1. Prior senex promissa barba, ex veteri more. Alter juvenis, speciosior, & deliciosus. Is Satyrorum saltatione, risu, & joco delectabatur. Omnes etiam qui in exercitu musicis exercentur, immunes fecit. Hæc Diodor. Ex quibus mollities Bacchi notatur, qui etiam in Indiam duxerit exercitum mulierum & delicatorum hominum tripudiis & cantionibus operam dantium. Lucian. in Dial. cui titulus, *Dionysus*. Diod. cit. &c.

*Aptior & jocis, ludoque dictus.*) Huc pertinet, quod vulgo circumfertur adagium: *sine Cerere & Baccho friget Venus.*

27. *Idem pacis eras mediusque belli.*) Ad utrumque pariter, seu ad pacem sanciendam, seu ad bellum movendum paratus & accommodatus. Diodor. citat. loco: *quidam duplicem ei formam attributam volunt, quoniam ebrietas & iracundos efficiat & hilares.* Medium belli pacisque, communem interpretatus sum, ex eo loco Ovid. Metam. 13. cap. 8. in fine.

*Littera communis mediis pueroque viroque*
*Inscripta est foliis.*

29. *Te vidit insons Cerberus.*) Cum ad Inferos denique descendisti, Semelem matrem, vel, ut alii narrant, Ariadnem conjugem inde reducturus, nedum tibi nocuerit Cerberus, imo tuum numen reveritus est, cauda leniter mota blandiens, tibias etiam & pedes lambens. De Cerbero plura ad Od. 13. hujus libri sub finem.

*Aureo cornu decorum.*) Cornua tribuuntur Baccho, quod immoderate bibentes quemlibet obvium ferire soleant. Unde & tauro similem faciunt, quod, perinde ut ille, bibaces sint iracundi & petulci: teste Athenæo lib. 2. Non ita videtur ad rem quod ex eodem Athenæo afferunt

qui-

Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, & recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

## INTERPRETATIO.

*cornu insignem, movens caudam leviter, & regredientis pedes cruraque triplici lingua & ore delinxit.*

## ANNOTATIONES.

quidam, cornua pro poculis fuisse olim: nec quod, ex Diodoro lib. 4. primus ille terram junctis bobus exercuerit: multo minus quod idem alibi ait, cornutum dici Bacchum, ob acumen in excogitandis rebus ad vitam utilibus.

Cæterum sacros Moysis libros haud Ethnicis Auctoribus incognitos fuisse, alibi quidem annotavimus: inde vero pleraque veri Dei miracula expiscatos imitatosque fabulatores falsis numinibus & heroibus suis affinxisse, sciolus quisque vix ignorat. At cum id abunde probet & ostendat vel una hæc Ode, non est leviter prætermittenda, quin rem penitus excutiamus, atque paullo otiosius inspiciamus & perscrutemur. Enimvero quanta & quot attribuuntur Baccho, quæ vel Noachi sunt, vel ipsius Mosis? Singula perstringamus: quorum plurima tamen alii non absurde jam protulerunt, occuparuntque. Bacchus inventor vini, vitesque plantare docuisse jactator. Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 1. atqui hoc longe verius Noacho vindicatur. Genes. cap. 9. v. 20. ubi & inebriatus ille & nudatus in tabernaculo suo, nec non majori filio ludibrio habitus refertur, quæ ad Bacchum transtulere fere omnia.

Bacchus in sylvis & rupibus Satyris & Musis documenta varia tradidit. Noachus post diluvium devastatâ ac in solitudinem redactâ terrâ, de cultu Dei præcepta hominibus sedulo inculcavit.

Bacchus amnes & mare flexit: Noachus aquarum eluvionem arcâ evasit, superavitque.

Bacchus Gigantes Jovi bellum moventes expugnavit. Noe Chamo filio impie se colendum Numinis instar exhibenti, posterisque ejus idololatris vel atheis fortiter repugnavit.

Bacchus pacis bellique medius & arbiter extitit: Noe sequester & conciliator Deum inter & homines, audire meruit: *non erunt ultra aquæ diluvii, ad delendum universam carnem:* item: *ponam arcum meum in nubibus, eritque signum fœderis inter me & inter terram*. Genes. cap. 9. cit.

Quod si Moysen, Josuen, & quæ ad eos pertinent, conferamus cum iis quæ Baccho assignat Horatius, eadem prope esse agnoscemus. Moses in monte Sina acceptas Dei leges populo Hebræo perfert. *Bacchus in rupibus Satyros & Nymphas docet.*

Bacchi *thyrsus*, quid aliud, quam virga Mosis? Per hanc patrata certe prodigia, per illum similiter facta mentiti sunt.

*Vini fontem, lactis rivos, mel stillans*, quis non intelligat ficta, vel ex promissa Hebræis terra lacte & melle mananti; vel ex erutis e silice per Mosen aquis? Virga Mosis in serpentem versa, & sine damno apprehensa, serpens item æneus in deserto jussu Mosis erectus: Exod. 4. &c. nonne locum dederunt *viperis* & anguibus Baccharum *crines* implicandi *sine fraude* quidem & *coercendi*? Jam domita Baccho *flumina* ipsumque *mare*, vel lippientibus ostendunt Jordanis marisque Rubri siccum vestigio transitum, ducibus Mose & Josue. *Disjecta* vero *Penthei tecta*, *Lycurgique* fatale *exitium*, adumbrant satis clare urbes deletas, Reges victos gentesque fractas ab Israelitis, Deo suffragante, & opitulante. Denique Gigantes, & potentes a seculo viri famosi, Genes. c. 6. & monstra filiorum Enaci de genere giganteo, Num. cap. 13. v. 34. nec non turris Babel, Genes. c. 11. gigantomachiam, cælique per arduum oppugnationem fabulosam peperere.

Cornutum vero Bacchum dixere, juxta id quod Exodi cap. 34. num. 29. & seq. legitur de cornuta Moysis facie, seu duplici luminis radio conspicua, ex consortio sermonis Domini, quam Israelitæ quidem non sine metu ac stupore animadvertunt.

Adde, si lubet, Bacchi descensum ad Inferos, ac reditum incolumem, imaginem videri genuinam Mosis in monte nebuloso dies quadraginta commorantis, quem omnium opinione mortuum cum rursus viderunt Israelitæ, velut ab Inferis reducem ac redivivum exceperunt.



Digitized by Google

## AD MŒCENATEM.

## ODE XX.

*Famam sui nominis semper & ubique celebrem futuram.*

Non usitatâ, nec tenui ferar
Pennâ, biformis per liquidum æthera
Vates: neque in terris morabor
Longius: invidiâque major
Urbeis relinquam. Non ego pauperum
Sanguis parentum, non ego quem vocas,
Dilecte, Mœcenas, obibo;
Nec Stygiâ cohibebor undâ.
Jamjam residunt cruribus asperæ
Pelles, & album mutor in alitem
Superne, nascunturque leves
Per digitos humerosque plumæ.

### INTERPRETATIO.

*Nec solitâ, nec levi per aera fluentem alâ vehar ego Poeta duplici forma pollens. Nequaquam in terris manebo diutius: invidiâque superior deseram civitates: Ego proles majorum inopum; ego quem appellas, charissime, o Mœcenas, haud moriar; nec Stygiâ palude coercebor. En modo tibiis increscunt pelles scabræ: atque in avem candidam transformor* secundum *superiores* partes; *& plumæ tenues enascuntur in brachiis & scapulis.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Non usitata, &c.*) Scaliger lib. 6. Poet. Oden hanc ait *magni spiritus, & tanto dignam ingenio*. Se suosque versus immortales futuros præsagit Horatius, atque suo nomine & fama implendum orbem totum gloriatur. Quo si quis offendatur, summis quibusque Poetis magna de se, nec omnino sine causa, jactare solitis succenseat necesse est. Paulo certe audacius canebat & vaticinabatur Ovidius, in fine Metamorph.

*Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignis,*
*Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.*

*Nec tenui ferar pennâ.*) Non tenui aut fragili volatu, qui dissolvatur, & brevi cadat, famamque meam perire sinat. Ovid. mox cit.

*Parte tamen meliore mei super alta perennis*
*Astra ferar: nomenque erit indelebile nostrum.*

2. *Penna.*) Alæ naturam commune quidpiam cum Deo habere, asserit Plato in Phædro.

*Biformis.*) Lyricus Vates atque Satyricus, inquiunt plerique. At videntur alii sapere pluscuIum, sic interpretantes; paulo ante homo, jam vero cycnus: bina forma præditus, humana & cycnea.

4. *Invidiâque major, &c.*) Plutarch. de invidia & odio, ut Sol, inquit, supra verticem extans aut umbram adimit, aut certe parvam facit; ita summa felicitas comprimit invidiam, quasi supra caput ejus consistens.

5. *Pauperum sanguis parentum.*) Obscuro loco natus, avo nempe liberto, patre libertino.

6. *Quem vocas, Dilecte.*) Sic interpunge sedulo: id est, quem tibi dilectum vocas, pro tua in me animi propensione, o Mœcenas, quâ me ignobilem & humilem prosequeris, exornas, beas. Mœcenatis in Horatium morte sublatum næniola erat:

*Lugens te, mea vita, nec smaragdos,*
*Beryllos neque, Flacce, per nitentes,*
*Nec mi candida margarita quæro, &c.*

8. *Nec Stygiâ cohibebor undâ.*) Id est, non moriar, nec proinde in Inferis detinebor aut coercebor. Ovid. cit.

*Quaque patet domitis Romana potentia terris,*
*Ore legar populi; perque omnia secula fama,*
*Si quid habent veri vatum præsagia, vivam.*

Vide supra Od. 14. v. 8. De *Styge* dixi lib. 1. Od. 34. v. 10.

9. *Jamjam residunt cruribus, &c.*) Sentio me transformari in cycnum: jamque meis tibiis humana carne & cute spoliatis succrescunt pelles asperæ, quales sunt in cruribus cycnorum.

10. *Album mutor in alitem.*) Ex Pythagoræ sententia loquitur Horatius. Ajebat ille Poetarum animas transire in canoras aves: ac vicissim lusciniarum, & cycnorum animas Poetis immitti. Porro cycnos ut & Poetas in tutela esse Apollinis creditum est. Unde cycni appellantur boni poetæ, mali autem anseribus comparantur. Cic. Tusc. 1. n. 73. *Cycni non sine causa Apollini dicati sunt; sed quod ab eo divinationem habere videantur, qua providentes quid in morte boni sit, cum cantu & voluptate moriuntur.*

Virg. Eclog. 9.

*Vare, tuum nomen*

*Can-*

Digitized by Google

Jam Dædaleo ocyor Icaro,
Visam gementis litora Bosphori,
Syrtesque Getulas, canorus
Ales, Hyperboreosque campos.
Me Colchus, & qui dissimulat metum
Marsæ cohortis Dacus, & ultimi
Noscent Geloni: me peritus
Discet Iber, Rhodanique potor.
Absint inani funere næniæ,
Luctusque turpes, & querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores.

## INTERPRETATIO.

*Nunc ad litus Bosphori frementis, & Libycas Syrtes, regionesque Boreales pergam, factus avis canens suaviter, velocior autem Icaro Dædali filio. Me Colchus, Dacusque Italum exercitum simulans non timere, atque extremi celebrabunt Geloni. Me cognoscet doctus Hispanus, & qui bibit aquas Rhodani. Apage tantus lugubres inanibus exequiis, fletusque indecoros, & querelas. Comprime ejulatus, & prætermitte vana tumuli ornamenta.*

## ANNOTATIONES.

*Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.*
Infra noster de Pindaro, Od. 2. lib. 4.
*Multa Dircæum levat aura cycnum.*

13. *Dædaleo ocyor Icaro.*) Id est, non ego temere volatum tentabo, velut Icarus, neque pennas assumo fictitias & adscititias. De *Icaro* ejusque patre *Dædalo*, lib. 1. Od. 3. sub finem.

14. *Visam gementis litora Bosphori, &c.*) Barbaris etiam populis & regionibus innotescam: meaque poesis ad remotissimas orbis partes celebris erit. De *Bosphoro*, supra Od. 13. v. 14.

*Gementis.*) Illic enim horrendum stridet ac fremit mare angusto coarctatum spatio, & ad comprimentes ripas fluctus alliduntur ac gemunt.

15. *Syrtesque Getulas.*) Ad Africæ litora. Vide lib. 1. Od. 22. v. 5. *Getulia* regio Libyæ circa Syrtes: de qua lib. 1. Od. 23. v. 10.

*Canorus ales.*) Cycni more, canens dulciter. Sit ne verus fabulosus iste cantus, disserui ad Juvenalem.

16. *Hyperboreosque campos.*) Ad Polum Arcticum, ultimumque Septentrionem; quasi ultra Boream flatus & originem. Vide lib. 2. Od. 22. ad penultimam strophen annot.

17. *Me Colchus.*) Asiæ populus ad oram Euxini maris Orientalem. Ea regio vocatur hodie *Mengrelia*.

*Qui dissimulat metum.*) Ista periphrasi videtur Horatius indicare Parthos, de quibus vide Annot. lib. 1. Ode 19. v. 12. Quidam tamen referunt ad sequentem vocem *Dacus*.

18. *Marsæ cohortis.*) Vel per synecdochen Marsos pro Italis ponit: vel potius illos præ cæteris nominat, quod in bello erant *genus acre virûm*, ut vocat Virgil. Georgic. 2. v. 167. Marsi Italiæ populi fuere ubi nunc est pars Aprutii ulterioris, juxta lacum Fucinum: nomenque regiuncula conservat adhuc Marsi Ducatûs titulo insignita.

*Dacus.*) Gens vicinam Danubio regionem incolens, Transylvani, Moldavi, &c.

19. *Geloni.*) Scythiæ populi ad fluvium Borysthenem, a Gelono Herculis filio cognominati. De illis jam supra Od. 9 v. penult. Intelligi possunt etiam Scythæ remotissimi, de quibus lib. 1. Od. 19. v. 10.

*Peritus Iber.*) Hispaniæ populus ab Ibero seu Rege, seu fluvio dictus.

*Peritus.*) Litterarum studiosus, variaque instructus doctrina. Alii referunt ad navigandi peritiam.

20. *Rhodanique potor.*) Lugdunenses Gallos innuit & designat, apud quos facundiæ certamen erat; cujus meminit Juvenalis Sat. 1. vers. 4. *Palleat*, inquit,
*Ut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.*
Rhodanus fluvius Galliæ præcipuus, apud Helvetios scaturiens per lacum Lemanum tam rapide fluens, ut suas non coinquinet aut permisceat aquas: Genevam alluit: Galliam a Sabaudia, Delphinatum a Bressia discernit: ad Lugdunum excipit Ararim amnem. Isaram autem ad Valentiam & Vivarium: Occitaniam inter & Provinciam ad Avenionem perlabitur: inde vero non procul, Druentiâ fluvio auctus Arelatem adit. Demum ostiis quinque mare Mediterraneum ingreditur. Rhodani magnitudinem commendat M. Varro, nec inferiorem Istro prædicat, apud Agell. l. 10. c. 7.

*Absint inani funere næniæ, &c.*) Funus velut inane, nænias, luctus & querimonias ut turpes viris, denique sepulcri honores tanquam supervacuos respuit, quippe vivens immortalisque futurus: quibus expressit Ennii Epitaphium ita de se ominati:

*Nemo me lacrymis decoret; nec funera fletu*
*Faxit. Cur? Volito vivu' per ora virûm.*

*Næniæ.*) De his supra Od. 1. ad finem.

23. *Sepulcri mitte supervacuos honores.*) Plane loquitur ex mente ipsius Mæcenatis, cujus hæc apud Senec. Epist. 92. refertur sententia:
*Nec tumulum curo. Sepelit natura relictos.*

QUIN-

# QUINTI
# HORATII FLACCI
# CARMINUM

## LIBER III.

## ODE I.

*Non opibus aut honoribus, sed mediocri fortuna, vitaque tranquilla constat felicitas.*

1. Odi profanum vulgus, & arceo.

### INTERPRETATIO.

*Imperitum vulgus averser atque amoveo.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 2.

1. *Odi profanum.* ) Quod Persius sub finem Satyræ primæ, hoc Odes hujus initio præstat Horatius. Nimirum quibus scribat, & quos lectores velit, oterque imperiose statuit. Est igitur prima strophe velut procemium gravissimi carminis gravissime quidem tractati, documenta pleraque ad mores pertinentia continentis. Certe in hujus & sequentis libri carminibus potissimum enitescit illo, quam laudat Petronius, *Horatii curiosa felicitas*. Audiatur hic Scaliger hypercritic. tertii libri Ode prima *magnifico dicendi genere structa est;* & postea: *sequuntur carmina plena sapientia, numerosa, ardua.* Secunda Ode pariter altiloqua: tertia gravissima: quarta nec Pindaro cedit, ac ne quinta quidem. Sexto altissime sonat, &c. Hæc ille.

*Profanum vulgus.* ) Orpheus: Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστί, θύρας δ' ἐπίθεσθε βέβηλοι. *Loquar quibus fas est, at foras excludite profanos.* Arcet vulgus indoctum & rude utpote Musarum meris haud initiatum. Solemnis erat sacrorum formula, quam habet Virg. Æn. 6. v. 258.

*Procul o procul este profani.*

Callimach. ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι.

In Petronii Satyrico, Eumolpus ita præcipit: *effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate: & sumenda voces a plebe summota, ut fiat: odi profanum vulgus & arceo:* quibus verbis explicari, quid voluerit Horatius per *vulgus profanum*, bene monet Cruq. A. Gal. ad finem lib. ult. sic ait: *Commentariis his legendis dabo legem, ut ne ea attingat, atve adeat profestum & profanum vulgus a ludo musico diversum.* Apud Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 2. Philosophia ex fabulis quædam alia se abdicat, ac *velut profana ab ipso vestibulo sacræ disputationis excludit:*

Digitized by Google

Favete linguis: carmina non prius
  Audita, Musarum Sacerdos
    Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
  Clari Gigantæo triumpho,
    Cuncta supercilio moventis,
Est, ut viro vir latius ordinet

## INTERPRETATIO.

*Obsecundate ore: Musarum ego antistes inauditas antea versus cano puellis ac juvenibus. Reges metuendi sunt in populos, ipsos autem in Reges potestatem habet Jupiter victis gigantibus inclytus, omnia nutu concutiens. Fit ut alius alio spatiosius disponat*

## ANNOTATIONES.

2. *Favete linguis.* ) Vox in sacris olim usitata, quâ silentium imperabatur. Et certe nihil est, quo reverentiam numinis aptius aut amplius liceat protestari, quam profunda illa taciturnitate atque attentione animi ad divina quasi stupentis. Hinc facit Ps. 64. v. 2. Interpretatio sancti Hieronymi ex Hebræo: *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Aristophanes: *Linguis faveat omnis populus ore clauso: ades enim ingressus est Musarum cœtus.* Seneca de vita beata, c. 27. *hoc verbum, favete linguis, non ut plerique existimant, a favore trahitur; sed imperatur silentium, ut rite peragi sacrum possit, nulla voce mala obstrepente.* Quæ postrema verba favent iis, qui interpretantur: bene precamini; cavete ne quidquam loquamini infaustum & mali ominis. Cicero 1. de Divin. num. 102. *Non solum Deorum voces Pithagorei observaverunt, sed etiam hominum, quæ vocant omina. Quæ majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis, quod bonum, faustum, fortunatumque sit, præfabantur: rebusque divinis, quæ publice fierent, ut faverent linguis imperabatur.* Festus: *faventia bonam ominationem habet: nam præcones clamantes populum sacrificiis favere jubebant. Favere est bona fari.*

*Carmina non prius audita.* ) Nova, Lyrica scilicet, a nemine Latinorum hactenus, saltem exacte, facta. In hujus libri ultima Ode pariter gloriatur, *Princeps Æolium carmen ad Italos deduxisse modos.*

*Musarum Sacerdos.* ) Bonus omnis Poeta Musarum & Apollinis antistes & Sacerdos audit. Virgil. Æneid. 6. v. 645. de Orpheo,

*Nec non Threicius longa cum veste Sacerdos.*

Ovid. Amor. lib. 3. Eleg. 8.

*Ille ego Musarum purus Phœbique Sacerdos.*

Tiboll. lib. 2. Eleg. 5.

*Phœbe, fave, novus ingreditur tua templa Sacerdos:*
*Huc age cum cithara carminibusque veni.*

4. *Virginibus puerisque canto.* ) Velut castis & docilibus, proindeque idoneis tum ad sacra, tum ad præcepta morum capessenda. Sic & in carmine seculari ait a Sibyllis moneri *virgines lectas puerosque castos Diis dicere carmen.* Et lib. 1. Od. 21.

*Dianam teneræ dicite virgines:*
*Intonsum pueri dicite Cynthium.*

5. *Regum timendorum, &c.* ) Docet in primis in quo non sit felicitas statuenda: & quam aberrent qui suprema potestate gaudentem censeant beatum, quod ab aliis timeatur, nullum vero timeat. Enimvero mortalium nemo quantumvis potens ejusmodi est; cum supra se Deos habeat æqui & iniqui vindices, & Regum perinde, ut hi populorum, cervicibus incumbentes. Plaut. Casin. *Quasi tu nescias repente ut emoriantur humani Joves*, id est, Reges & Principes.

*In proprios greges.* ) Sunt Reges quasi pastores populorum. Psal. 76. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron.* Et Psal. 77. *Abstulit sicut oves populum suum, & perduxit eos tanquam gregem.*

6. *Reges in ipsos imperium est Jovis.* ) Sueton. Jul. Cæs. c. 6. *Est in genere & sanctitas Regum, qui plurimum inter homines pollent; & cæremonia Deorum, quorum ipsi in potestate sunt Reges.*

7. *Clari gigantæo triumpho.* ) Apparuit satis quantum Dii hominibus prævaleant, cum Gigantes immani robore superbientes Jupiter debellavit. Vide l. 2. Od. 12. & 19. & Od. 4. hujus libri.

8. *Cuncta supercilio moventis.* ) Orbem universum nutu unico quatientis. Virg. Æneid. 9. v. 106.

*Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.*

Egregia divinæ Majestatis declaratio; ex Homeri Iliad. 1. ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων, *supercilio annuit Saturnides*, idest, Jupiter: hinc & concussis comis cælum concussisse, ibidem dicitur. Quibus e versibus Phidias ajebat Jovis se Olympii simulacrum mira arte effinxisse. Plin. lib. 11. c. 37. ita scribit: *superciliis negamus, annuimus. Hæc maxime fastum indicant.* ibid. *frons severitatis index ut & clementiæ.* Ammianus Marcell. *supercilia velut cornua erigi*, dixit. Vide Cœl. Rhodig. lib. 3. c. 27.

9. *Est, ut viro vir, &c.* ) Nec eos esse felices putaris, qui ingentibus prædiis, Magistratibus, Palatiis fruuntur. Nam sint quidem alii opulentiores aliis, nobiliores, potentiores, fama celebriores: at nemini propterea mors parcit; omnes æquat, & pariter aufert. Quæ sententia variis est locis apud Horatium, variâ ubique dictione expolita. Lib. 1. Od. 4. &c.

*Latius ordinet arbusta sulcis.* ) Vineta vel arbusta plantet agro ampliori spatiosiora.

Digitized by Google

Arbusta sulcis: hic generosior
Descendat in campum petitor:
Moribus hic meliorque famâ
Contendat: illi turba clientium
Sit major. Æquâ lege necessitas
Sortitur insignes & imos:
Omne capax movet urna nomen.
Districtus ensis cui super impiâ
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem:
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,

## INTERPRETATIO.

*arbores scrobibus: ille candidatus in campum Martium nobilior veniat: iste virtutibus & estimatione potior certet: huis adsit amplior clientium numerus:* at pari jure magnos & parvos obtinet mors: *quodlibet nomen urna complectitur & versat. Cui supra sceleratum caput strictus gladius impendet, gustum suavem haud comparabunt epulæ Siculæ: nec soporem revocabit volucrum aut lyræ modulatio. Quietus sopor haud aspernatus abjectas hominum agrestium casas, & litus umbrâ amœnum,*

## ANNOTATIONES.

10. *Hic generosior descendat; &c.*) Ille claritate generis fretus ambiat magistratum proindeque veniat in *Campum* Martium, quo ad ferenda suffragia Populus Romanus conveniebat.

*Descendat.*) Erat campus ille inferior urbe collibus inædificata. Adde quod in edito colle spectandum se populo præbebat candidatus, antequam in campum descenderet. Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 3. ubi fuse de comitiis, & de ratione creandorum apud Romanos magistratuum.

12. *Moribus his meliorque famâ contendat.*) Alius accedat minus forte domi nobilis, sed virtutum gloria conspicuus; & de eodem honore & magistratu capessendo adversus alterum contendat.

13. *Illi turba clientium sit major.*) Alius potentiam ostentet numerosa clientium turba stipatus, ut ad munera publica evehatur.

14. *Æquâ lege necessitas, &c.*) Numinis voluntas, æternum decretum, fatum, sine delectu summos æque ac infimos complectitur; movet, amovet, absumit. Bene apud Suidam *lex quidem similis est Tyrannidi: terrore enim & vi cuncta perficit.*

16. *Omne capax movet urna nomen.*) Omnium perinde mortalium nomina fatalis urna continet, donec suo quæque tempore educantur. Atque ita cuncti serius ocyus ultimæ necessitati mancipantur & traduntur. Vide lib. 2. Od. 3.

17. *Districtus ensis cui super, &c.*) Quod si legitima dominatio non reddit fortunatum, ut initio asseruit, multo minus tyrannica & per scelus occupata. Nam, ex Tullio mox citando, *cui semper aliquis terror impendeat, nihil sit beatum;* is nec epularum, nec somni dulcedinem experitur. Quod sane Damocles impius ille Dionysii Syracusarum Tyranni assentator intellexit, vel ab ipso Tyranno edoctus. Cum enim regiam experiri fortunam ab eo petiisset, aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, magnificis operibus picto collocatus est. Aderant unguenta & coronæ: odores incendebantur, mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur: ad mensam eximiâ formâ delecti ministrabant pueri. Jamque fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc autem medio apparatu fulgentem gladium e lacunari setâ equinâ appensum demitti jussit Tyrannus, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pompam, nec dapes, nec pueros aspiciebat. Jam ipsis defluebant coronæ. Denique exoravit Tyrannum, ut sibi abire liceret, quod jam beatus esse nollet. Hæc Cicero Tuscul. 5. n. 61.

18. *Siculæ dapes.*) Harum ut lautissimarum meminit Plato 3. de Rep. Tullius 2. de finibus, & Tuscul. 5. n. 100. Athenæus lib. 1. cap. 19. Coquos item Siculos velut ciborum optime condiendorum artifices eximios laudat lib. 14. c. 23.

21. *Somnum reducent.* Quem abstulit mortis pavor imminentis.

*Somnus agrestium lenis virorum, &c.*) Rusticis contra viris somnus adest ultro suavis & placidus, seu in agresti tugurio, seu ad fluminis ripam sub arboribus frigus umbram & amœnitatem prætendentibus.

Virgil. Georg. 2. v. 467.

*At secura quies . . . . .*
*Speluncæ, vivique lacus, at frigida Tempe,*
*. . mollesque sub arbore somni*
*Non absunt.*

Digitized by Google

Non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax; arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquas.
Contracta pisces æquora sentiunt,

## INTERPRETATIO.

*nec Tempe Zephyris afflata. Qui cupit duntaxat quod sufficit, hunc nec angit mare procellosum, nec violentia occidentis Arcturi, vel Caprorum surgentium; neque vinea per grandinem attrita, vel ager fallax arboribus modo pluvias accusantibus, modo constellationes arva exurentes, modo frigoris sævitiam. Aquas*

## ANNOTATIONES.

24. *Tempe.*) Accusativus est pluralis neutrius generis. Nomen erat vallis amœnissimæ in Thessalia, Peneo irrigatæ fluvio, montibus Ossa, Pelio, Olympo circumdatæ. Pro locis quibuslibet amœnis usurpari solet. Vide lib. 1. Od. 7. v. 4.

*Zephyris agitata.*) Leniter aspirante eo vento, qui *genitalis spiritus mundi* appellatur a Plinio lib. 16. cap. 25. *flat ab Æquinoctiali occasu, ver inchoat, aperitque terras tenui frigore saluber: Favonius* Latinis e favendo vel fovendo; *Zephyrus Græcis nominatus, quasi ζωηφόρος, vitam ferens.* Id. Plin. lib. 18. cap. 34.

*Agitata.*) *Incertas Zephyris motantibus umbras,* ut canit Virg. Eclog. 5. Quæ quidem omnia somnos dulces faciunt.

25. *Desiderantem quod satis est, &c.*) Qui parvo contentus agit, & necessaria tantum desiderat, is pecuniæ augendæ parum cupidus, longinquam negotiationem minime suscipit, adeoque maris pericula declinat: nec ille angitur valde, si quando calamitatem grando, aut agrorum sterilitas annonæ penuriam invehat. Senec. *Si ad naturam vives, numquam eris pauper: si ad opiniones, numquam eris dives.*

26. *Tumultuosum mare.*) In fine Odes 29. hujus libri *Ægæos tumultus*, vocat.

27. *Sævus Arcturi cadentis impetus.*) Arcturus sive Arctophylax, quod Ursam sequatur ac veluti custodiat dicta constellatio, magnas tempestates movet, præsertim cum occidit, videlicet Octobri ineunte. Vide Plaut. Rudent. Prolog. ibi sic loquens inducitur illud sidus:

> *Increpui hybernum, & fluctus movi maritimos.*
> *Namque Arcturus signum omnium sum acerrimum:*
> *Vehemens sum exoriens; cum occido, vehementior.*

28. *Orientis hœdi.*) Pro, *hœdorum*. Sunt enim duæ stellæ in sinistra manu Erichthonii, seu Aurigæ, quibus orientibus sævit mare; tum scilicet cum Sagittarium Sol decurrit. Virgil. Georg. 1. v. 204.

> *Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis*
> *Hœdorumque dies servandi, &c.*

30. *Fundusque mendax.*) Ager infructuosus, spemque & laborem agricolæ destituens, *spem mentita seges*, ut ait Ep. ad Mæcen. Petronius ait similiter, *fundos mendaces*. Et Ps. 32. *fallax equus ad salutem.*

*Arbore nunc aquas culpante, &c.*) Arbore sterilitatem suam velut excusante tres ejus afferente causas, vitiumque refundente vel in *aquas* & imbres nimios, quibus putrefactio generetur; vel *in torrentia agros sidera*, æstus nimirum & calores immoderatos, qui succum & humorem ebsumunt omnem: atqui ex humido & calido ettemperatis fructum ac fœtum quemlibet suum natura producit & procreat: vel in asperitatem denique *hyemis* & immodicum gelu, quod nimis astringit, fruges adurit, arboresque enecat, dum vegetandi vim prorsus extinguit. Lucret.

> *Et tamen interdum magno quæsita labore*
> *Cum jam per terras frondent atque omnia florent,*
> *Aut nimiis torret fervoribus Ætherius Sol,*
> *Aut subitis perimunt imbres, gelidæque pruinæ,*

31. *Contracta pisces æquora sentiunt, &c.*) Invehitur modo in insanas substructiones, inque stultam ædificandi in mari libidinem, de quibus jam lib. 2. Od. 15. & 18. Item postea Od. 24. hujus libr. Petronius in Satyrico;

> . . . . . . . *aspice late*
> *Luxuriam spoliorum, & censum in damna furentem.*
> *Ædificant auro, sedesque ad sidera mittunt.*
> *Expelluntur aquæ saxis; mare nascitur arvis;*
> *Et permutatâ rerum statione rebellant.*
> *En etiam mea regna petunt: perfossa dehiscit*
> *Molibus insanis tellus. Jam montibus haustis*
> *Antra gemunt, &c.*

Sallust. Bell. Catilin. *Nam quid ea memorem, quæ nisi his qui videre nemini credibilia sunt? A privatis compluribus subversos montes, maria constrata;* alii legunt, *constructa, &c.* Suet. Caligul.

Jactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemtor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus. Sed timor & minæ
Scandunt eodem quo dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Post equitem sedet atra cura.
Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum:
Cur invidendis postibus, & novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabinâ
Divitias operosiores?

## INTERPRETATIO.

*molibus in mare projectis coarctatas sentiunt pisces. Illuc cæmenta sæpius immittit operum conductor cum servis, nec non possessor terram contemnens. At metus & formido eodem quo dominus ascendunt: neque triremem ære munitam deserit molesta sollicitudo, imo equitanti assidet. Quod si male habentem haud sublevat Phrygium saxum, nec vestis purpurea astris splendidior: neque vinum Falernum, & unguentum Persicum; quare celsas ædes construam postibus invidiam cientibus, & ratione singulari? Quare vallem Sabinam commutem opibus plurium laboriosis?*

## ANNOTATIONES.

gul. c. 37. *in exstructionibus Prætoriorum atque villarum, omni ratione posthabita, nihil tam efficere concupiscebat quam quod posse effici negaretur. Et jacta itaque moles infesto ac profundo mari: excisa rupes durissimi silicis; & campi montibus aggere æquati; & complanata fossuris montium juga; incredibili quidem celeritate: cum mora culpa capite lueretur.*

34. *Huc frequens cæmenta demittit, &c.* ) Variam e rudi saxo lapidumque cæsorum frustis & fragmentis materiam in mare dejicit, ut substratis molibus positoque fundamento ædificium superstruat ille fabricæ susceptor, ἐργολάβος manceps apud Cic. Item *redemtor*, qui nempe quodlibet opus suo periculo, certa mercede faciendum assumit.

36. *Dominusque terræ fastidiosus.* ) Superbus & ambitiosus dominus fastidiens ædes habere, in terris, jamque novi quidpiam moliri volens, in mari ædificat.

37. *Sed timor & minæ scandunt eodem, &c.* ) Verum sive ille dives & luxuriosus habitet in ædibus ejusmodi maritimis; sive naves & triremes, sive equum inscendat, non effugit usquam sollicitudines & metus. Vide lib. 2. Od. 16.

41. *Quod si dolentem nec, &c.* ) Quod si magnifica palatia, si vestes molles & nitidæ, si lautæ dapes, si odores & ungoenta nihil prosunt ad levandam corporis aut animi ægritudinem, cur fortunam ego meam tenuem sed tranquillam & felicem non anteferam opibus summis, quas magni perinde labores & curæ nunquam non comitantur?

*Phrygius lapis.* ) Innixæ & exornatæ basilicæ columnis e marmore Phrygio *subcæruleis* inspersso maculis. Tibull. lib. 3. Eleg. 3.

*Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis?*

44. *Achæmeniumque costum.* ) Unguentum pretiosum & exquisitum e costo frutice, cujus *radix gustu fervens, odore eximio*; proveniente in Persia, ubi regnavit Achæmenes. Vide Plin. lib. 12. cap. 12. Dioscorid. &c.

45. *Invidendis postibus, &c.* ) Invidiæ expositis ob luxum & pompam. Sic lib. 2. Od. 10. dixit *aulam invidendam*. Et Martial. Spectac. Epigram. 2. *invidiosa atria*.

47. *Cur valle permutem Sabinâ, &c.* ) Cur præ majoribus possessionibus curarum feracibus, præ basilicis atque divitiis Regum, non amem & colam prædiolum meum, in Sabinis, amœnâ situm valle, unde mihi quod satis est suppeditatur: & quo valde contentus & quietus victito, Regibus proinde beatior.

ODE

Digitized by Google

# ODE II.

*Pueros ab ineunte ætate assuefaciendos esse rei militari, & vitæ laborioſæ.*

Angustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militiâ puer
Condiscat, & Parthos feroces
Vexet eques metuendus hastâ:
Vitamque sub dio & trepidis agat
In rebus: illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, & adulta virgo
Suspiret: Eheu, ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu leonem, quem cruentæ

## INTERPRETATIO.

*O Amici, puer gravi bello fortis discat tolerare arctam inopiam; atque bellicoses Parthos urgeat equitans, telo formidabilis. Sub aperto cælo degat etiam inter pericula. Illum e muris hostium videns uxor Regis prœliantis, & grandior puella, ingemat: heu, ne maritus cegalis certaminum imperitus incurrat in istum leonem conflictu sævum, quem furor sanguinolentus*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Augustam, amici, &c.* ) Horatii mentem & scopum in hac Ode præ cæteris expiscatus est Theod. Marcilius. Hujus itaque non solum interpretandi rationem, sed ipsa verba libet afferre. *Tria*, inquit, *Reipublica quasi membra complexus est Poeta; artes belli, artes pacis, religionem*: In tribus nempe hujus Odes partibus. In prima laudat *disciplinam militarem*; in secunda *virtutem*, quam *ad forum & campum refert*; in tertia denique *silentium, quod ad religionem*. Tribus istis sane tota Respublica continetur.

*Amici.* ) In quibusdam codicibus legitur, *amice*, in nonnullis etiam adverbialiter, *amicè*; quod ita explicant: tam libenter amanterque colendam esse paupertatem, ut jam gravis non sit, aut videatur toleranti.

*Pauperiem pati.* ) Id est, ut miles Romanus fiat robustus ac strenuus, assuescat puer militiæ laboribus; discatque in primis ferre *pauperiem*, qua prisci inclaruere tum Romani cum Græci. Apulejus in Apolog. *paupertas*, inquit, *populo Romano Imperium a primordio fundavit*. Et paulo ante, *hæc in Aristide justa, in Phocione benigna, in Epaminonda strenua, in Socrate sapiens, in Homero diserta*. Vide Valer. Max. lib. 2. cap. 5. & 7. lib. 3. cap. 3. lib. 4. c. 4. Plutarch. in vita Phocionis; ubi dux ille eximius Atheniensium refertur nudis semper fuisse pedibus tum ruri cum militiæ, nisi ad calceos impulisset hyems atrocior. Unde jocantes milites asperum & crudele frigus arguebant ex eo quod calceatus esset Phocion. Cicero Tusc. 2. num. 34. *Cretum leges . . . itemque Lycurgi, laboribus erudiunt juventutem venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, æstuando.* Theocrit. Idyll. 21. init. πενία μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. αὕτα τῶ μόχθοιο διδάσκαλος. *Paupertas sola artes excitat: ipsa laboris magistra est.* Menander: πενία γὰρ ἐστὶ ἡ τρόπων διδάσκαλος. *Paupertas morum est magistra*. Paupertatis e contrario incommoda, si vacat & libet, vide apud Juven. Sat. 3. v. 143. & seq.

3. *Parthos feroces vexet eques metuendus hastâ.* ) Equitando jaculandoque se valde exerceat, ut par evadat propulsandis Romani nominis hostibus; præcipue vero Parthis equitandi & sagittandi solertia pollentibus. Vide lib. 1. Od.8. De Parthis autem jam ante sæpius.

5. *Sub dio.* ) Sub ardoribus Solis, sub imbri, sub frigore, ut quamlibet aeris inclementiam æquo animo ferat, robusto corpore perferat. Lib. 1. Od. 1. *sub Jove frigido*.

*Trepidis agat in rebus.* ) Inter belli tumultus, perpetuamque trepidationem versetur, ut fiat intrepidus impavidusque: nam, ex Philosophis, assuetis parum aut nihil movemur & afficimur.

6. *Illum ex mœnibus hosticis, &c.* ) Egregie tractatus per prosopopœjam locus; in quo virtutem Romanam facit exhibetque hosti admirabilem, quo eam Romanis juvenibus amabilem reddat. Tam acer, inquit, inter dimicandum appareat, ut eum in acie decertantem e muris aspiciens Tyranni contra pugnantis uxor aut filia, cum gemitu statim exclamet: heu de viro meo, vel sponso conclamatum est, si in talem incidat adversarium. Hic enim in prœliis exercitatus; ille *rudis agminum*, scilicet instruendorum ac ducendorum. Romanus iste quasi leo ferox & sævus quicquid objicitur dejicit & vastat; sponsus autem meus nihil par habet isti bellico arduri.

Per medias rapit ira cædes.
Dulce & decorum est pro patria mori.
Mors & fugacem perſequitur virum:
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus timidoque tergo.
Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus:
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.
Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ:

## INTERPRETATIO.

*agit in medias strages. Jucundum atque gloriosum est occumbere pro patria: fugientem etiam hominem mors consectatur. Nec indulget ignavis adolescentibus genu trementibus & dorsum vertentibus. Virtus turpem repulsam ignorat: puris honoribus decoratur: neque accipit vel deponit fasces ad voluntatem plebis faventis. Virtus Olympum aperiens dignis immortalitate, semitas init arduas:*

## ANNOTATIONES.

13. *Dulce & decorum est pro patria mori.*) Mortis pavorem & metum adimere etiam Poeta ſolers conatur, gloriam certam generoſis, meticuloſis autem nihilo ſecius inſtare exitium aſſeverans. Cic. 1. Offic. n. 57. *pro patria quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?* ad Attic. lib. 8. Epist. 2. *pro patria mori præclarum eſt*. Quam ſententiam Tyrtæus, carm. de virtute bellica, non uno loco ventilat: occumbere pro patria *pulcrum eſt*, inquit, καλὸν ἐςὶ; *honorabile & ſplendidum*, τιμῆέν τε ϗ ἀγλαόν, &c.

14. *Mors & fugacem perſequitur virum.*) Per prolepsin diluit quod objici poſſet: ſatius eſſe fugâ ſaluti conſulere, quam ſe prædam inſtanti morti dedere. Atque ingloriam velle vitam protrahere, ſtultum eſt & vanum, inquit: nam *mors apprehendit eum quoque qui pugnam refugit*, ex Simonide: Θάνατος ἔϕθασε ϗ τὸν ϕυγομάχον. Et Tyrtæus mox cit. ait: *eum qui e prælio teliſque elapſus eſt, domi ſæpe a morte corripi*.

15. *Nec parcit imbellis juventæ poplitibus timidoque tergo.*) Huc revocari poſſunt & debent plures & variæ fugacium, & delinquentium in bello punitiones, quas fuse refert Alex. ab Alex. lib. 2. c. 13.

17. *Virtus repulſæ neſcia ſordidæ, &c.*) Hæc ſecunda pars eſt Odæ, in qua Stoice prorsus omnia. Virtus, inquit, puris fruitur honoribus; proprios in ſemetipsa fulgores habet, quos ei vel auferre vel obſcurare nihil poteſt. Contra honores a populi arbitrio pendentes, ambitionis, largitionum, corruptelæ ſordibus contaminantur, abjectarum prenſationum adulationumque maculis fœdentur, turpis etiam repulſæ ignominiâ dehoneſtantur. Quot & quam indecoris artibus uterentur candidati ad plebeculæ favorem aucupandum, vide apud Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 3.

*Repulſæ neſcia ſordidæ.*) Cato cum peteret magiſtratum repudiatus populi judicium contempſit, ajebatque familiaribus perperam & inceſſum pudibundis, non ſibi qui recte petiiſſet, ſed populo qui male judicaſſet ignominioſum illud eſſe. Vide Plutarch. Cicer. Tuſcul. 5. n. 54. *Si in virtute ſatis eſt præſidii ad bene vivendum, ſatis eſt etiam ad beate ... Cum ſapiens & bonus vir ſuffragiis præteritur: populus a bono Conſule potius, quam ille a vano populo repulſam fert*.

18. *Nec ſumit, aut ponit ſecures arbitrio popularis auræ.*) Inſignia magiſtratûs faſces & ſecures extitiſſe, & pro eo ſæpius uſurpari, nemo qui vel primoribus labris literas attigit aut delibavit, ignorat. Craſſus petens Conſulatum, populo blandiri & ſupplicare detrectavit, coram ſocero ſuo Scævolâ viro graviſſimo. Apud Græcos autem Phocioni nedum plebem palpanti, imo ejus voluntatibus ſæpe acriter & mordaciter reluctato, comitiis etiam adeſſe recuſanti, honores delati ſunt. Plutarch. cit. &c. Adeo verum eſt quod canit Claudianus:

*Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late*
*Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis*
*Erigitur, plauſuve petit clareſcere vulgi:*
*Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis*
*Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis*
*Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.*
*Hanc tamen invitam blande veſtigat, & ultro*
*Ambit honor. Docuit toties a rure profectus*
*Lictor, & in mediis Conſul quæſitus aratris.*

20. *Popularis auræ.*) Favor populi vento levioris bene ſic appellatur: Virgil. Æneid. 6. v. 815.

*Jactantior Ancus*
*Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.*

21. *Virtus, recludens immeritis mori cœlum.*) Iis, qui ſemper vivere digni forent, cum urgente fati neceſſitate cedunt hac vita, nominis immortalitatem æternumque decus virtus confert: cœleſtes etiam honores tribuit heroibus inter Deos relatis. Apud Senec. Tragic. Hercules de ſe ita jactat:

*Virtus mihi*
*In aſtra, & ipſos fecit ad Superos iter.*

22. *Negatâ tentat iter viâ, &c.*) Contendit

ed

Digitized by Google

Cœtusque vulgares, & udam
    Spernit humum fugiente pennâ.
Est & fideli tuta silentio
    Merces. Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
    Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum. Sæpe Diespiter
    Neglectus incesto addidit integrum:
Raro antecedentem scelestum
    Deseruit pede pœna claudo.

## INTERPRETATIO.

*vulgi turbam despicit, ac terram humidam linquit, alâ fugaci assurgens. Fide taciturnitati securum quoque stat præmium. Qui revelarit secreta mysteria Cereris, prohibebo ne sub eodem tecto maneat, neve cymbam levem impellat mecum.* Etenim *haud raro Jupiter spretus innocentem scelerato junxit: & vix unquam flagitiosum fugientem dimisit punitio lento gressu* insequens.

## ANNOTATIONES.

ad cœlum per excelsa facinora ignavis haud concessa: vel simpliciter, per *liquidum aera* subvolat, *in terris non morando*, ut est in Ode ult. l. 2. Quæ *negata* est hominibus *via*, quippe non volucribus, aut alâ a natura donatis. Sic lib. 1. Od. 3. dicitur

*Expertus vacuum Dædalus aera*
*Pennis non homini datis.*

At virtus supra vulgares sensus plebejosque affectos assurgens, *penna*, id est, alto spiritu & generoso, *udam spernit* & fugit *humum*, quasi cœnosam & lutosam, id est, cupiditates sordidas, in quibus vulgi mens demersa hærere solet.

25. *Est & fideli tuta silentio merces.*) Pars hæc est Odæ tertia, in qua silentii laudationem agnoscit vulgus Interpretum. Verum non tam silentii religio, quam religionis silentium & sanctitas hic commendatur. Errant ergo qui Horatium ab instituto vel aberrare vel digredi existimant. Imo ut Deorum cultum universe persuadeat, sacra Eleusinæ Cereris religioso quidem silentio peragi solita, velut speciem pro genere, assumit; eorumque violationem pro quolibet sacrilegio affert. Quæ quidem sagaciter observavcunt tum Parthenius, tum Marcilius jam citatus. Vide apud Valer. Maxim. initio lib. 1. emolumenta observatæ religionis, neglectæ vero pœnas & mala. Tertull. Apologet. cap. 7. *vel ex forma omnibus mysteriis silentii fides debetur.* Et contra Valentin. cap. 1. *Eleusinia Valentiniana fecerunt lenocinia sancta silentio magno solâ taciturnitate cœlestia.* Vide S. Aug. de Civit. Dei lib. 7. c. 20. Arnob. lib. 5. &c.

*Fideli tuta silentio merces.*) Grande semper credidere piaculum, tacenda effutire, seu Reipublicæ arcana, seu privatæ fidei commissa evulgando. Unde vindices perfidiæ aut temerariæ loquacitatis Deos semper jactavere. Servius in Georgicon. sub finem scribit Tribunum in crucem actum, quod urbis numen, quod nefas erat nominari, enunciasset. Euripides ait, [illegible], pulchram silentii coronam viri boni. Et ex Simonide, *nulli unquam tacuisse nocere, nocuit esse locutum.* Vide Plutarch. de garrulitate.

26. *Vetabo qui Cereris sacrum, &c.*) Si quis arcana sacrorum Eleusinorum mysteria revelarit, adeoque sancti silentii religionem violaverit, ejusmodi hominem tanti reum sacrilegii procul arcebo, ne, si contubernalis fuerim cum eo, plectar ab ultoribus violatæ religionis Diis. Itaque sub eodem tecto manere, aut simul navigare, fugiam. Proverb. est: cum viro scelesto ne viæ comes fueris. [illegible]. Æschyl. in septem ad Thebas:

[illegible]
[illegible]
[illegible]

*Ingrediens navim pius quispiam, nautis improbitate ferventibus, cum hominum gente Diis invisâ perit.*

29. *Phaselum.*) Navis erat oblonga & velox, quæ tam velis, quam remis agi poterat, myoparoni non absimilis. Erat & fluviale navigium: Virgil. Georg. 4. vers. 288.

*Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.*

*Sæpe Diespiter, &c.*) Diei pater, scilicet Jupiter iratus repertum cum nocente innocentem simul plectit, & quasi participem ejusdem improbitatis utrumque mulctat. Hesiod. [illegible]. *Sæpe civitas universa viri improbi pœnas luit.* In sacris etiam codicibus ob unius peccata in omnes exarsisse divina ultio legitur. Lib. 4. Reg. cap. 21. *Quia fecit Manasses Rex Juda abominationes istas... ecce ego inducam mala super Jerusalem & Judam, &c.*

31. *Raro antecedentem, &c.*) Pœna licet *claudo*, id est, tardo *pede* gradiens, *scelestum* assequitur tandem, nec inultum *deserit*, quamvis ille fugâ evadere malum speret. Huc pertinet quod ex adagio feruntur *Dii laneos habere pedes.* Vide Plutarch. de sera Dei vindicta. Valer. Max. lib. 1. c. 1. *Lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira: tarditatem vero supplicii gravitate compensat.* Quam sententiam prior extulit Homerus Iliad. 4. v. 160. Tibull. lib. 1. Eleg. 9.

*Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Juvenal. Sat. 13.

*Ut sit magna tamen certe lenta ira Deorum est.*

ODE

Digitized by Google

# ODE III.

*Virum justum nihil extimescere. Item de non reparanda Troia.*

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ: neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux, & vagus Hercules

## INTERPRETATIO.

*Virum integrum & in sententia constantem de firmo proposito non dimovet vehementia civium improba præscribentium, nec facies tyranni urgentis, neque Notus turbator Adriatici maris procellosi, nec potens dextera Jovis fulmen vibrantis. Si ruat mundi soluta compages, intrepidum opprimet ruina. Istâ pollens virtute Pollux & errabundus Hercules*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Justum & tenacem, &c.*) *Non usitatâ* profecto, *nec tenui pennâ* hæc Ode scripta est, in qua cæca velut impetu fertur vates, at certe divino: divino, inquam, ubi graves prorsus ac sublimes sunt tum res, cum dictio: cæca tamen, ut videtur; quandoquidem temere quolibet abripitur, atque a viri justi laudatione subito digressus, longiusque evagatus ad canenda Trojæ fata prorumpit: ipse *propositi* parum tenax, ac immemor sui ad Pisones moniti, quo ita præcipit:

*Tantum series juncturaque pollet!*

Quid ergo navus Poeta? Quid Interpretes? Horum plerique obvia certatim explicant, finem vero & scopum Odes satis quidem abstrusum minime scrutati, quod præcipuum est, omittunt. Nonnulli Oden hanc nec inscriptione, nec literis a præcedenti rejunctam in antiquis codicibus legi duntaxat admonent. Quidam Apotheosim Romuli, alii Augusti laudationem esse volunt. Verum quo tam accurata illa Junonis oratio Trojam restitui vetantis? Hoc in summa sua felicitate Romani tunc fortasse moliebantur, inquit Georg. Fabritius. At Fabritio sagacior Faber in paucis eruditus vir acrisque judicii, mentem Horatii subodoratus, aut feliciter indagavit, aut certe conjecturam omnino verosimilem pulchram sane protulit. Is ita rem statuit. Ex Suetan. Jul. cap. 79. Cæsar Ilium migrare, eoque Imperii opes transferre cogitaverat. Atqui ne Augusti Julii hæres idem moliretur, non abs re trepidatum est: quo Roma dubio procul extincta foret. Itaque solerter quidem, oblique, & arte singulari, ut tale consilium discutiat Horatius, exhibet ac minatur Junonis iram, quam jam tum a primordiis suis gravem experti fuerant Romani.

2. *Prava jubentium.*) *Velitis, jubeatis, Quirites:* verba Tribuni solemnia: *volumus, jubemusque*, populi erant legem sancientis.

3. *Non vultus instantis tyranni.*) Ita *Q. Scævola truculentius sibi minitanti Syllæ; licet, inquit, mihi agmina militum, quibus Curiam circumsedisti, ostentes, licet mortem minitteris; nunquam tamen efficies ut propter exiguum senilemque sanguinem meum, Marium, a quo urbs atque Italia conservata est, hostem judicem.* Alia vide exempla apud eumdem Val. Max. l. 3. c. 8.

4. *Auster dux inquieti turbidus Adriæ.*) Lib. 1. Od. 3.

. . . *Nec timuit præcipitem Africum*
*nec rabiem Noti,*
. . . . . . .
*Quo non arbiter Adria*
*Major, tollere seu ponere vult freta.*

7. *Si fractus illabatur orbis.*) Alludit ad veterum quorumdam opinionem; cælum constare lapidibus, & aliquando ruiturum. Vide Arist. Metaphys. 5. Diogen. Laert. lib. 2. in Anaxagora. Celtæ quærenti Alexandro, quid potissimum formidarent; hoc responderunt, ne cadente cælo opprimerentur. Quint. Curt. Est & proverb. apud Erasm. *Quid si cælum ruat.*

9. *Hac arte Pollux, &c.*) Ea virtute, æquitate & constantia heroes immortalitatem adepti divinosque honores sunt consecuti, Pollux, Hercules, Bacchus, Romulus, de quibus lib. 4. Od. 12.

*Vagus Hercules.*) Qui varias orbis regiones peragravit, & multa passim, monstris etiam domitis, virtutis suæ monimenta reliquit.

Digitized by Google

Innixus arces attigit igneas:
Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes: hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit:
Gratum elocuta consiliantibus
Junone Divis: Ilion, Ilion
Fatalis incestusque Judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit Deos
Mercede pactâ Laomedon, mihi
Castæque damnatum Minervæ,

## INTERPRETATIO.

*ædes ad ignitas ascendit: inter quos Augustus sedens ore roseo nectar potat. Istâ viarum te, Liber pater, traxere tuæ tigres indomitâ cervice jugum ferentes. Per istam Romulus Martis equis effugit Inferos, Junone apud Deos consilium habentes dicente rem jucundam: funestus* (dixit) *& flagitiosus arbiter, & barbara femina in favillas redegit Trojam, mihi & pudicæ Palladi cum plebe & rege fallaci addictam, ex quo tempore Laomedon numina defraudavit promisso stipendio.*

## ANNOTATIONES.

10. *Arces attigit igneas.*) Adiit cœlum sideribus micans & ardens.

11. *Quos inter Augustus, &c.*) Deorum epulis accumbens nectar potat, jam tum cum in terris degeret, factus Divus; nimirum post debellatum omnino Sext. Pompejum. De quo vide Appian. l. 5. de bell. civ. antea tamen quoque, sed per adulationem, ita a Virgilio appellatur, Ecl. 1.
*Deus nobis hæc otia fecit.*

12. *Purpureo bibit ore.*) Deorum statuis os seu vultus minio pingebatur. Quo respexisse Horatium, non dubitaverim.

*Nectar.*) Vide quæ mox annotabo ad eas voces, *ducere nectaris succos.*

13. *Hac te merentem, Bacche, &c.*) Ista pariter virtute clarus, o Bacche, meruisti divinos honores, ferasque intractabiles ad currum tuum junxisti, ac numine tuo domitas jugum ferre docuisti natura sua indociles. Tigres ebriosorum feritatem optime designant: unde iis Bacchi currum trahi dixere; seu quod nullum sit tam ferox ingenium, quod non vino mansuescat & cicuretur.

15. *Hac Quirinus Martis equis Acheronta fugit.*) Romulus etiam virtute bellica insignis, veluti Martis patris sui equis invectus ad Superos evasit, adeoque infernales effugit lacus. Vide Cic. 1. de Legib. n. 3.
Ovid. Fast. 2.

*Fit fuga: Rex patriis astra petebat equis.*
*. . . . . . . . . . . . . . Quirites*
*Thura ferant: placetque novum pia turba Quirinum.*
*. . . . . . .*
*Templa Deo fiunt: collis quoque dictus ab illo est.*

17. *Gratum elocuta consiliantibus Junone Divis.*) Junone in Deorum consilio elocuta rem Marti aliisque gratam; scilicet non prohibere se quominus immortalibus accenseatur Romulus, quod graves iras adversus Trojanos eorumque posteros Paridis causâ dudum conceptas ipsa ex animo jam deposuerat.

*Consiliantibus.*) Deliberantibus de recipiendo in cœlum Romulo, deque fato imperii Rom. Cic. ad Attic. lib. 15. Epist. 10. *difficili ad conciliandum legatione.* Cornel. Tacit. Histor. 2. *redire omnes Bononiam consiliaturi.*

18. *Ilion, Ilion.*) Motum animi gravem indicat geminatio vocis, veteremque iram exprimit. Porro sicut a Troe Rege Troja & Troas; sic ab Ilo ejus filio Ilium & Ilienses nomen sortiti sunt: cum hic eam ampliasset urbem, quam priores condiderant reges aut exornarant.

19. *Fatalis incestusque judex, &c.*) Ilium, inquit Juno, perdidit Paris inter Deas de pulchritudine contendentes malo suo patriæque *fato, judex* electus, cum Junone & Minerva posthabitis, Veneri primas detulit.

*Incestus.*) Qui Helenam Menelai conjugem, violata hospitii sanctitate, *rapuit.* Vide lib. 1. Od. 15.

20. *Et mulier peregrina vertit in pulverem.*) Helena Spartana a Paride e Græcia in Phrygiam abducta in causa fuit cur Græci injuriam ulturi conjurasint in Trojanos, Trojamque decennali bello captam ferro flammaque devastarint. Vide Senec. Trag. Troad.

21. *Ex quo Laomedon, &c.*) Hic declaratur prima excidii Trojani origo, nimirum fraus Laomedontis patris Priami. Is enim Trojæ muros ædificans, Neptuni & Apollinis operâ usus eos *mercede pacta* defraudavit. Quo Jupiter offensus regni istius perniciem & ruinam sanxit. Tam notæ fabulæ dedit locum quod Rex ille cum exstruendis urbi muris vel reparandis pecunia deesset, Deorum istorum thesauros & ornamenta templi, vel in hoc depositam pecuniam accepit, reposituRUM

Digitized by Google

Cum populo & duce fraudulento.
Jam nec Lacænæ splendet adulteræ
Famosus hospes: nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit:
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus & graves
Iras, & invisum nepotem,
Troica quem peperit Sacerdos,
Marti redonabo: illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, & adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter sæviat Ilion

## INTERPRETATIO.

*Non amplius mœcha Lacedamoniæ fulget hospes infamis: neque Priami gens fraudulenta Græcos feroces expugnat viribus Hectoris: quievitque bellum nostris discordiis protractum: ergo etiam deinceps grandes inimicitias, & nepotem odiosum, quem genuit sacrificula Troiana, Marti remittam: hunc ego sinam ingredi domicilium splendens, bibere nectareos liquores, atque numinum felici numero accenseri: dummodo Troiam inter & Romam ingens mare fremat;*

## ANNOTATIONES.

eum sacramento se obligans. Quod temen postea minime præstitit. Homer. Iliad. 21. paulo ante finem.

22. *Mihi castæque damnatum Minerva, &c.*) Addictum, damnatum, traditum ad quamcumque perniciem in ultionem injuriæ judicio Paridis nobis illatæ. Loquitur Horatius ex more Romanorum, debitores qui non erant solvendo, creditoribus obnoxios facere, addicere, tradere consuetorum.

24. *Cum populo & duce fraudulento.*) Apud Homerum Iliad. mox cit. Neptunus Apollini exprobrat, quod pro Trojanis fœdifragis militet, immemor superbiæ & injuriæ Laomedontis, qui locetæ in annum operæ pactam mercedem nedum persolveret, etiam minas sibi Diis intentaral. Virg. Æn. 5. v. 810.

*Cuperem cum vertere ab imo*
*Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.*

25. *Jam nec Lacænæ splendet, &c.*) Non vivit amplius Paris, nec jam speciosum ac splendidum Helenæ se ostentat; ut in adulterium pelliciat.

26. *Famosus hospes.*) Impurus. Vide lib. 3. Od. 15. v. 3. annot.

*Nec Priami domus, &c.*) Nec Trojani Græcis jam repugnent Hectoris fere unius virtute nixi. Vide lib. 2. Od. 4. v. 10. ibique annot.

29. *Nostrisque ductum seditionibus bellum resedit.*) Tandemque finitum est illud bellum, quod nostris est discordiis ad annos decem productum & dilatum. Pro Trojanis videlicet stabant Apollo, Mars, Diana, Latona, Venus: pro Græcis autem Neptunus, Mercurius, Vulcanus, Juno, Minerva. Homer. Iliad. 20.

30. *Resedit.*) Quievit, pacatum est bellum. Cic. ad Famil. lib. 8. Epist. 2. *Marcelli impetus resederunt, non inertiâ, sed (ut mihi videbatur) consilio.* Tuscul. 3. *timor animi resedit.* Tit. Liv. *postquam iræ resedissent.*

*Protinus & graves iras, &c.*) Deinceps igitur condonabo priores inimicitias, & Marti concedam ut in cœlum admittatur Romulus ejus filius, meus vero *nepos* eo mihi *invisus*, quod e stirpe Trojana sit, matre scilicet Ilia, seu Rhea Numitoris filia Vestæ Sacerdote: Virgil. Æneid. 1. v. 278.

*. . . . . . donec Regina Sacerdos*
*Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.*

Et Æneid. 7. v. 293.

*Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris*
*Fata Phrygum!*

At cit. mox Æn. 1. v. 281. Veneri prædicit Jupiter meliora, & sic spondet:

*Quin aspera Juno,*
*Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat,*
*Consilia in melius referet: mecumque fovebit*
*Romanos rerum dominos gentemque togatam, &c.*

34. *Ducere nectaris succos.*) Cœlesti cibo potuque, adeoque immortalitate frui: Deorum consortem esse. Apud Pindar. dicitur Tantalus Deorum furatus nectar & ambrosiam, in quibus Dii immortalitatem posuerunt. Vide Lucian. in fabulosis, Dialog. 25. cui titul. *Deorum Concilium*. ubi facete & lepide nectar & ambrosia deficere dicuntur ob multitudinem bibentium, sic ut mnâ jam constet sexterius, unde & statuitur animadvertendum in falso ascriptos, & nescio quomodo existimatos Deos.

35. *Quietis ordinibus Deorum.*) Apud Boetium Deus stabilis *Immotusque manens dat cuncta moveri*. Virgil.

*Scilicet is superis labor est: ea cura quietos*
*Sollicitat.*

Nempe solius divinitatis est quies.

37. *Dum longus inter, &c.*) Dummodo Ilium inter & Romam magnum interfluat mare, quo Ro-

Digitized by Google

Romamque pontus; qualibet exules
  In parte regnanto beati.
    Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum, & catulos feræ
Celent inultæ; stet Capitolium
  Fulgens, triumphatisque possit
    Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, quà medius liquor
  Secernit Europen ab Afro,
    Quà tumidus rigat arva Nilus:
Aurum irrepertum, & sic melius situm,
Cùm terra celat, spernere fortior,
  Quàm cogere humanos in usus,

## INTERPRETATIO.

*quacumque in regione imperent fortunati, extorres. Modo super sepulcrum Priami & Paridis greges lasciviant, & belluæ illæsæ fœtus suos abscondant, stabile floreat Capitolium, & Roma bellicosa leges imponat victis Medis.* Illa *formidabilis procul ad extremas* orbis *partes famam propaget; sive ubi mare interfluens separat Europam ab Africa; sive ubi Nilus intumescens agros perfundit; generosior contemnendo aurum nondum inventum, atque ita convenientius positum, dum terra contegit; quàm addicendo* illud *usui hominum,*

## ANNOTATIONES.

Romani a restituenda Troja, repetendaque vetere patria deterreantur, arceanturque; *qualibet in* orbis *parte* sint *beati*; quin & *regnent* ac dominentur; at *exulent* procul a regione & solo patrio.

40. *Dum Priami Paridisque busto, &c.*) Modo tam deserta sit Trojana terra ut gramen producat armentis pascendis idoneum, sit & lustrum ferarum, ubi impune illæ catulos eniti & educare queant absque ullo metu. Ea conditione *stet Capitolium*, Roma floreat, atque *nomen*, famam Imperiumque *ad ultimas extendat oras*. Ad Orientem *det jura Medis*; ad Occidentem Hispanis, *quà medius liquor, &c.* ad Meridiem, Afris, *quà tumidus rigat, &c.*

44. *Dare jura Medis.*) Ubi regnum aliquod in provinciam redegerant victores Romani, eo statim mittebant viros, qui jus & leges præscriberent.

*Medis.*) Id est, Parthis, ut jam haud semel annotavi.

46. *Quà medius liquor secernit Europen ab Afro.*) Ad fretum usque Gaditanum. Solin. *Oceanus ab Occasu irrumpens lævo latere Europam radit, Africam dextro; scissis Calpe & Abylâ montibus, quos dicunt columnas Herculis; inter Mauros funditur & Hispaniam.*

48. *Quà tumidus rigat arva Nilus.*) Per Africam, Æthiopiam, Ægyptum. Cic. 2. de Nat. Deorum n. 130. *Ægyptum Nilus irrigat, & cum tota æstate obrutam oppletamque tenuerit; tum recedit, mollitosque & oblimatos agros ad serendum relinquit.* Plin. lib. 5. c. 9. *Nilus incertis ortus fontibus it per deserta & ardentia, immenso longitudinis spatio ambulans .... observatum est, prout in Mauritania nives imbresve satiaverint, ita Nilum increscere .... Africam ab Æthiopia dispescens, feris & belluis frequens ... medios Æthiopas secat ... Insulas innumeras spargit ... certis diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum, fœcundus innatat terræ. Causas incrementi varias prodidere ... incipit crescere Lunâ novâ, quæcumque post solstitium est, sensim modiceque Cancrum Sole transeunte, abundantissime autem Leonem. Residit in Virgine, iisdem quibus accrevit, modis. In totum autem revocatus intra ripas, in Libra, ut tradit Herodotus, centesimo die. Justum incrementum est cubitorum sexdecim. Minores aquæ non omnia rigant: ampliores detinent, tardius recedendo ... in duodecim cubitis famem sentit Ægyptus: in tredecim esurit: quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sexdecim delicias. Maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum octodecim, Claudio Principe, &c.* Nili aquas laudant Aristot. Galen. &c. originem nuper inquisivit Isaacus Vossius. De eo multa Herodot. lib. 2. Senec. nat. qu. lib. 4. A. Gell. lib. 10. cap. 7. &c.

49. *Aurum irrepertum, &c.*) Ordo est: Roma fortior spernendo aurum quod e fodinis nondum erutum est, quam illud inde eruendo & ad usum fabricando, nummosque cudendo. De contemptu divitiarum apud Priscos Romanos usitato Val. Max. lib. 4. c. 3. De Curio, Fabricio, Camillo, aliisque diximus lib. 1. ad Od. 12. & alibi.

*Sic melius situm, cùm terra celat.*) Seu quod raptoribus non est expositum, dum latet in visceribus terræ; seu potius, quod tunc avaritiam & cupiditatem non accendat, nec ad scelus impellat, aut ad explendas libidines fomitem præbeat & facultatem. Ovid.

*Effodiuntur opes irritamenta malorum.*

51. *Cogere, &c.*) Vis siquidem interri metal-

lis

Digitized by Google

Omne sacrum rapiente dextrâ.
Quicumque mundi terminus obstitit,
Hunc tangat armis: visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ pluviique rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Troiæ.
Troiæ renascens alite lugubri
Fortuna tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis & sorore.
Ter si resurgat murus aheneus,
Auctore Phœbo; ter pereat meis

INTERPRETATIO.

*mnan quodlibet sanctum deprædante. Quisquis mundi finis impedivit, hunc bello obtineat, cupiens investigare, quo loco æstus, qua nubila & imbres sæviant. Verum fata sancio Romanis militiâ inclytis ea conditione, ut non plus quam fas est pii, neve opibus innixi satagant antiqua Troiæ domos instaurare.* Namque *sors Troiæ resurgens infaustis auspiciis repetetur casu iterum luctuoso, triumphantis exercitus ductrice me Jovis uxore & sorore. Si ter ex ære mœnia reparentur, favente Apolline: ter* quoque *diruta prosternantur*

ANNOTATIONES.

lis videtur, cum e terræ visceribus extrahuntur.

52. *Omne sacrum rapiente dextrâ.*) Duplici hoc sensu potest accipi: vel quod a Romanis spernatur aurum, cujus rapiendi causa nec sacris parcunt homines: vel quod ipsi Romani, prisci nempe, fortiores & nobiliores aurum contemnendo se præbuerint, quam posteri illud ab exteris nationibus devictis auferendo, sacra etiam e templis ac pretiosa quælibet ornamenta vi armorum & jure belli diripiendo. Dionys. Tyrannos Syracusanus Jovi Olympio detraxit amiculum aureum, addito etiam ludibrio, quod æstate gravior, hyeme frigidior esset. Val. Max. &c.

53. *Quicumque mundi terminus obstitit, &c.*) Si quis ante orbis angulos Romanis haud patuit, deinceps pateat, eoque victricia inferant arma: seu ad Zonam torridam, ubi *debacchantur ignes*, sævitque æstus: seu ad mundi polos, ubi *nebulæ*, glacies, caligo perpetua, *pluvii rores*, imbres. Vide lib. 2. Od. 12. Lucret. lib. 5. ponit etiam *rores* pro imbribus & aquis pluviis:

57. *Sed bellicosis fata Quiritibus, &c.*) Bis jam dixi, & tertium repeto, me Romanis indulgere, ut sint orbis domini, sed ea tantum lege, ne præposterâ moti pietate in patriam avorum suorum Trojam, ejus muros & *tecta velint reparare;* neve suis opibus ac *rebus* prosperis *fidentes*, id unquam moliantur. Quod si fecerint, malis auspiciis & *alite lugubri* faxint: enimvero *tristi clade* iterum subvertetur *Troja*, quamvis *muris aheneis*, *auctore* etiam *Apolline*, stabiliatur.

59. *Avitæ.*) Æneas cum Trojanorum colonia *Ilium in Italiam portavit victosque Penates.* Æneid. 1.

60. *Tecta velit reparare Troiæ.*) Patriæ certe charitatis in illum antiquæ suæ originis locum Romani sensum habere se testati sunt haud semel. Nam deletum a C. Fimbria Cinnæ legato Ilium restauraverunt. Vide Tit. Liv. Epit. 83. Appian. Sueton. Claud. cap. 25. *Iliensibus quasi Romanæ gentis auctoribus tributa in perpetuum remisit: recitata vetere epistola Græca Senatus Populique Romani Seleuco Regi amicitiam & societatem ita demum pollicentis, si consanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset.*

61. *Alite lugubri.*) *Mala avi.* lib. 1. Od. 15. Ex avium aspectu, volatu, cantu, auspicia captari solita, notum est.

64. *Conjuge me Jovis & sorore.*) Virg. Æn. 1.

*Ast ego quæ Divûm incedo Regina, Jovisque*
*Et soror & conjux.*

Servius ibid. *Physici*, inquit, *ætherem Jovem, id est ignem volunt intelligi, Junonem vero aerem, & quia tenuitate hæc elementa paria sunt, dixerunt esse germana: & quoniam Juno, id est aer, igni subjectus est, jure superposito elemento mariti nomen inditum.* Cicero 2. de Nat. Deor. num. 66. *Aer, ut Stoici disputant, interjectus inter mare & cœlum Junonis nomine consecratur; quæ est soror & conjux Jovis: quod & similitudo est ætheris, & cum eo summa conjunctio. Effœminarunt autem eum, Junonique tribuerunt, quod nihil est eo mollius.* Macrob. In Somn. Scip. lib. 1. cap. 17. *Apud Theologos*, inquit, *Jupiter est mundi anima*, *hinc illud:*

Ab Jove principium Musæ; Jovis omnia plena.

*Quod alii Poetæ sunt mutuati de Arato, qui de sideribus locuturus, a Cœlo, in quo sunt sidera, exordium sumendum esse decernens, ab Jove incipiendum memoravit. Hinc Juno & soror ejus & conjux vocatur. Est autem Juno aer: dicitur que soror, quia seminibus iisdem, quibus cœlum, etiam aer est procreatus: conjux, quia cœlo subjectus est aer.*

66. *Auctore Phœbo.*) Hunc impense Trojanis favisse compertum est. Legunt quidam *ductore*.

Digitized by Google

Excisus Argivis: ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non hæc jocosæ conveniunt lyræ.
Quo, Musa, tendis? Desine pervicax
Referre sermones Deorum, &
Magna modis tenuare parvis.

INTERPRETATIO.

*a Græcis mihi dilectis: ter captiva conjux plangat maritum ac filios. At ludenti citharæ ista minime congruunt. Quo pergis, o Musa? cessa narrare pertinax verba numinum, atque humili carmine diminuere grandia.*

ANNOTATIONES.

*Ter pereat.*) Allnsum videtur ad triplex Ilii excidium; primo ab Hercule, deinde a Græcis, postea a C. Fimbria, Syllanis temporibus, ut ante ennotavi. Vide Appianum.

*Meis excisus Argivis.*) Argivos Juno fovebat maxime, quod ipsa præcipue Argis colebatur; quæ urbs Argiæ Peloponnesi regionis princeps & caput erat. In ea sedebat Rex Agamemnon Græcæ in Trojanos expeditionis Dux & Imperator. Virgil. Æn. 1. v. 27.

*Memor Saturnia belli,*
*Prima quod ad Trojam pro caris gesserat Argis.*

67. *Ter uxor capta, &c.*) Vel Trojanæ mulieres qualibet cæsos aut captos lugeant & ipsæ captivæ, aliæ viros suos, aliæ filios. Vel, *uxor capta virum*, Hecube Priamum, Andromache Hectorem; *puerosque ploret*, hæc Astyanacta, illa vero Hectorem, Parin, Deiphobum, Troilum, &c.

69. *Non hæc jocosa conveniunt lyræ, &c.*) Egregie se Poete comprimit in ipso Poetici ardoris impetu, quasi tam grave argumentum haud Lyricis versibus bene conveniat: ipse tamen ad Pisones ita docet:

*Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,*
*Et juvenum curas, & libera vina referre.*

Et Pindarus eliique res quasque graves lyrâ graviter cecinerunt. Verum belle Horatius tum desinit, cum ultra vix sine offensione Augusti progredi se posse intelligeret.

# ODE VI.

*Musarum se præsidio tutum semper, & ubique fuisse, gratus profitetur.*

1 Descende cœlo, & dic age tibia

INTERPRETATIO.

*O Princeps Calliepe, veni ex Olympo:*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

Oden hanc inter eximias censet eruditus quisque: respondere superiori, imo & continuari, placuit nonnullis; sed perperam. Musis accepta refert Horatius pleraque, id vero potissimum, quod redierit in gratiam cum Augusto, contra quem militaverat. Hinc ejus Principis moderationem & clementiam extollit egregie: eoque duntexat spectasse, non immerito videatur.

1. *Descende cœlo.*) Gravis & solemnis invocatio res graves notet, gravemque enthusiasmum præsagit. *Cœlo.*) Illic etiam Musis sua sedes est. Hesiod. init. Theogon. nec semel, Musas nuncupet *Olympiades Jovis filias*: Pariter & Homer. Hymn. in Mercur. &c. Iliad. vero 2. in cœlo domus habere scribit:

*Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι*
*Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.*

Ennius similiter,

*Musa quæ pedibus magnum pulsatis Olympum.*

Vide & Macrob. in Somn. Scip. lib. 2. cap. 3.

Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acutâ,
Seu fidibus citharâve Phœbi.
Auditis? An me ludit amabilis
Insania? Audire, & videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos & aquæ subeunt & auræ.
Me fabulosæ Vulture in Appulo,
Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo fatigatumque somno,
Fronde novâ puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsæ nidum Acherontiæ,

## INTERPRETATIO.

*& cantionem longiorem sane fistulâ, sive placet magis, voce clarâ, vel chordis, aut lyrâ Apollinis.* An *auditis? An me decipit jucundus furor? Videor audire &* cernere, illam *ambulantem in sacris nemoribus, per quæ rivi penetrant ac venti. Me puerum defessum ludendo, somnoque* oppressum *celebratæ palumbes recentibus foliis cooperuere in Vulture Appulo extra fines Apuliæ nutricis meæ. Quæ res admirationem cunctis fuisset, quotquot sublimis Acherontiæ domos incolunt,*

## ANNOTATIONES.

1. *Regina Calliope.*) Musarum princeps, vel cantu aliis præstans: Regum etiam comes. Hesiod. Theogon. ἣ δὲ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων, *omnium excellentissima.* ἣ γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ᾽ αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ. *Reges comitatur.* Diod. Sicul. l. 5. c. 1. *Musis nomina: cuique a proprio munere tribuerunt. Clio propter gloriam, &c. . . Calliopen, quod cantus suavitate cæteras antecedens magni ab auditoribus æstimetur.*

*Longum melos.*) Certe est Ode hæc e longioribus. Vide Agell. lib. 16. cap. 18.

3. *Seu voce, seu fidibus, &c.*) Istis nempe constat exerceturque Musica, voce, lyrâ, tibiâ. De cithara ab Apolline inventa, lib. 1. Od. 21.

5. *Auditis? An me ludit, &c.*) O sodales, an meum auditis Calliopen canentem, meisque jam votis respondentem?

*Amabilis insania.*) Voluptatem sane maximam præstat ardor poeticus iis, qui divina illa facultate sunt donati.

6. *Audire, & videor pios errare per lucos.*) Veluti præsentiam numinis sentiat, atque enthusiasmo correptus ita loquitur.

7. *Lucos.*) In solitariis maxime locis delubra statuebant veteres: ibique Deos credebant libentius habitare ubi quies & silentium, ubi nullæ turbæ aut strepitus mentium integritatem labefactarent: ubi *Sapientiæ gymnasium, ubi mores bene instituuntur, & animi virorum dirigantur.* Hæc enim solitudo præbet, ex Plutarcho.

8. *Quos & aquæ subeunt & auræ.*) Perfluentes aquæ, & aspirantes seu perflantes auræ ac Zephyri amœnos faciunt in primis lucos.

9. *Me fabulosæ, &c.*) Hæc strophe magnam interpretibus crucem fixit hactenus. Atenim quo referenda vox *fabulosæ?* Deinde, quid ait Poeta de *Vulture Appulo, extra Apuliam?* Quod primum spectat; sunt qui Apuliam dici fabulosam velint, ac de insulis etiam Diomedeis Apuliæ proximis mera ipsi fabulas texant. Quidam nutricem Horatii Apuliam vocari, quæ fabulosa narrare solita sit, comminiscuntur: papæ! cudere se anile figmentum nec advertunt. Verum enim, an palumbes (quod restat) fabulosas dicat Poeta, quando rem ut vere gestam commemorat? Ita sane melioris notæ Interpretes. Imo *palumbes fabulosæ,* Inquam ego; sicut *hydaspes fabulosus,* l. 1. Od. 22. v. 8. Et apud Plin. lib. 5. c. 1. *Atlas mons Africæ vel fabulosissimus:* nimirum quod de illis valde multa scribunt, dicunt, fabulantur; præsertim vero *Poetæ.* Sic palumbes currui Veneris trahendo jungunt: eique numini sacras, atque, ut hoc loci, ministras faciunt.

*Vulture in Appulo altricis extra limen Apuliæ.*) Est Vultur mons in Apuliæ Lucaniæque confinio, quemadmodum & Venusia Horatii patria & *altrix.* Itaque nullo negotio omnis solvetur, si quis est, nodus. Erat *in Appulo Vulture* Poeta, ibique obdormivit puer; extra fines tamen Apuliæ tum fuit; siquidem versabatur in istius latere montis ad Lucanos respiciente, & pertinente. Sic de seipso ait, Sat. 1. lib. 2. vers. 34.

*Lucanus, an Appulus, anceps.*
*Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.*

12. *Fronde novâ puerum palumbes texere.*) Jam tum suam mihi tutelam obtulere Dii, quam postea abunde expertus sum.

*Palumbes.*) Columbæ silvestres.

14. *Nidum Acherontiæ.*) Acherontia est urbs Lucaniæ in montis vertice, ut nidus in arboris fastigio posita. Cic. 1. de Orat. n. 196. *Tanta vis*

pa-

Digitized by Google

Saltusque Bantinos, & arvum
　Pingue tenent humilis Ferenti:
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem & ursis: ut premerer sacrâ
　Lauroque, collatâque myrto,
　　Non sine Diis animosus infans.
Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos: seu mihi frigidum
　Præneste, seu Tibur supinum,
　　Seu liquidæ placuere Baiæ.
Vestris amicum fontibus & choris,
Non me Philippis versa acies retro,
　Devota non exstinxit arbor,
　　Nec Siculâ Palinurus undâ.
Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosphorum
　Tentabo, & arentes arenas

## INTERPRETATIO.

*& Bantiæ campos, agrosque opimos Ferenti depressi: quo pacto somnum caperem securo corpore a nigris viperis atque ursis: qua etiam ratione contectus essem sacratâ lauro, & myrto congestâ, puerulus ego non absque numinum tutela impavidus. Vester, o Musæ, vester sum; seu vehor ad Sabinos asperos: sive algidum Præneste, seu declive Tibur, seu Baias amœnas adire libuerit. Vestros fontes & choros amantem haud me vitâ privavit adductum in fugam exercitus apud Philippos, neque arbor execranda, neque Palinurus in mari Siciliæ. Quandocumque mihi vos aderitis, ultro Bosphorum æstuosum navigabo, & peragrabo sicca sabula*

## ANNOTATIONES.

*patriæ est, ut Itacham illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret.*

15. *Saltusque Bantinos.*) Bantia oppidum est Apuliæ in Lucaniæ confinio, pascuis abundans, Venusiæ proxima.

16. *Humilis Ferenti.*) Hæc etiam urbs Apuliæ. Lucaniæ fines attingit, inter Venusiam & Acherontiam sita.

17. *Ut tuto ab atris, &c.*) Circumstantibus nempe istarum urbium incolis mirum visum est, qui fieret, ut puer ego dormirem tutus illic tum a viperarum venenis, tum & ab ursorum voracitate. Quo etiam præsagio obtectus essem laureâ Apollini, myrtoque Veneri consecratâ. Illinc autem ostensum est Poetam me fore, hinc vero ad canendas res amatorias destinari.

20. *Non sine Diis.*) Pindar. Pyth. Od. 5. ὁ Θεῶν ἄτερ. Virgil. *non sine numine Divûm*. Sallust. *Tanta repente mutatio non sine Deo videretur.*

21. *Camœnæ.*) A canto Servius, a castitate mentis Festus nomen hoc factum ajunt.

*In arduos tollor Sabinos.*) Sive quando montosam Sabinorum regionem scando, pergens ad prædium meum ibi situm. Supra, in fine primæ Odes hujus libri.

22. *Frigidum Præneste.*), Latii oppidum frigidas habens & salubres aquas. Strabo lib. 5.

23. *Tibur supinum.*) In montis ascensu ædificatum. De eo lib. 1. Od. 7. & 18.

24. *Liquidæ Baiæ.*) Urbs Campaniæ maritima, calidis aquis, aere puro, secessu grato celebrata. Lib. 2. Od. 18.

25. *Vestris amicum fontibus, &c.*) Ope vestra & patrocinio quoties salvus fui? Primo non perii in cæde ac fuga exercitûs Bruti & Cassii, ad Philippos urbem Thessaliæ. Lib. 2. Od. 7. Deinde me non oppressit arbor *cerebro* prope *illapsa*: de qua lib. 3. Od. 13. & 17.

27. *Devota.*) Diris nempe, sacra, detestabilis. Postea cum e Philippensi bello redirem in Italiam, periclitatus sum graviter quidem, at naufragium tamen non feci ad promontorium Lucaniæ nominatum a Palinuro Æneæ nauclero illic merso, quod mari Siculo perfunditur.

29. *Utcumque mecum vos eritis.*) Vestram ergo tutelam sæpe expertus nihil est quod usquam formidem, nullum certe non periculum intrepidus adibo, vestrâ fretus ope & præsidio.

30. *Insanientem Bosphorum.*) Æstuosas ac frementes maria angustias. Lib. 2. Od. 13. v. 14. Virg. Eclog. 9. v. 43.

*Huc ades: insani feriant, sine, litora fluctus.*

31. *Arentes arenas litoris Assyrii.*) Quidam le-

Digitized by Google

Litoris Assyrii viator:
Visam Britannos hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum:
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Cæsarem altum, militiâ simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium & datis, & dato

INTERPRETATIO.

*finium Syria: pergam ad Britannos advenis crudeles, atque ad Concanos cruoris equini poto gaudentes: Gelonos pharetram gestantes, atque fluvium Scythiæ adibo illæsus. Vos magnum Augustum finem laboribus petentem oblectatis in specu Pierio, quando fatigatas bello turmas in urbibus collocavit. Vos mansuetum animum & donatis, & donato*

ANNOTATIONES.

legunt *arentes*. Intellige Syriæ seu Assyriæ vel fines extremos: nam veteribus quælibet regionum & agrorum extremitates, litora vocabantur: vel solitudines arenosas & ferventes, in quibus viatores æstu soluti nonnunquam intereunt. Ab Assur filio Sem dicta Assyria, Asiæ regio, Mesopotamiæ affinis, ab ea Tigri flumine distincta. Isidor. Etym. S. Aug. Quod si placet Assyriam poni pro Syria: hæc certe ad mare extenditur, ejusque tenet litus. Plin. lib. 5. cap. 12. *juxta Syria litus occupat, quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus . . . Assyria ante dicta, &c.*

33. *Britannos hospitibus feros.* ) Ab his olim hospites immolari solitos ajunt: sicut apud Tauricæ regionis populos factum constat. Vide Euripid. Iphigen. in Tauris.

34. *Lætum equino sanguine Concanum.* ) Concani Cantabrorum pars, apud Hispaniam Tarraconensem, Massagetarum colonia fuere; quædam habuere communia cum Thracibus & Scythis, quantum ad crudelitatem belluinumque ritum, ex Strabone lib. 3. Istis omnibus, sicut & Sarmatis mos erat, e pedis vel cruris equini venis eductum sanguinem lacti permixtum potare. Plin. lib. 18. cap. 10. *pulte aluntur, & cruda etiam farina, equino lacte vel sanguine e cruris venis admisto.* Virgil. Georg. 3. v. 460.

*Inter*
*Ima ferire pedis salientem sanguine venam:*
*Bisaltæ quo more solent, acerque Gelonus;*
*Et lac concretum cum sanguine potat equino.*

Martial.

*Venit & epoto Sarmata pastus equo.*

Sil. Italic. lib. 3.

*Nec qui Massagetem monstrans feritate parentem,*
*Cornipedis fusâ satiaris, Concane, venâ.*

35. *Pharetratos Gelonos.* ) Scythiæ populos, de quibus lib. 2. Od. 9. & 20. Virgil. Æneid. 8. *Sagittiferus.*

36. *Scythicum amnem.* ) Tanaim fluvium, (vernac. *Don*) inter Europam & Asiam limitem celeberrimum.

Lucan. lib. 3.

*vertice lapsus*
*Riphæo Tanais diversi nomina mundi*
*Imposuit ripis, Asiæque & terminus idem*
*Europæ, media dirimens confinia terræ.*

37. *Vos Cæsarem, &c.* ) Vos etiam, o Musæ, Augustum Cæsarem, post bellicos labores, recreatis cantionibus vestris ac modulis poeticis: *in antro Pierio*, secessu & otio liberali.

*Militiâ simul fessas cohortes abdidit oppidis.* ) Cum in urbibus copias, hyemandi causa, seu in hybernis collocavit.

39. *Finire quærentem labores.* ) His quidam alludi volunt ad id, quod refertur, Augustum quietem optasse & vacationem a Republica petivisse. Vide Sueton. Oct. cap. 28. Sed potius notatur Augusti consuetudo per hyemes vacandi literarum studio, ingenii deliciis, carminum scriptioni. Sueton. Octav. cap. 84. *Eloquentiam studiaque liberalia ab ætate prima & cupide & laboriosissime exercuit, &c.* cap. 85. *Multa varii generis prosâ oratione composuit . . . . . Poeticam summatim attigit. Unus liber exstat scriptus ab eo hexametris versibus, cujus & argumentum & titulus est, Sicilia. Exstat alter æque modicus Epigrammatum, quæ fere tempore balnei meditabatur. Tragœdiam magno impetu exorsus non succedente stylo abolevit.* De Ajace illa erat, &c.

40. *Pierio recreatis antro.* ) Pierius mons est Thessaliæ Musis sacer. Inde Pierides illæ dictæ sunt, & quicquid ad eas pertinet Pierium vocare notum est ac tritum. Cicero de Natura Deorum, a Pierio patre nomen desumit: at Sext. Pompejus a dicto monte, cujus amœnitas & solitudo opportuna est & grata studiosis.

41. *Vos lene consilium & datis.* ) Humanæ literæ, quæ ad humanitatem & lenitatem instituant, dictæ. Suet. Octav. c. 51. *Clementiæ civilitatisque ejus multa & magna documenta sunt, &c.* Vide cap. seq. ibid. Erga literatos & ingenio-

Digitized by Google

Gaudetis almæ. Scimus ut impios
Titanas, immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, & urbes, regnaque tristia,
Divosque, mortalesque turmas
Imperio regit unus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens juventus horrida brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.

## INTERPRETATIO.

*benigna latamini. Novimus quomodo sceleratos Gigantas, ac ferocem phalangem misso fulmine profligarit is, qui terram immobilem, qui mare ventis obnoxium moderatur, atque oppida, mœstamque regionem, Deosque & homines solus gubernat potestate legitima. Jovi metum ingentem incusserant immanes illi juvenes lacertis confisi, & fratres Pelion superaddere conati Olympo umbroso.*

## ANNOTATIONES.

niosos benignitate ac liberalitate summa usum, nemo nescit. Sueton. cap. 89. *Ingenia sui sæculi modis omnibus fovit. Recitantes & benigne & patienter audivit, &c.*

*Consilium.*) Adverte duas breves pro una longa, sic & postea Ode 6.

*Hinc omne principium.*

*Dato gaudetis.*) Non vos pœnitet datæ Cæsari humanitatis, qua vestros clientes fovet. Sueton. mox cit.

42. *Scimus ut impios Titanas, &c.*) Clare patet per Jovem designari Augustum, per Titanas & Gigantas omnes Augusti adversarios, quibus sublatis ac virtute domitis rerum potitus est. Mire vero Augusto blanditur, dicens pro eo stetisse Palladem, id est, sapientiam cum virtute conjonctam; Bruto vero & Cassio fuisse vim consilii expertem, quæ propriâ mole corruerit. Porro ista Cæsaris elogia allegoricis ambagibus ingeniose exornat.

*Impios Titanas.*) Terræ ac Titanis filios, Gigantas, qui Deos lacessere ausi Jovemque cælo pellere moliti sint: quasi patris ulciscendi causa, ad quem hæreditario jure cæli regnum pertineret, utpote fratrem Saturni natu majorem. Vide lib. 2. Od. 12. & 19. Virg. Æneid. 6. v. 580.

*Genus antiquum terræ, Titania pubes,*
*Fulmine dejecti.*

Diodor. Sicul. lib. 4. cap. 3. scribit Cœlum e Titea uxore decem & septem filios procreasse, proprioque nomine singulos, communi autem omnes, a matre Titanas appellasse.

*Impios.*) Macrob. Saturnal. lib. 1. c. 20. *Quid Gigantes aliud fuisse credendum est, quam hominum impiam quamdam gentem, Deos negantem: & ideo existimatam Deos pellere de cælesti sede voluisse? Horum pedes in draconum volumina desinebant: quod significabat nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu atque processu in inferna mergente.*

45. *Terram inertem.*) Lib. 1. Od. 34. *bruta tellus.*

46. *Regnaque tristia.*) Inferos. Nec enim credendum Cruquio interpretanti, Tyrannidem, ob vocem, *urbes*, Inferis haud convenientem, inquit ille: quasi vero jungenda essent hæc, *urbes, regnaque tristia*. Imo Jovis Imperium extendit Poeta ad Superos Inferosque, & orbem hunc seu mare, terramque, in qua urbes. Quæ omnia complectitur his vocibus, *Divosque mortalesque turbas* regit unus, scilicet Jupiter. Virg.

*Divûm pater atque hominum Rex.*

49. *Magnum illa terrorem intulerat Jovi, &c.*) Illa Gigantum torma immani robore prædita Jovem cæterosque Deos terruit, ac *periculum inde fulgens contremuit domus Saturni veteris*: ut est lib. 2. Od. 12. Vide Hesiod. Theogon. Ovid. Metamorphos. 5. cap. 5.

*Emissumque imâ de sede Typhoea terræ*
*Cælitibus fecisse metum: cunctosque dedisse*
*Terga fugæ; donec fessos Ægyptia tellus*
*Ceperit, &c.*

50. *Fidens juventus horrida brachiis.*) Virg. Æn. 6. v. 582.

*Immania vidi*
*Corpora: qui manibus magnum rescindere cælum*
*Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.*

51. *Fratresque tendentes, &c.*) Intelligunt nonnulli Otum & Ephialtem, *Aloidas geminos*, quos memorat Virgil. mox cit. sed Gigantas omnes eodem patre, vel eadem matre genitos, adeoque fratres, melius est accipi. De his Virg. Georgic. 1. v. 280.

*Et conjuratos cælum rescindere fratres.*
*Ter sunt conati imponere Pelio Ossam*
*Scilicet, atque Ossæ frondosum involvere Olympum.*
*Ter pater exstructos disjecit fulmine montes.*

52. *Pelion imposuisse Olympo.*) Montes montibus aggerere.

*Pelion.*) Mons Thessaliæ, Olympo & Ossæ attiguus. *Olympus.* Thessaliam a Macedonia dirimit, nubes attingit vertice. Unde pro Cœlo po-

Digitized by Google

Sed quid Typhoeus, & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhœcus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis ægida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Juno, &
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos; qui Lyciæ tenet
Dumeta, natalemque silvam,
Delius & Patareus Apollo,
Vis consilî expers mole ruit sua;
Vim temperatam Dii quoque provehunt
In majus: iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.

## INTERPRETATIO.

*Verum quid Typhon & fortis Mimas, vel quid Porphyrion staturâ terribili, quid Rhœcus & Enceladus eradicatas arbores torquere nisus valeant adversus strepantem Minervæ clypeum irrumpentes? Ex hac parte certabat ardens Vulcanus, & domina Juno, nec non Phœbus arcum semper humeris gestans, qui* Castalii fontis *aquâ liquidâ passos capillos perfundit, qui Lyciæ nemora & silvam natalem obtinet, Patareus atque Delius* hinc dictus. *Robur sine prudentia propria cadit pondere. Moderatum robur ipsa numina promovent ad amplius: vires* autem *quodlibet scelus machinantes aversantur.*

## ANNOTATIONES.

ponitur sæpius apud Poetas. Sunt & alii montes ejusdem nominis tres, primus in Mysia, alter in Lycia, tertius in Cypro. Sed de his non agitur.

51. *Sed quid Typhoeus.*) Quid Gigantum vis, insolentia, temeritas, adversus Deos? Ne legas cum vulgo *Typhœus*: Τυφεῦς, qui & Τυφὼς vel Τυφὼν e τῦφος *arrogantia*: duplici fuisse natura, humana & ferina, dicitur ab Apollodoro lib. 1. & a Jove percussus eminus quidem fulmine, cominus autem adamantina falce.

*Validus Mimas.*) Hic totam Lemnon insulam jaculari in Deos nisus dicitur apud Claudianum: at ipse Prochytæ Tyrrheni maris insulæ subjectus. Sil. Ital. lib. 12.

*Apparet Prochyte sævum sortita Mimantem.*

54. *Porphyrion minaci statu.*) Ingenti staturâ insolens & minax. De eo Claudian. in Gigantomach.

55. *Rhœcus.*) Is & *Rhœtus*. Lib. 2. Od. 19.

56. *Enceladus jaculator audax.*) Tam robustus ut evulsas arbores intorqueat: omnium Gigantum maximus fuisse perhibetur. De eo postea, ad voces, *nec pedibus impositam celer ignis Ætnam.*

57. *Palladis ægida.*) Iste Palladis clypeus, quo dicitur Jupiter Gigantum repressisse audaces conatus, significat sapiens consilium virtutis comes & præsidium, sine quo ipsa parum valet. Utrumque vero Augusto adfuisse, ut ante jam annotavi, Horatius indicat. De *Ægide*, lib. 2. Od. 15.

58. *Hinc avidus stetit Vulcanus, &c.*) Pro Jove dimicarunt *Vulcanus*, *avidus*, seu quod ignis omnia corripiat & depascatur; seu quod ille pugnæ avidus, prœliumque ardens capesseret.

59. *Matrona Juno.*) Ovid. Fastor. 6.

*Si thorus in pretio est: dicor matrona Tonantis.*

*Et nunquam humeris positurus arcum, &c.*) Apollo pharetra semper & arcu instructus, quæ sunt ejus arma & insignia, de quibus vide Macrob.

61. *Qui rore puro Castaliæ, &c.*) Cui sacer fons Castalius ad radices Parnassi. Lib. 4. Od. 6.

*Phœbe, qui Xantho lavis amne crines.*

62. *Qui Lyciæ tenet dumeta.*) Sacrum erat Phœbo delubrum in silva Lyciæ, Asiæ minoris provinciæ, cujus civitas insignis Patara, in qua & ille præcipue colebatur, & oracula edebat: hinc dictus *Patareus*, Strab. l. 14. a Pataro Apollinis filio Patarem nomen habuisse scribit Stephanus.

63. *Natalemque silvam, Delius.*) Apud Delum insulam & Cynthi montis nemora natus Apollo fertur: seque ibi mensibus æstivalibus responsa dabat; sex autem hyemalibus, apud Pataram, teste Servio. Ovid. 2. de Arte:

*Clario Delos amata Deo.*

65. *Vis consilî expers mole ruit sua.*) Robur quantum quantum fuerit, nisi consilio & prudentia temperetur, & regatur, parum juvat & proficit: quin potius ut plurimum nocet, ex Euripide: *Ῥώμη δ' ἀμαθὴς πολλάκις τίκτει βλάβην.* Sic Bruti virtus & Cassii Romanæ juventutis ac no-

Digitized by Google

Testis mearum centimanus Gyas
Sententiarum notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virgineâ domitus sagittâ.
Injecta monstris terra dolet suis;
Mœretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum; nec peredit
Impositam celer ignis Ætnam.
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Custos: amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ.

## INTERPRETATIO.

*Dicta mea manifeste comprobat Gyas centum manus habens, pariter & Orion oppugnator castæ Dianæ, hujus virginis telis confossus. Terra suis portentis imposita ægre fert: atque filios ad fœtida Tartara fulmine detrusos dolet. At vorax flamma non absumit Ætnam injectam, neque libidinosi Tityi hepar dimittit vultur luxuriæ vindex appositus: amantem vero Pirithoum trecenta torquent vincula.*

## ANNOTATIONES.

nobilitatis delectu & robore quamvis stipata in irritum cecidit, quia consilio caruere: suaque illi clade & ruinâ totam prope Rempublicam implicuere. Contra Augusti virtutem sapientiâ temperatam Dii provexere ad Romani clavum Imperii, & ad orbis universi dominationem. Ipsi vero Dii omnibus iis adversantur, qui sua fortitudine abutuntur ad scelus.

69. *Gyas.* ) Vel *Gyges* Briarei frater, vel ipse Briareus, aut Gigantum quispiam ad Tartara cum aliis deturbatus. Vide lib. 2. Od. 17.

70. *Integræ tentator Orion Dianæ.* ) Hanc ille ausus interpellare de stupro, ejus sagittis est confossus ac peremptus. De eo tamen admodum aliter alii fabulantur. Vide lib. 1. Od. 28. vers. 21. & lib. 2. Od. 13. v. penultimo.

73. *Injecta monstris terra dolet suis.* ) Monstrosis filiis, nempe gigantibus, fulminatis, terra dolet, quod etiam pœnæ ac supplicio illorum servire, eosque premere cogatur ipsis injecta: unde & in ultionem suique doloris qualecumque solatium, famam, quæ Deorum probra evulgarit, dicitur genuisse, *irâ iratâ Deorum*, ut canit Virg. Æn. 4. v. 178.

*Injecta.* ) Gigantes præcipui variis sunt insulis obruti: Otus Cretâ, Prochytâ Mimas, ex Silio ante cit. vel Typhœus, ut aliis placet: insulâ Co Polybœtes: Siciliâ Enceladus, vel ut alii scribunt, Typhon seu Typhœus. Virg. Æneid. 3. v. 578.

*Fama est, Enceladi semiustum fulmine corpus*
*Urgeri mole hac: ingentemque insuper Ætnam*
*Impositam, ruptis flammam exspirare caminis.*
*Et fessum quoties mutat latus, intremere omnem*
*Murmure Trinacriam, & cælum subtexere fumo*

Ovid. Metamorphos. 5. c. 6.

*Vasta Giganteis ingesta est insula membris*
*Trinacris: & magnis subjectum molibus urget*
*Æthereas ausum sperare Typhoea sedes.*
*Nititur ille quidem, pugnatque resurgere sæpe.*
*Dextra sub Ausonio manus est subjecta Peloro:*
*Læva, Pachyne, tibi: Lilybæo crura premuntur.*
*Degravat Ætna caput, sub qua resupinus arenas*
*Ejectat, flammamque fera vomit ore Typhoeus,*
*&c.*

74. *Luridum.* ) Plumbei coloris, lividum, pallore & nigrore mixtum.

75. *Nec peredit impositam celer ignis Ætnam.* ) Neque tamen ignis per Ætnæ hiatus e Gigantis suppositi ore prorumpens absumit eum montem: adeoque non minuuntur ejus cruciatus. Vide Lucret. lib. 6. Ætnæ descriptionem, &c.

77. *Incontinentis nec Tityi jecur relinquit ales.* ) Vultur Tityi jecur vellicans haud illum unquam patitur interquiescere; quod Latonæ vim inferre tentaverit. Vide lib. 2. Od. 14.

78. *Nequitiæ.* ) Libidinem non raro notat ea vox. Cic. in Verrem: *Vestigia libidinis & nequitiæ.* Tuscul. 3. n. 17. *frugalitatis est motus animi appetentis regere & sedare, semperque adversantem libidini, moderatam in omni re servare constantiam: cui contrarium vitium nequitia dicitur. Frugalitas a fruge . . . nequitia ab eo quod nequidquam est in tali homine: ex quo idem nihili dicitur.* Gell. lib. 7. c. 11. *nequam hominem Græci dicunt ἀκόλαστον libidinosum: vel μοχθηρὸν scelestum, &c.* Vide Macrob. Saturnal. lib. 2. in fine.

79. *Amatorem trecentæ Pirithoum cohibent catenæ.* ) Amator ille temerarius Proserpinam ut raperet ad Inferos profectus, ibi catenis constrictus pœnas luit graves ac diuturnas suæ intemperantiæ.

ODE

# ODE V.

*Augusti laudes, Crassi vituperium, Reguli virtus, fides, constantia.*

Cælo tonantem credidimus Jovem
Regnare: præsens divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.
Milesne Crassi conjuge barbarâ

## INTERPRETATIO.

*Non dubitavimus Jovem cælo dominari, quando intonuit: & Augustus vivens censebitur numen, additis Imperio* Romano *Britannis & Persis terribilibus.* Ergone *Crassi miles uxoris peregrinæ*

## ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Cælo tonantem, &c.* ) Quando potentiam suam Jupiter ostendit fulgoribus ac tonitruis, tum credidimus eum in cælo regnare: sic Augustum degentem in vivis ac nobis præsentem nemo dubitabit inter numina recensere & colere, qui facinora plusquam humanæ virtutis ediderit; reparans gloriam nominis Romani per Crassum ejusque milites obscuratam & infractam. Porro quas gentes & quot Augustus subegerit, Vide apud Sueton. L. Flor. lib. ult. Sext. Aurel. Victor. Oros. lib. 6. &c.

*Tonantem credidimus Jovem regnare.* ) Cicer. de Natur. Deor. 2. *Nonne perspicuum est ex prima admiratione hominum, quod tonitrua jactusque fulminum extimuissent, credidisse ea efficere rerum omnium præpotentem Jovem?* Sueton. Octav. 29. *Tonanti Jovi ædem consecravit liberatus periculo, cum expeditione Cantabrica per nocturnum iter, lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque prælucentem exanimasset.* Lucan.

*per fulmina tantum*
*Sciret adhuc cælum cælo regnare tonantem.*

2. *Præsens Divus habebitur.* ) Non a Romanis tantum, sed & ab exteris nationibus. Nam ex Sueton. *pleraque provinciarum templa & aras constituerunt, quod aliis non nisi post mortem consigrrat.* Id factum Pergami in Asia, Nicomediæ in Bithynia refert Dio lib. 51.

Virgil. Eclog. 1.

*O Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit;*
*Namque erit ille mihi semper Deus: illius aram*
*Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.*

3. *Adjectis Britannis Imperio.* ) Ille tamen ipse *Intactus Britannus*, Epod. 7. & *post Divum Julium nulli tentatus*, nec nisi ab Imperatore Claudio triumphatus dicitur. Sueton. Claud. 17. Tacit. In vita Agricolæ, &c. Ergo quasi futuræ victoriæ præsagium scripta est hæc Ode proficiscenti ad bellum Britannicum Augusto, unde tamen revocatus est motibus ac tumultibus Dalmaticis & Pannonicis, ex Dione, lib. 49. vel eos quasi victos Poeta canit, qui ad Augustum aliquot post annis arma rursum ao parantem inferre, jamque *iturum Cæsarem in ultimos orbis Britannos*, legatos de pace miserunt: qua impetrata, Capitolio dona intulerunt, suamque Romanis insulam prope addixerunt. Testis Strabo lib. 4. οἰκείαν σχεδὸν παρεσκεύασαν τοῖς Ῥωμαίοις ὅλην τὴν νῆσον. &c. Alii; quod per Drusum Augusti privignum sint superati, ejus nempe felicibus auspiciis. Vide lib. 4 Od. 14. ad finem.

4. *Gravibusque Persis.* ) Graves Persas quidam intelligunt, quia gravis armaturæ; melius alii, ob Crassi gravissimam certe cladem; de qua mox. Hi porro, qui pro Parthis ponuntur absque dubio, dicuntur subacti, quod *Armeniam vindicanti Augusto facile cesserunt. obsides obtulerunt.* Jus creandi Regis permiserunt: adempta denique M. Crasso & Antonio signa militaria remiserunt. Sueton. Oct. cap. 21. Eutrop. Flor. Aurel. Victor. &c. Vide etiam quæ annotavi lib. 1. Od. 19. ad v. 11. Adde Xiphilinum, in Augusti Monarchia: *Phraates per id tempus metuens ne Cæsar contra se exercitum duceret, captivos ad eum remisit, & signa militaria, quæ a Crasso acceperat: qua ex re Cæsar gloria efferebatur, quod absque labore recuperasset ea, quæ alii magnis prœliis amisissent: ob eam causam sacra fecit, atque ovans in equo urbem ingressus est. Tum laudabatur, quod sibi nihil præterea acquirendum esse putaret . . . cum esset autem in Asia, regnaque & principatus partim aliis confirmasset, partim ad alios transtulisset, condemnatis quibusdam regibus, nonnullis etiam laudatis, atque in amicitiam receptis, quamplurimæ legationes ad eum venerunt, &c.*

5. *Milesne Crassi conjuge barbarâ, &c.* ) Auget Poeta invidiam ac turpitudinem Crassiani exercitûs, ut hinc majorem paret Augusto gloriam, qui dedecus illud absterserit, eos vincendo qui antea victores, & *clade Crassianâ altius animos erexerant*, ex Flor. lib. 4. cap. 9. exinde Romanis formidabiles: ut dixi lib. 1. ad Od. 19. cit.

Turpis maritus vixit? Et hostium
(Proh Curia, inversique mores!)
Consenuit socerorum in armis
Sub Rege Medo, Marsus & Appulus,
Anciliorum, nominis, & togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Jove & urbe Româ?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Fœdis, & exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum;
Si non periret immiserabilis

INTERPRETATIO.

*vir infamis extitit? Etiamne Marsus & Appulus in castris hostium socerorum consenuit sub Principe Medo, Anciliorum, nominis, togæque, & perennis Vestæ immemor; stante Jove & civitate Romana? O Senatus, & corrupti mores! Reguli prudens animus id praeviderat, cum refragatus est ignominiosis legibus & exemplo in posterum damnoso, nisi juvenes bello capti interire sinerentur, absque miseratione.*

ANNOTATIONES.

*Crassi.*) Jul. Flor. lib. 3. cap. 11. *Cupiditas Consulis Crassi, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum, & ipsius capite mulctata est . . . Filium ducis pæne in conspectu patris telis operuere hostes. Reliquiæ infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque distractæ, vix nuntium cladis retulerunt. Caput ejus recisum cum dextera manu ad Regem reportatum, ludibrio fuit, nec indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infusum est: ut cujus animus arserat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exsangue corpus auro ureretur.*

*Conjuge barbarâ turpis maritus vixit?*) In ea nimirum clade Romani exercitûs ad viginti millia desiderati sunt, ad decem vero millia capti turpitudine barbararum conjugum vitam redemerunt, imo & consueverunt cum hostibus soceris, & in eorum castris militarunt. Appian. lib. 2. de bello Parthico, Plutarch. &c.

6. *Turpis maritus.*) Justum enim matrimonium est inter cives tantum, ex Jurisc. In eo prætereа turpitudo, quod uxores ducerent filias Parthorum, qui inter Assyrios, Medos ac Persas obscurissimi; quique Scytharum ferebantur exules ac profugi, quod & sonat vocabulum; denique, quod conscripti in eorum exercitu, qui totus pœne a servis constaret. Nam & cum M. Antonio occurrissent millia Parthorum equitum quinquaginta; quadringenti ad summum fuerunt ingenui.

7. *Proh Curia, inversique mores.*) O Senatûs infracta majestas Consulis turpi cæde! o mores corrupti militum Crassianorum, qui contra nominis Romani honorem serviant hostibus! Orodi Parthorum Regi fidem & sacramentum præstare non erubescant *Marsus & Appulus*, optimi Italiæ bellatores, ut alibi jam annotavi.

10. *Anciliorum, nominis & togæ oblitus, &c.*) Dignitatem nominis Romani, sacra & religionem pessumdantes. *Ancilia* scuta erant brevia duodecim, *dicta ab ancisu, quod ea arma ab utraque parte, ut pelta Thracum, incisa*, ex Varrone 6. de Ling. Lat. Horum unum cælo demissum ibi fore Imperium spondebat: quod ne dignosceretur ac surriperetur, undecim ei similia fabricari Numa jussit, simulque omnia in æde Martis condi & servari. Dionys. Halic.

11. *Æternæque Vestæ.*) Ignis illius æterni, qui in Vestæ templo debebat a Virginibus Vestalibus custodiri, ut Imperium Romæ staret perpetuum. Dionys. Halic. lib. 2. Cic. 2. de Legibus, *Virgines Vestales in urbe custodiunto ignem foci publici sempiternum*. Virg. Æneid. 4.

*vigilemque sacraverat ignem*
*Excubias Divûm æternas.*

12. *Incolumi Jove & urbe Româ.*) Si quidem Roma non fuisset amplius, culpandi sane non essent qui apud exteros sedem & familiam figerent. At stante urbe & Capitolino Jove Romanos protegente, barbaris nomen & manus dare, hoc certe probrosum Romanis militibus.

13. *Hoc caverat mens provida Reguli.*) Hoc grande malum præcavebat M. Attilius ille Regulus *primi Punici belli gloria cladesque maxima*, ut ait Valer. Maxim. lib. 4. cap. 4. quando reddi pro se captivos Carthaginensium vetuit: timebat nempe ne spem vitæ milites ignavi ponerent in captivitate, adeoque remissius in acie dimicarent, ac mortis metu ad fugam, abjiciendaque arma incitarentur. Noluit itaque perniciosum de se exemplum posteris relinqui, quo disciplina militaris ipsaque subinde Respublica deperiret.

17. *Si non periret immiserabilis captiva pubes.*) Ut ergo totam duntaxat in virtute & armis vitæ spem collocarent milites, volebat eos qui sese dedentes vitam ab hoste precati essent, ei necandos permitti, nec quemquam redimi: quod quidem sanciret & Plato 5. de Rep. Cic. 3. Offic.

Captiva pubes. Signa ego Punicis
  Affixa delubris, & arma
    Militibus sine cæde, dixit,
Direpta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
  Portasque non clausas, & arva
    Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit? Flagitio additis
  Damnum. Neque amissos colores
    Lana refert medicata fuco:
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
  Si pugnat extricata densis
    Cerva plagis, erit ille fortis,

## INTERPRETATIO.

*Ego*, *inquit* ille, *templis Carthaginensibus appensa conspexi vexilla* Romana, *atque arma militibus haud repugnantibus adempta. Ego civium* Romanorum *conspexi manus post dorsum ingenuum inversas, & portas apertas, & agros arari nostris armis* paulo ante *devastatos. Nimirum redemptus auro miles animosior fiet; Imo criminis jungitis detrimentum. Nec deperditum colorem lana reparat fuco tincta: nec sincera virtus, si quando fuerit labefactata, satagit restitui depravatis.* Si quidem *cerva strictis retibus expedita dimicat, erit* etiam *strenuus is*

## ANNOTATIONES.

Offic. n. 114. *octo hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent a Paulo & Varrone Consulibus: eos Senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri potuisset: ut esset insitum militibus nostris, aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita fractus animus Annibalis, quod Senatus P. Q. R. rebus afflictis tam excelso animo fuisset.*

18. *Signa ego Punicis, &c.*) Hæc Reguli verba sunt, nullum cum hostibus pactum dissuadentis in Senatu; ostentaque militum inertiam indignitate & honoris Romani labe, omnem erga illos misericordiæ sensum ex animo Senatorum amovere satagentis. Ego vidi, inquit, signa Romana hostium delubris affixa, vidi arma ignaviæ illis militibus erepta, quæ tamen præ vita servare & tueri debuissent: vidi cives Romanos vinctis post tergum manibus fœdam servitutem gloriosæ morti, quod nefas ingenuis, anteposuisse.

19. *Affixa delubris.*) Ex more veteri, qui etiamnum viget apud varios nationes: ut sic accepta Deo victoria referatur.

23. *Portasque non clausas, &c.*) Vidi & Carthaginis portas præ securitate non clausas, velut in media pace, adeo procul aberat omnis metus hostilis, post cladem nostri exercitus, agrosque libere arari & coli, quos tamen paulo ante armis populati fueramus. Flor. lib. 2. cap. 2. *M. Attilio Regulo duce jam in Africam navigabat bellum . . . ventis remisque properatam est; tantusque terror hostici adventus Pœnis fuit, ut apertis pene portis Carthago caperetur . . . nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est . . . . . Sed omnium victor Regulus cum terrorem nominis sui late circumtulisset . . . Carthaginem belli caput urgebat obsidio, ipsisque portis inhærebat, &c.*

25. *Auro repensus scilicet, &c.*) Ironice. Redemptus scilicet miles in altero certamine fortior & acrior erit. Quisquis hoc sperat, quanto versatur in errore? & pretium disperdere est, & ignaviam augere atque infamiam. Enimvero sicut *lana fuco medicata* genuinum & nativum colorem seu candorem amissum nunquam recuperat, ita virtus semel deformata & detrita ad pristinum splendorem nunquam redit, nec reparatur in iis qui per inertiam & socordiam deteriores facti fuerint. Virgil. tamen contra scribit Æneid. 2.

*Quondam etiam victis redit in præcordia virtus.*

*Repensus.*) Æs olim non numerebatur ut nunc, sed pendebatur.

28. *Fuco.*) Fucus herba est marina vestibus tingendis idonea. Plin. lib. 26. c. 10. *tria sunt genera; latum, longius, quadantenus rubens; tertium crispis foliis, quo in Creta vestes tingunt: omnia ejusdem usus.* & c. 22. *fucum maris* appellat.

31. *Si pugnat extricata, &c.*) Altera similitudo. Si vidistis aliquando cervam plagis extrica-

Digitized by Google

Qui perfidis se credidit hostibus?
Et Marte Pœnos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic unde vitam sumeret inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, & virilem
Torvus humi posuisse vultum;

## INTERPRETATIO.

*qui perjuris hostibus se commisit: atque in alio certamine Carthaginenses conculcabit, qui ligatis retro brachiis vincula tulit ignavus, ac mortem formidavit. Ignorans ille unde vitam acciperet, pacem cum bello confudit. Proh dedecus! O gloriosa Carthago turpibus Italiæ cladibus excelsior! Regulus velut capite diminutus, a se dicitur repulisse suavium casta uxoris, atque filiolos, & faciem generosam ferox in terra.*

## ANNOTATIONES.

catam in venatorem insurgere, & animose aggredi, videbitis quoque militem e captivitate redemptum ad hostes majori animo debellandos ire. Atqui cerva retibus expedita meticulosior fit: sic & miles. *Vulpes quæ plagas effugit, non rursum irretitur*. Plutarch. & Horat. lib. 2. Sat. 7.

*Quæ bellua ruptis*
*Cum semel effugit, reddit se prava catenis?*

33. *Perfidis hostibus.*) Adag. Punica fides, pro perfidia. Pœnos etiam T. Livius hac aspergit nota.

37. *Hic unde vitam sumeret inscius, &c.*) Iners & ignavus iste miles velut ignorans armis non precibus, non cedendo, sed reluctando fortiter, vitam esse duntaxat tuendam; *pacem duello miscuit*, unius ab altero discrimen male statuens, utrumque confudit: nam in medio bello objecit arma in pace tantum deponenda, & in ardentissimo conflictu segnis fuit; seque tum hosti dedidit cum maxime repugnandum fuisset.

39. *Magna Carthago.*) Carthago æmula urbis orbis dominæ, cujus tanta fuit olim potentia, ut tota Africæ cultiore poliretur: in Hispania vero ab Herculis columnis ad usque Pyrenæos montes maximis civitatibus imperaret. Polybius, Strabo. Ab Æmiliano Scipione tandem bello Punico tertio excisa & *fusa est*: ut ait L. Flor. lib. 2. cap. 15. *Quanta vero urbs deleta sit*, inquit ille ibid. *ignium morâ probari potest: quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium extingui*.

40. *Altior Italiæ ruinis.*) Post fusum Romanum exercitum, captumque Imperatorem Regulum *spirantibus altius Pœnis*, ut ait Luc. Flor. lib. 2. cap. 2. cit. ubi & etc habetur: *Tam fœda clades, Romanisque usu incognita. Vivus in manus hostium venit fortissimus Imperator, &c.*

41. *Fertur pudicæ conjugis, &c.*) Attilius ille Regulus *nec uxori suæ loqui voluit, nec intrare urbem, quasi exul esset*. Dio. Reguli conjux Martia dicebatur ex Silio lib. 6.

*Ecce trahens geminum natorum Marcia pignus,*
*Infelix, nimiâ magni virtute mariti,*
*Squalentem crinem & tristis lacerabat amictus.*
*Atque ea postquam habitu juxta & velamine Pœno*
*Deformem aspexit, fusis ululatibus ægra*
*Labitur, & gelidos mortis color occupat artus.*
. . . . . . . . . .
. . . . . . . *me voce quietâ*
*Affatus, jubet & vestros, & conjugis una*
*Arcere amplexus. Patet impenetrabilis ille*
*Luctibus, &c.*

42. *Ut capitis minor.*) Capite diminutus, id est, mutata sorte & conditione. Jam non civis Romanus nedum Senator, scilicet factus e libero servus, ex Imperatore & Duce captivus Carthaginensium. Capitis diminutio vocatur prioris status mutatio. Caput enim statum significat. Cic. Top. *Si mulier testamentum fecit, quæ se capite nunquam diminuit*, id est, quæ per conjugium in viri manum non convenit. Paul. Jurisc. *Tria sunt*, inquit, *quæ habemus; libertatem, civitatem, familiam. Cum tria hæc amittimus, maxima est capitis diminutio. Cum amittimus civitatem, & libertatem retinemus, media est diminutio. Denique cum libertatem & civitatem retinemus; familia vero sola mutatur*: (puto per adoptionem) *est diminutio capitis minima*. Ex his intelligitur cur servi non habere caput, nec diminui capite dicantur: quia nullum statum habent videlicet, neque libertatem, neque civitatem, nec familiam. Vide Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 23.

Digitized by Google

Donec laborantes consilio patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui sciebat quæ sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen

## INTERPRETATIO.

*desiisse: neque dum vacillantes Senatores suasor confirmaret monitione haud unquam data: & per medios familiares dolentes illustris exul abiret. Noverat tamen quæ sibi statueret immanis carnifex.*

## ANNOTATIONES.

45. *Donec laborantes consilio patres firmaret, &c.* ) Incertus etenim quid statuerent Senatores ipse *firmavit auctor*, & compulit traduxitque in utilissimam Reipublicæ quamvis sibi gravem sententiam. Cicero 3. Offic. num. 99. *Cum Regulus iterum Consul in Africa ex insidiis captus esset, juratus missus est ad Senatum, ut nisi redditi essent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem . . . . Is cum Romam venisset, . . In Senatum venit; mandata exposuit: sententiam ne diceret recusavit: quandiu jurejurando hostium teneretur, non esse Senatorem: reddi captivos negavit esse utile: illos enim adolescentes esse & bonos duces; esse se jam confectum senectute. Cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt: ipse Carthaginem rediit . . . n. 110. Senatui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto Pœnis redditi essent: incolumis in patria Regulus restitisset.*

*Consilio nunquam alias dato.* ) In propriam nempe sui perniciem, solius utilitatis publicæ habita ratione: pia etiam fraude usus, ut pacem & captivorum permutationem dissuaderet. Nam affirmavit *venenum sibi Carthaginenses dedisse, non præsentaneum, sed ejusmodi, quod mortem in diem proferret: eo consilio, ut viveret quidem tantisper, quoad fieret permutatio: post autem grassante sensim veneno, cor tabesceret.* Gellius auctor est lib. 6. cap. 4.

48. *Egregius properaret exul.* ) Egregius sane & singularis exul, qui patrio carere consenserit, charitatis patriæ gratia, quique ultro sua omnia desereret, salutis publicæ causa. Ad cujus exemplum illustre postea, decem nobilissimi captivi ab Annibale ad Senatum missi, post Cannensem pugnam, jurati se redituros, nisi de redimendis captivis impetravissent; re non impetrata, reversi sunt. De quibus non omnes uno modo. Nam Polybius bonus auctor in primis scribit, novem ex iis revertisse: unum vero per fraudem & stultam calliditatem quasi jurejurando liberatum Romæ remansisse; quem deinde Senatus vinctum ad Annibalem duci jussit. Hæc & alia Cicero 3. Offic. num. 113. Florus jam cit. lib. 2. cap. 2. *Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere infractus est: nec legatione suscepta. Quippe diversa quam mandaverant hostes, censuit: ne pax fieret, ne commutatione captivorum reciperetur. Sed nec voluntario illo ad hostes reditu, nec ultimo sive carceris sive crucis supplicio deformata majestas: imo his omnibus admirabilior, quid aliud quam victus de victoribus, atque etiam quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit.*

49. *Atqui sciebat quæ, &c.* ) Cicero Epist. ad Famil. lib. 6. Epist. 6. de seipso ita scribit: *ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus.* De Regulo vero cit. Offic. 3. *neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, & ad exquisita supplicia proficisci.* Valer. Maxim. lib. 1. cap. 2. *Regulus ex victore speciosissimo ad miserabilem captivi fortunam deductus . . . . . . Carthaginem repetit, non ignarus ad quam crudeles, quamque etiam merito sibi infestos Deos reverteretur.*

*Quæ sibi barbarus tortor pararet.* ) Tullius in Pisonem, n. 43. *M. Regulum illigatum in machina resectis palpebris Carthaginenses vigilando necaverunt.* Valer. Max. lib. 9. cap. 2. *Regulum palpebris resectis, machinâ, in qua undique praacuti stimuli eminebant, inclusum vigilantiâ pariter & continuo tractu doloris necaverunt.* Tertull. ad Martyr. cap. 4. *Maluit hostibus reddi, & in arca genus stipatus, undique extrinsecus clavis confixus tot cruces sensit.* Aurel. Victor. de Viris illustr. *In arcam ligneam conjectus, clavis introrsum adactis vigiliis ac dolore punitus est.* Ex Appiano, positus in cavea stimulos undique habente. Senec. de tranquill. animi l. 1. c. 15. *An fleam Regulum quod tot clavis configitur?* Suidas: *Regulus Carthaginem reversus omni suppliciorum genere conficitur. Nam præter cæteros cruciatus, domunculâ angustâ includunt, quæ magnitudini corporis ejus responderet, intus crebris clavis ferreis transfixâ, perite: cum nec immotus stare posset, & quietatus statu corporis utcumque inclinaret, in ferreas cuspides incideret.* Gell. cit. lib. 6. cap. 4. *in atras & profundas tenebras Regulum includebant: ac diu post, ubi erat visus sol ardentissimus, repente educebant; & adversus ictus solis oppositum continebant. Atque intendere in cælum oculos cogebant. Palpebras quoque ejus, ne connivere posset, sursum ac deorsum diductas insuebant.* Ex Tuberone hæc. *Tuditanus autem, somno diu prohibitum, atque ita vita privatum, refert: idque ubi Romæ cognitum est, nobilissimos Pœnorum captivos liberis Reguli a Senatu deditos, & ab iis in armario muricibus præfixo destitutos, eâdemque insomniâ cruciatos interiisse.* Gell. ibid.

*Barbarus tortor.* ) Apud Fest. & Non. Marcell. Ennius Annal.

*Nam Pœni soliti suos sacrificare puellos.*

Digitized by Google

Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quàm si clientum longa negotia
Dijudicatâ lite relinqueret;
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

## INTERPRETATIO.

*At nihilominus cognatos dehortantes, plebemque discessui obsistentem amolitus est, non secus ac si post litem decisam negotia prolixa dimitteret in campos Venafri properans, vel Tarentum Spartanum.*

## ANNOTATIONES.

52. *Dimovit obstantes propinquos.*) Cic. jam cit. *Neque eum patria charitas retinuit, nec suorum.* Suidas: *Lacrymis & lamentationibus suorum invicto animo neglectis.*

55. *Tendens Venafranos in agros, &c.*) Quasi post forenses strepitus, post litium & negotiorum ambages ac tædia, relaxandi causa animi otiique captandi, pergens Venafrum in urbem Campaniæ deliciis accommodatam. Vid. lib. 2. Od. 6. v. 16.

56. *Lacedæmonium Tarentum.*) Civitatem a Phalanto Lacedæmonio conditam: de qua lib. 1. Od. 28. sub finem, & lib. 2. Od. 6. v. 12.



Digitized by Google

## AD ROMANOS.

# ODE VI.

*E religionis contemptu, & depravatione morum fluxisse Italiæ calamitates.*

Delicta majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.
Diis te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.

### INTERPRETATIO.

*O Romane, solves pœnas, quas non es meritus, ob peccata patrum, donec resarcieris fana & delubra numinum decidentia, atque imagines atro squalore deformatas. Regnas, quia te præstas inferiorem numinibus. Inde omne primordium, illuc finem reduc.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Delicta majorum, &c.*) Quanquam pœnas debet luere solus peccans, tamen ad quarti gradûs posteros peccatorum pœnas interdum vel extendi vel reservari existimabat Plato. Quod dubio procul hauserat e notitia sacrorum codicum. Exod. c. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* Idem repetitur cap. 34. seq. & Deuter. cap. 5. &c. posteriorem istam sententiæ partem videtur quoque expressisse Aristoteles Rhetor. ad Alex. cap. 3. ubi scribit, æquum esse ut benevolentiores Dii sint in eos, a quibus magis coluntur.

*Delicta.*) Is peccare dicitur qui viam rectam delinquit, & a legis præscripto recedit.

*Immeritus lues.*) Deuteron. 24. v. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Idem habetur 4. Reg. cap. 14. v. 6. *Non morientur filii pro patribus, &c.* Ezechiel. cap. 18. *filius non portabit iniquitatem patris . . . . . anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et paulo ante: *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud, in terra Israel, dicentes: patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? &c.* ubi Chald. *patres peccaverunt: & filii vapulant.* Sic & Jerem. 31. v. 29. *In diebus illis non dicent ultra; patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Sed unusquisque in iniquitate sua morietur: omnis homo qui comederit uvam acerbam, obstupescent dentes ejus.*

2. *Donec templa refeceris.*) Seu vetustate collapsa, seu bellorum civilium incendio corrupta, labefactata, fœdata, absumpta; quin & victorum avaritiâ direpta. Quo spectat id quod est in Ode 35. lib. 1.

*Quid intactum nefasti*
*Liquimus? unde manus juventus*
*Metu Deorum continuit? Quibus*
*Pepercit aris?*

Porro quod hic, itemque sub finem Odæ 15. lib. 4. dixit Horatius, totum vergit in laudem & commendationem Augusti, qui non modo sacras ædes ipse multas exstruxit, sed & cæteros principes viros hortatus est, ut pro facultate quisque reficerent, excolerent, adornarent: *ut jure gloriatus sit urbem se marmoream relinquere, quam lateritiam accepisset.* Sueton. Octav. cap. 28. & 29.

5. *Diis te minorem quod geris imperas.*) Quoniam pius es in Deos, quos, ut decet, observas & colis, idcirco Imperium orbis tibi donant illi. Hæc ad Augustum sane pertinent, de quo jam lib. 1. Od. 12.

*Te minor latum reget æquus orbem.*

6. *Hinc omne principium.*) Cic. de Haruspic. respons. n. 18. *Ego vero primum habeo auctores ac magistros religionum colendarum majores nostros . . . Quis tam vecors, qui aut cum suspexerit in cœlum, Deos esse non sentiat: . . . . aut cum Deos esse intellexerit, non intelligat eorum numine hoc tantum Imperium esse natum, & auctum, & retentum? Quàm volumus licet ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso hujus gentis ac terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos, sed pietate ac religione, atque hac una sapientia, quod Deorum immortalium numine omnia regi gubernarique perspeximus, omnes gentes nationesque superavimus.*

Digitized by Google

Dii multa neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.
Jam bis Monæses, & Pacori manus
Non auspicatos contudit impetus
Nostros, & adjecisse prædam
Torquibus exiguis renidet.
Pœne occupatam seditionibus
Delevit urbem Dacus & Æthiops;
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.

## INTERPRETATIO.

*Spreta numina plures calamitates intulerunt afflictæ Italiæ. Jam semel atque iterum Monæses & Pacori exercitus repulit nostros conatus inauspicatos: gaudetque nostra spolia addidisse torquibus suis minoribus. Civitatem dissensionibus detentam propemodum extinxit Dacus, & Æthiops, hic navibus potens, ille telis jaciendis peritus.*

## ANNOTATIONES.

*Principium.*) Ut supra, Od. 4. *Vos lene consilium:* utrobique in cæsura accipe vel duas breves pro una longa, vel crasin, vel conversionem vocalis in consonantem, quemadmodum fieri solet in *ariete*, *abiete*, *genua*, &c.

*Huc refer exitum.*) Diis accepta refer tum Imperii primordia, tum propagationis & amplificationis incrementa, & felicem quarumcumque rerum exitum. Nam sicut a religione Imperii hujus fundamenta locata sunt, ita quoque per eandem in Deo pietatem illud retinebis exornabisque. Tit. Liv. *Invenietis omnia prospera evenire colentibus Deos, adversa spernentibus.* Vide Dionys. Halicarn. lib. 3. ubi a Martio Rege instaurata diligenter sacra quæ ante neglecta aut prave culta.

7. *Dii multa neglecti, &c.*) Religio Deorum neglecta causa fuit calamitatum quas tulit Italia, quæ *Hesperia* dicitur, ut notavi lib. 2. Od. 1. plurima tum observatæ, tum neglectæ religionis exempla pete a Valer. Max. lib. 1. cap. 1. Pariter & bona ingentia promittit sua præcepta servantibus, negligentibus autem mala gravia minatur Deus Opt. Max. Lev. cap. 26. Deut. cap. 28.

9. *Jam bis Monæses, &c.*) Jam bis victi sumus a Parthis, contra auspicia scilicet dimicantes. Impetus nostros contudit Monæses apud Parthos insignis vir potentia & opibus, qui forte idem cum Surena, a quo deletus cum exercitu Crassus. Appian. lib. de Bellis Parthicis. Iterum profligati sumus a Pacoro Orodis Parthorum Regis majore natu filio; quem tamen paulo post Ventidius Antonii legatus, universamque simul Parthorum manum delevit; ut ait Justin. lib. 42. Vide & Dion. lib. 48. & 49. Tit. Liv. lib. 127. Flor. lib. 4. cap. 9. & 10. &c.

10. *Non auspicatos.*) Cic. de Divin. 1. n. 28. *nihil fere quondam majoris rei, nisi auspicato, ne privatim quidem gerebatur: quod etiam nunc nuptiarum auspices declarant....* Ubi multis exemplis auspiciorum contemptum aut vitium, magnarum populo Romano calamitatum fuisse causam ostendit. *Quid vetera?* inquit. *M. Crasso quid acciderit, videmus, dirarum obnuntiatione neglecta, &c.* De Harusp. resp. cit. *majores nostri rerum bene gerendarum auctoritates, augurio .... contineri putarunt.* Vide Valer. Maxim. lib. 1. cap. 4. & seq. cap. 6. *Crassus inter gravissimas nostri Imperii jacturas numerandus, plurimis & evidentissimis ante ruinam nostrorum pulsatus ictibus .... Sic Dii spreti excandescunt. Sic humana consilia castigantur, ubi se cælestibus præferunt.* De Crasso vide & Appian. Dion. lib. 40. Oros. lib. 6. Flor. lib. 3. cap. 11. & quæ annotavi superiori Ode, v. 5.

11. *Et adjecisse prædam torquibus exiguis renidet.*) E spoliis nostris, detractoque nobis auro auxere Parthi suos torques, majoresque fecere eos, qui ante erant exigui. *Torques* nimirum colli erant ornamenta seu aurea, seu argentea, iis etiam in præmium dari solita qui strenuam in bello operam navarant. His insignibus ornabant se pridem Parthi, Galli, aliique; etiamnum vero Germani.

12. *Renidet.*) Quidam interpretantur, splendet: melius alii; gestit, lætitiam præ se fert.

13. *Pœne occupatam seditionibus, &c.*) Bellis civilibus distractam ac laceram urbem & Rempublicam Romanam prope delevit exercitus e Dacis atque Æthiopibus conflatus. Illis nempe constabant terrestres Antonii copiæ; Ægyptiis vero Cleopatræ navales & maritimæ. *Daci*, seu Scythæ sagittas mittere periti, cum ad Cæsarem missis legatis non impetrassent quæ petebant, ad Antonium se converterunt. Dio lib. 51. *Daci* proprie sunt hodie accolæ Danubii fluminis, Moldavi, Transylvani, Valachi.

14. *Æthiops.*) Populus Ægypto conterminus. Æthiopia, regio Africæ perampla. Duplex est. Una Inferior, ultra Æquatorem, veteribus incognita; superiori autem sæculo detecta Lusitanis & perlustrata. De hac itaque non agitur modo: sed de altera, quæ superior, & sub Ægypto appellatur, proque illa nonnunquam sumitur: Abissiniam continet, ad sinum Arabicum porrecta.

15. *Hic classe formidatus.*) Plutarchus in Anton. refert ejus classem octingentas habuisse naves cum onerariis, quarum Cleopatra ducentas

Ægy-

Digitized by Google

Fœcunda culpæ sæcula, nuptias
Primum inquinavere, & genus, & domos.
Hoc fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
Matura virgo, & fingitur artubus
Jam nunc, & incestos amores

## INTERPRETATIO.

*Ævum delictis fertile primo fœdavit conjugia, & stirpem & familias. Ex ista origine manans calamitas in patriam & populum grassata est.*

*Nubilis puella studet ediscere saltationes Ionum, & modo formatur membris: atque flagitiosos amores*

## ANNOTATIONES.

Ægyptiis militibus armatas contulit, quæ magna pars maritimarum copiarum; Cæsarem audita celeritate Antonii & magnitudine exercitûs, vehementer trepidasse: nimirum Augusto naves duntaxat adfuisse ducentas & quinquaginta; Antonio vero bellicas quingentas, easque tam firmas & ligneis turribus instructas, ut tanquam e terra pugnaturi essent; atque una earum tres & quatuor hostium naves decertando occuparet, &c. Flor. lib. 4. cap. 11. *Hostium naves turribus atque tabulatis allevatæ, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris & labore ventorum ferebantur. Quæ quidem ipsa moles exitio fuit ...... Nec ulla re magis hostilium copiarum apparuit magnitudo, quam post victoriam. Quippe immensa classis naufragia belli facto, tota mari ferebatur, Arabumque & Sabæorum, & mille aliarum gentium Asiæ spolia, purpuram, aurumque in ripam assidue mota ventis maria revomebant.* Vid. Epod. 9.

17. *Fœcunda culpæ sæcula, &c.*) In depravatis istis sæculis crebra perpetrata sunt adulteria, quibus inquinatæ sunt familiæ: quin & inde *clades in patriam fluxit*. Nam procreati sunt degeneres, imbellesque homines a prisca Romanorum indole ac virtute prorsus alieni. Hinc vitiis grassata in populum: hinc ignaviâ militum exercitus profligati: hinc prima Reipublicæ gloria multum defluxit. Hinc denique violata sanctitate nuptiarum, & Pronuba Junone illarum præside, aliisque numinibus graviter læsis, *in populum derivata clades*, calamitates, pestilentiæ, ab iratis atque ultoribus Diis immissæ.

*Nuptias primum inquinavere.*) Tanta vero fuit aliquando Romæ ea licentia, ut lege Julia coerceri oportuerit. Vide lib. 4. Od. 5. v. 21.

21. *Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo.*) Unde porro tot adulteria, totque flagitiorum infamia & pravitas? nimirum quod nobiles puellæ ad impuras artes formantur, Ionicis indulgent saltationibus, quibus mens pariter & corpus corrumpuntur. Hoc fonte manant tot mala. Nam primo incestos amores adolescentula meditatur, antequam nubat; nupta mœchos sectatur; demum lenocinante marito palam servit meretricio quæstui. Animadverte gradus ad summam impudicitiæ labem.

*Motus Ionicos.*) Lascivas saltationes ab Ionibus inventas. Cœl. Rhodig. lib. 18. cap. 25. *Ionicam mollitiem, & choreis mancipatas animas* vocat. Alex. ab Alex. lib. 2. cap. 25. *Saltationis genera & motus Ionicos ediscere Romanam juventutem aliquando mos fuit*, inquit: *siquidem Iones psallendi normam, & molles saltus primi invenisse traduntur.* Plaut. Stich. sub finem. *Quis Ionicus aut cinædicus, qui hoc tale facere possiet?* Apud Aristophan. ἰωνικῶς ponitur pro ἁβρῶς, *molliter, delicate, festive.* Athen. l. 12. c. 5. *Iones molles, delicatis amicti vestibus, voluptate defluentes*, appellantur. Ibid. ex Theophraste, Ionum luxus immodicus in proverbium abiisse dicitur, ad ejus usque sæculum. Lib. 14. cap. 5. *Ionum mores deliciis perditissimi, cantus a vetusta longe diversus, harmonia remissior*, nuncupatur. cap. 7. ἐν δὲ τοῖς πότοις ἡ Ἰωνικὴ ὄρχησις. *Ionica saltatio inter vina.*

*Ionicos.*) Iones in Asia minori, ab Ionibus Græciæ populis oriundi, regionem tenebant Æolidis & Cariæ mediam, cœli clementia & bonitate, soli etiam amœnitate & ubertate præstantem.

22. *Fingitur artubus.*) Alii, *artibus*: eodem certe recidit sententia: id est, secundum artem moveri & saltare docetur. Quidam, *frangitur artubus*. Mollia studet membra ad motus quoslibet efficere. Macrob. lib. 3. c. 14. *Saltandi curæ non inhonesta, dummodo non curiosa, & usque ad artis perfectionem. Quid enim, ait Sallustius; psallere, saltare elegantius quam necesse est probæ?* nimirum matronæ, aut virgini. Addit ille: *Nobilium vero filios, & (quod dictu nefas est) filias quoque virgines inter studiosa numerasse saltandi meditationem, testis est Scipio Æmilianus, qui in oratione contra legem judiciariam Tib. Gracchi sic ait: docentur præstigias inhonestas: cum cinædulis ... discunt cantare; cum sambuca & psalteria eunt, &c. quæ majores nostri ingenuis probro duci voluerunt. Eunt, inquam, in ludum saltatorium, inter cinædos, virgines puerique ingenui ... In eo ludo vidi plus pueris & virginibus quingentis: in his vero unum (quo me maxime Reipublicæ misertum est) puerum bullatum petitoris filium, non minorem annis duodecim, cum crotalis saltare: quam saltationem impudicus servulus honeste saltare non posset, &c.*

23. *Incestos.*) Non castos, impuros.

De tenero meditatur ungui.
Mox juniores quærit adulteros
Inter mariti vina: neque eligit
Cui donet impermissa raptim
Gaudia, luminibus remotis.
Sed jussa coram non sine conscio
Surgit marito, seu vocat institor,
Seu navis Hispanæ magister,
Dedecorum pretiosus emptor.
Non his juventus orta parentibus
Infecit æquor sanguine Punico;
Pyrrhumque, & ingentem cecidit

## INTERPRETATIO.

*cogitat ab ætate molliori. Deinde mœchos adolescentiores sectatur inter viri sui convivia: nullumque delectum adhibet, cui voluptates haud licitas furtim indulgeat, extinctis lucernis. Sed præsente & consentiente viro pergit vocata, sive petit negotiator, sive dominus navis Hispanicæ, flagitia remunerans ingenti mercede. Non ejusmodi parentibus nati juvenes mare tinxerunt cruore Carthaginensium: & profligavere Pyrrhum, Magnumque*

## ANNOTATIONES.

24. *De tenero meditatur ungui.*) A teneris, ut Græci dicunt, unguiculis; *ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων.* Cic. ad Famil. Ep. 6. lib. 1.

25. *Mox juniores, &c.*) Cum vero nupta est, marito suo juniores mœchos quærit, vel inter ipsas nuptiales epulas, vel dum ille amicos convivio excipit, vel cum *invitavit sese in cœna plusculum, atque appotus probe est*, quod ait Plaut. Amphitr.

26. *Neque eligit cui donet, &c.*) Eo demum impudentiæ progreditur, ut non clam, raptim, furtim, aut per tenebras noctis, remotisque lucernis, adulteria perpetret, mœchisque indulgeat; sed palam, & quod turpius, *conscio marito*, quemlibet vocantem sequitur, ac sine ullo discrimine obvio cuivis pretium offerenti, non secus ac publicum & vile scortum, venalem se prostituit.

29. *Non sine conscio surgit marito.*) Vidente & sciente marito, surgit e triclinio, & ad mœchum accersentem pergit: sive ille conniveat & mercede corruptus uxoris flagitiis annuat, inde lucrum faciens. Juvenal. Sat. 1. v. 56.

*. . . . Doctus spectare lacunar,*
*Doctus & ad calicem vigilanti stertere naso.*

sive ille imperiosæ non audeat petulantiam uxoris coercere. Juvenal. Sat. 6. v. 135. & seq. Item v. 269.

*Tunc gravis illa viro, tunc orba tigride pejor.*

*. . . . . . . .*
*. . . . . olim convenerat, inquit,*
*Ut faceres tu quod velles; nec non ego possem*
*Indulgere mihi. Clames licet, & mare cœlo*
*Confundas, homo sum. Nihil est audacius illis*
*Deprensis. Iram atque animos a crimine sumunt.*

30. *Institor.*) Gall. *Facteur de Marchand*, dictus quod instet gerendo negotio.

32. *Navis Hispanæ magister.*) Seu nauclerus, seu navis dominus, seu mercator & negotiator. Hispani frequentes in Italiam negotiaturi commeabant & navigabant, vina scilicet advehebant, alias autem reportabant merces. Vide l. 1. Od. 31.

32. *Dedecorum pretiosus emptor.*) Quovis pretio emens & remunerans flagitia & adulteria Italicarum mulierum.

33. *Non his juventus orta, &c.*) Non talibus effeminatis & corruptis orti parentibus fuerant ii milites, qui præclaros Populo Romano triumphos pepererunt: qui navali certamine vicerunt Carthaginenses, & *Siculum mare Pœno purpuream sanguine* reddiderunt; ut est in Ode 12. lib. 2. Vide ibi annot. qui Pyrrhum, qui Antiochum, qui Annibalem superaverunt ac ceciderunt.

35. *Pyrrhum.*) Is Epirotarum rex, paternum genus ad Herculem, maternum ad Achillem referebat. Imperium orbis animo versans, de bello Romanis inferendo Apollinis oraculum consuluit; delususque est ancipiti responso: *aio te, Æacida, Romanos vincere posse.* Itaque Tarantinis ferens auxilium adversus Romanos, ingenti quidem apparatu, a Curio Fabricioque Consulibus profligatus est. L. Flor. lib. 1. cap. 18. ita scribit: *Quinam illi fuerunt viri, quos ab Elephantis primo prælio obtritos accepimus? Omnium vulnera in pectore: quidam hostibus suis immortui: omnium in manibus enses: & relictæ in vultibus minæ, & in ipsa morte ira vivebat. Quod adeo miratus est Pyrrhus, ut diceret: o quam facile erat orbis Imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me Rege Romanis, &c.*

*Ingentem Antiochum.*) Commune Regum Syriæ nomen hoc erat, teste Appiano. Hic aperte designatur Antiochus cognomento Magnus. Bellum movit impellente Annibale, qui *victus & profugus hostem populo Romano sese orbe quærebat.*

Antiochum, Annibalemque dirum:
Sed rusticorum mascula militum
Proles, Sabellis docta ligonibus
Versare glebas, & severæ
Matris ad arbitrium recisos
Portare fustes: Sol ubi montium
Mutaret umbras, & juga demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens abeunte curru.
Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

## INTERPRETATIO.

*Antiochum, & sævum Annibalem: sed strenui filii militum agrestium, assueti terram solere bipalio Sabino, & ad austera matris voluntatem amputata referre ligna, cum montium vertit umbras & juga fessis bobus detrahit Sol, horam adducens jucundam, recedente curru. Quid tempus edax non corrumpit? Ævum patrum nostrorum avis deterius produxit nos pejores, dein prolem edituros etiam improbiorem.*

## ANNOTATIONES.

bat. Acilio Glabriane Consule debellatus est, cæsis quadraginta millibus, captis ad quinque millia. Tullius pro Sextio: *Antiochum illum Magnum majores nostri magna belli contentione, terra marique superatum, intra montem Taurum regnare jusserunt.* Et pro Dejotaro: *Antiochus Magnus ille Rex . . . cum omnem hanc Asiam, quæ nunc est nostra provincia, amisisset; dicere est solitus, benigne sibi a populo Romano esse factum, quod nimis magna procuratione liberatus modicis regni terminis uteretur.* Vide Plutarch. in vita Scipionis. Oros. lib. 4. c. 20. Flor. l. 2. c. 8. Justin. l. 31. T. Liv. l. 46. Appian. &c.

36. *Annibalemque dirum.*) Vide ann. l. 2. Od. 12.

37. *Sed rusticorum mascula militum proles.*) Sed filii virorum rustico labore & militia robustorum, & ipsi pariter agresti vita indurati, diuturnoque operi assueti; proindeque virili animo juxta & forti corpore, non molles & voluptatibus fracti.

38. *Sabellis docta ligonibus versare glebas.*) Jam notavimus alibi optimos Italiæ bellatores existimatos pridem Appulos & Samnites, qui & Sabelli, a Sabinis orti, ex Strabone, lib. 5. & Plin. lib. 3. cap. 12.

39. *Et severæ matris ad arbitrium, &c.*) Qui & matris imperio & severa disciplina facti ad virtutem laboriosam: nam jubebat illa post diurnum opus, ligna etiam cædere, atque ad usum domesticum reportare.

41. *Sol ubi montium mutaret umbras.*) Vesperi, cum vergens Sol ad occasum auget umbras, aut convertit ad orientem, quæ mane ad occidentem fuerant. Prior interpretatio magis arridet. Virgil. Eclog. 1.

*Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.*

Eclog. 2.

*Et Sol crescentes decedens duplicat umbras.*

*Sol.*) Cic. de Nat. Deor. n. 68. *Sol dictus, vel quia solus ex omnibus sideribus est tantus; vel quia cum est exortus, obscuratis omnibus solus apparet.*

42. *Et juga demeret bobus fatigatis.*) Quo tempore demitur jugum bobus aranda fatigatis, solutique ab aratro domum reducuntur. Virgil. mox cit.

*Aspice, aratra jugo referunt suspensa juvenci;*
*Et Sol crescentes decedens, &c.*

43. *Amicum tempus agens abeunte curru.*) Adducens tempus optimum & jucundum post laborem quieti destinatum, *cum se convolvens Sol elabitur atque abit*, ut ait Cic. 1. de divinat. n. 46. Virgil. Æneid. 2.

. . . . . *Et jam nox humida cælo*
*Præcipitat; suadentque cadentia sidera somnos.*

Georgic. 3. v. 358.

*Nec cum invectus equis (Sol) altum petit æthera, nec cum*
*Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum:*

45. *Damnosa quid non imminuit dies?*) Quid non absumit tempus rebus omnibus ferens damnum interitumque? Cic. pro Mar. *nihil est opere aut manu factum, quod non aliquando conficiat & consumat vetustas.*

46. *Ætas parentum pejor avis, &c.*) Avis pejores fuere patres nostri: nos patribus deteriores sumus: nobis etiam vitiosiores posteros relinquemus: Homer. Odyss. 2.

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

*Pauci enim filii similes patri;*
*Plerique pejores; pauci vero patre meliores sunt.*

ODE

## ODE VII.

*Asterien consolatur de Gygis absentia; & ad fidem hortatur.*

Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
Primo restituent vere Favonii,
Thynâ merce beatum,
Constanti juvenem fide
Gygen? Ille Notis actus ad Oricum,
Post insana Capræ sidera, frigidas

### INTERPRETATIO.

*O Asterie, quare ploras Gygen, stabili fidelitate adolescentem, quem boni Zephyri initio verni temporis tibi reddent Bithynis mercibus opulentum? hic ad Oricum ab Austris pulsus, post violentum Capræ*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 5. Lib. 1.

1. *Quid fles, Asterie, &c.*) Accommodate valde apostrophe ista cum leni increpatione, principio consolatorii sermonis, & ad demulcendum muliebrem animum idonea. Prop. lib. 2. Eleg. 20.

*Quid fles abductâ gravius Briseide? Quid fles*
*Anxia captiva tristius Andromacha? &c.*

*Asterie.*) Amica, vel uxor Gygis: ab ἀστὴρ stella factum nomen.

*Quem tibi candidi, &c.*) Paulo post frueris tuo Gyge; cum primum licebit navigare, ad te advolabit cupientem & ipse cupiens.

2. *Vere primo.*) Cum flare ab occasu incipiunt zephyri, seu *Favonii: candidi*, sereni, mites, propitii, faventes. Plin. lib. 2. cap. 47. *Ver aperit navigantibus maria, cujus in principio Favonii Hybernum molliunt cœlum.* Vida lib. 1. Od. 4. initio.

2. *Favonii.*) Plaut. in Mercatore. *Hic Favonius serenus est, istic Auster imbricus: hic facit tranquillitatem, iste omnes fluctus conciet.* Vida lib. 3. Od. 1.

3. *Thynâ merce.*) Vel annulis Thynicâ limâ perpolitis, quorum mentio est in næniola de morte Horatii, apud Isidor. lib. 19. cap. 32. vel cultellis Bithynicis, de quibus Non. Marcell. ex Varrone, in Sat. seu περὶ ἐδεσμάτων: forte & thynnis piscibus, qui bene multi capiuntur a Thynis populis, inde etiam adeptis nomen; ut placet quibusdam. Pers. Sat. 5. v. 183.

. . . . *Rubrumque amplexa catinum*
*Cauda natat thynni.*

Ex Ammiano Thynia pars est Bithyniæ. Plin. lib. 5. cap. 32. *Thyni in Europa transiere, a quibus appellantur Bithyni.* Et Paulo post: *tenent oram omnem Thyni, interiora Bithyni. Is finis Asiæ est.* &c. ibid. c. 27. *Est etiam Thynos oppidum Ciliciæ.* Et lib. 4. c. 11. *Thyni sunt Thraciæ populi.* De his Claudian.

*Thyni Thraces erant quæ nunc Bithynia fertur.*
Vide lib. 1. Od. 35. v. 7.

4. *Constanti juvenem fide.*) Hac lectione vulgata memoriam vetustatis aboleri quidam indignantur; leguntque ex vett. codd. *constantis juvenem fide*, pro, *fidei*, nimirum: quod ita pridem usurpatum docent Priscianus, A. Gellius lib. 9. cap. 14. Virgil. Georgic. 1.

*Libra die* (id est, diei) *somnique pares ubi fecerit horas.*

5. *Ille notis ad Oricum, &c.*) Cum Italiam repeteret Gyges, reditumque maturaret, prohibitus est ventis ab Austro flantibus, actusque ad Oricum, quæ prima est Epiri civitas a Colchis condita: ex Plin. cap. 23. lib. 3. urbs illa ad oram maris Ionii in Epiro sita, ad radices montis Acroceraunii, cum portu satis amplo, Oreum Straboni, Horicum Ptolemæo, Orcha Nigro dicitur. Multa de illa Tit. Livius.

6. *Post insana Capræ sidera.*) Postquam ille jactatus fuit magnis tempestatibus, quas excitavit sidus Capræ, quæ est in humero Aurigæ sinistro, sicut in manu sunt Hœdi. Hygin. Capram Amaltheam, cujus lacte nutritus est Jupiter, ab eo inter astra collocatam fabulantur. Oritur sub finem Septembris: pariter & Hœdi; de quibus Ode 1. hujus libri. Pluvialem Capram vocat Plinius. Ex Arato, Capra & Hœdi jactatas in mari naves, & pavidos homines frequenter viderunt.

*Frigidas noctes non sine lacrymis, &c.*) Coactus hyemare Orici Gyges, Asteriæ desiderio contabescit, somno caret, lacrymatur ubertim, aliis mulieribus friget, etiam tentatus non cedit. Adverte singulas voces amoris significationem habentes a Poeta coacervatas. Quid vero jucundius can amicæ seu uxori proferri poterat? Quid efficacius ad leniendum vel abstergendum dolorem; imo & ad excitandam fidem?

Noctes, non sine multis
Insomnis lacrymis agit.
Atqui sollicitæ nuntius hospitæ,
Suspirare Chloen, & miseram tuis
Dicens ignibus uri,
Tentat mille vafer modis.
Ut Prætum mulier perfida credulum
Falsis impulerit criminibus nimis
Casto Bellerophonti
Maturare necem, refert.
Narrat pæne datum Pelea Tartaro,
Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens:
Et peccare docentes
Fallax historias monet.
Frustra. Nam scopulis surdior Icari

## INTERPRETATIO.

*astrum, noctes algentes ducit non dormiens, & abunde plorans. Verum internuntius hospitæ anxiæ, declarans afflictam Chloen ingemiscere, tuisque flammis ardere, variis* illum *rationibus astute sollicitat. Exponit quemadmodum infidelis femina levem Prætum injustis calumniis excitavit mortem accelerare Bellerophonti nimium pudico. Refert Peleum tantum non interfectum, cum temperans eluctatur Hippolytam e Magnesia. Quinetiam deceptor narrat historias crimen admittere suadentes*, sed *incassum. Etenim rupibus Icarii*

## ANNOTATIONES.

9. *Atqui sollicitæ nuntius hospitæ, &c.*) Interea vero Chloe, apud quam diversatur & manet Gyges, ejus animum sollicitat interposito nuntio, qui *mille vafer modis* suadere conatur, ut obsequatur amori hospitæ suæ.

10. *Chloen.*) Χλόη, *viriditas;* adolescentiæ florem vox designans.

*Tuis dicens ignibus uri.*) Tui Gygis amore incensam, adeoque tuo flagrantem igne, quo tu nempe ureris & flagras ipsa. Virg. Eclog. 3.

*At mihi sese offert ultro meus ignis Amyntas.*

13. *Ut Prætum mulier, &c.*) Pluribus exemplis Gygen movere incusso metu nititur Chloæ nuntius. Narrat Bellerophontem simili causa & occasione prope interemptum. Scilicet is Glauci Regis Ephyræ filius apud Prætum Regem Argivorum hospes erat. Antea ex Homero, ex aliis Sthenobœa ejus uxor, Bellerophontis amore capta stuprum obtulit. Hic respuit. Tum illa perfidiæ suæ crimen in eum conjecit: innocentem criminata apud Prætum; qui credulus ira exarsit. Cum tamen hospitii jura violare, hospitemque ipse perimere nollet, ad alios occidendum transmisit. Vide Hom. Iliad. 6. Apollod. l. 2. &c.

14. *Impulerit maturare necem.*) Ne temporis mora & cunctatione, Bellerophontis innocentia, a se vero cogitati facinoris infamia detegeretur, tandemque non sine gravi dedecore a viro ipsa mulctaretur. De Bellerophonte jam lib. 3. Ode 12. in fine.

17. *Narrat pæne datum Pelea Tartaro, &c.*) Refert etiam quemadmodum erepta fere est vita Peleo Achillis patri, dum castus amantem fugit ac repulit Hippolyten. Hæc enim excandescens velut insidiatum suo pudori juvenem detulit viro suo. Jovis quidem Hospitalis iram veritus ille, Centauris inermem, dubioque procul interficiendum tradere cogitavit. At innocenti opem tulerunt Dii, misso Vulcano; a quo accepto Peleus gladio Centauros debellavit, mortemque evasit. Vide Pindar. Nem. Carm. 4. & 5. Ovid. Metamorph. 11. Apollodor. lib. 3. &c.

18. *Magnessam Hippolyten.*) Uxorem Acasti Regis Magnesiæ, quæ Thessaliæ regio. Hinc cognomen, quo distinguitur ab Hippolyta Amazonum Regina.

19. *Peccare docentes fallax historias monet.*) Quoniam periculi mortisque metus parum valuit, alia jam ratione Gygis animum impellit Chloes internuntius. Affert historias & exempla eorum, qui rejectis primis amoribus, novos non injucunda nec infeliciter admiserunt. Ipsum Jovem commemorat Alcmenæ, Danaes, & aliarum amores consectatum, &c. Forte addit Paridem & Helenam, &c. *Peccare docentes*. Certe nihil magis, quam exemplum, vitium suadet. Viam enim ostendit quasi tritam & facilem, atque a nota criminis prope immunem. Apud Cicer. *historia magistra vitæ*. Sunt qui legant *historias movet*, nec absurde.

21. *Scopulis surdior Icari voces audit, &c.*) At Gyges *adhuc integer, voces* internuntii Chloæ

sol-

Digitized by Google

Voces audit adhuc integer. At tibi
Ne vicinus Enipeus
Plus justo placeat, cave,
Quamvis non alius flectere equum sciens
Æque conspicitur gramine Martio:
Nec quisquam citus æque
Tusco denatat alveo.
Primâ nocte domum claude: neque in vias
Sub cantu querulæ despice tibiæ:
Et te sæpe vocanti
Duram, difficilis mane.

## INTERPRETATIO.

maris *durior ista verba excipit hucusque incorruptus. Tibi vero cave ne plusquam par est, arrideat Enipeus vicinus. Tametsi nemo tam peritus equum regendi* in *Campo Martio spectatur; nulluſque tam expedite flumen Hetruscum tranat. Ædes occlude nocte ineunte: nec in vias deorsum aspice ad sonitum canora fistula: & crudelem frequenter appellanti crudelis persiste.*

## ANNOTATIONES.

sollicitantis *audit* immotus, veluti scopulus. *Icarium* mare, hodie *Nicarium*, pars est Ægæi, versus Icariam insulam: frequentes habet scopulos. Nomen ab Icaro in illud lapso, cum volare tentasset. De eo lib. 1. Od. 1. v. 15. lib. 2. Od. 20. v. 13. lib. 4. Od. 2. v. 2.

22. *At tibi ne vicinus, &c.* ) Tu vero, Asterie, fac ut æque fidelis tuo Gygi permaneas. Cave itaque ne vincaris aut indulgeas amoribus Enipei vicini, etiamsi habeat unde amari possit.

25. *Quamvis non alius, &c.* ) Quamvis Enipeus equitandi peritiam in Campo Martio, in Tiberi vero solertiam natandi & agilitatem præ cæteris ostentet. Vide lib. 1. Od. 8.

28. *Tusco alveo.*) Tiberino fluvio, qui Hetruriam ab Umbria, Sabinia, & Latio disterminat, Romam interluit, in mare Tyrrhenum delabitur.

29. *Primâ nocte domum claude.* ) Ne irrumpat Enipeus, noctis umbra & silentio abusus. Tit. Livius *primas tenebras*, dixit, pro, *noctis initio*.

*Neque in vias sub cantu querulæ despice tibiæ.* ) Ne per fenestram in vias despecta, neve sic videaris Enipei respondere amoribus, cum ille, ex more amantium, ante fores tuas noctu canet tibiâ. Vide lib. 1. Od. 25. & hujus libri Od. 10. ibique annot.

30. *Querula.* ) Suaviter ludentis ac resonantis; vel molliori sono exprimentis amorem Enipei & ejus querimoniam, quod erga ipsum dura sis.

31. *Vocanti duram, difficilis mane.* ) Licet ille te incuset velut ferream, quæ laborantis ægritudine parum movearis; inexorabilis tamen & inexpugnabilis persevera libidinosam Enipei contentionem eluctari.

Digitized by Google

## *AD MÆCENATEM.*

# ODE VIII.

*Reddit rationem cur Martiis Kalendis sacrificet.*

Martiis cælebs quid agam Kalendis,
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, positusque carbo in
Cespite vivo,
Docte sermones utriusque linguæ.
Voveram dulces epulas, & album
Libero caprum, prope funeratus
Arboris ictu.
Hic dies, anno redeunte, festus

### INTERPRETATIO.

O Mæcenas, *callens utramque linguam, demiraris quid ego sine uxore faciam Calendis Martiis, quid denotent flores, & vasculum thure refertum, atque pruna constituta in gramine virenti.* Scilicet *arboris* ego *lapsu fere exanimatus lautas dapes, & hœdum candidum Baccho promiseram.* En *dies iste latus anno vertente* recurrens

### ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod Ode 2. Lib. 1.

1. *Martiis cælebs quid agam Calendis, &c.*) Miraris quod ego cælebs diem hunc festum habere videar solis conjugibus celebrari solitum. Singulorum mensium Calendæ, præcipue vero Martiæ Junoni dicatæ erant: dictaque Matronalia, quoniam pro conjugii felicitate matronæ sacrificabant. Adde quod ea die coli cœpta est ædes Junonis, quæ conjugiis præsidet. Macrob. lib. 1. c. 9. Alex. ab Alex. lib. 6. c. 4. Belli etiam per Sabinas mulieres compositi memoria tunc colebatur. Ovid. Fast. 3. Hinc *fœmineas* vocat has Calendas Juvenalis Sat. 9. v. 53. At mariti quoque Junoni supplicabant, ut uxorum pudicitiam tuerentur. Porro quod primus anni mensis apud Romanos erat Martius, & unde Calendæ appellatæ, disce ex Macrob. lib. 1. cap. 12. & 15.

*Cælebs.*) Romani cælibem dicebant quasi cælitem, qui vitam ageret in terris cælesti similem. Donat. in Terent.

2. *Quid velint flores, &c.*) Omnia nempe Horatius ad sacrificium persolvendum comparabat, tanquam voti reus.

*Acerra.*) Vas fictile seu patera, in qua ponebatur thus adolendum.

3. *Positusque carbo, &c.*) Ignis in ara e vivo cespite, seu virenti gramine structa. Vide 1. c. Od. 19.

5. *Docte sermones utriusque linguæ.*) Græcæ, Latinæque, quarum studio perinde incumbebant Romani. Cic. Offic. initio: *ut ipse ad meam utilitatem semper cum Græcis Latina conjunxi; neque id in Philosophia tantum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi censeo faciendum, ut par sis in utriusque orationis facultate.*

6. *Voveram dulces epulas, &c.*) Graviorem itaque cæteris habeo causam celebrandi Martias Calendas, in quibus mortis evasi periculum: unde & sacrificium vovi & sacras epulas.

*Album Libero caprum.*) Albæ victimæ Diis Superis, nigræ Inferis mactabantur: Arnob. lib. 7. &c. Baccho præsertim caper, qui vitibus infestus, eas arrodendo.

Virgil. Georgic. 2. v. 380.

*Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris*
*Cæditur.*

Ovid. Fastor. 1.

*Rode caper vitem: tamen hinc cum stabis ad aram,*
*In tua quod spargi cornua possit, erit.*
*Verba fides sequitur: noxa tibi deditus hostis*
*Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.*

7. *Prope funeratus arboris ictu.*) Cadente arbore propemodum oppressus & extinctus. Vide lib. 2. Od. 13. & 17.

9. *Hic dies, anno redeunte, festus, &c.*) Anniversarius adest iste dies in festivis epulis mihi ducendus. quare vinum vetustate præcipuum hodie promam.

*Anno redeunte:*) Ita cum Græcis Horatius. Virg. *volventem annum* ait: Cicer. *vertentem annum.* Somn. Scip. 17. *Cum ad idem unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eamdemque totius cæli descriptionem longis intervallis retulerint, tum ille vere vertens annus appellari potest.*

Corticem astrictum pice dimovebit
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.
Sume, Mœcenas, cyathos amici
Sospitis centum, & vigiles lucernas
Perfer in lucem; procul omnis esto
Clamor & ira.
Mitte civiles super urbe curas.
Occidit Daci Cotisonis agmen:

## INTERPRETATIO.

*corticem pice affixum auferet dolio fumum contrahere cœpto sub Consulatu Tulli: O Mæcenas, accipe centenos scyphos, ob amicum incolumem, & lychnos accensos produc usque ad diem. Longe absit vociferatio qualibet & rixa. Dimitte sollicitudines de civitate. Deletus est exercitus Cotisonis Daci:*

## ANNOTATIONES.

10. *Corticem astrictum pice dimovebit, &c.*) Resignabit, reliuet operculum amphoræ, e subere vel cortice, pice quidem astrictum. Cato: *in amphoram mustum indito, & corticem oppicato.* Tibull. lib. 2. Eleg. 1.

*Chia solvite vincla cado.*

11. *Fumum bibere instituta.*) Fumo dudum expositæ, unde contentum in ea vinum jam maturum & lene prorsus.
Ovid. Fast. 5. *Fumea vina.*
Martial. lib. 3. Epigr. 82.

*Cocta fumis musta Massiliamis.*

Idem lib. 10. Epigr. 36. *Improba fumaria* dicit; &,

*Accipit ætatem quisquis ab igne cadus.*

Tibull. mox cit.

*Nunc mihi fumosum veteris proferte Falernum Consulis.*

Columel. lib. 1. c. 6. apothecæ superponuntur locis, unde plerumque fumus exoritur: quoniam vina fumo celerius vetustescunt: ejus tenore præcocem maturitatem trahunt, &c. Plin. lib. 23. c. 1. *minus infestat nervos quod vetustate dulcescit . . . Nos fumi amaritudine vetustatem indui persuasum habemus.* Meminit & Cœl. Rhodig. lib. 26. cap. 21.

12. *Consule Tullo.*) Consulum nomine solebant notari vina, ut alibi amplius dixi. Vide lib. 1. Od. 20. & lib. 3. Od. 3. Hic certum nomen pro quolibet incerto poni, vinumque vetus duntaxat commendari crediderim. Quod si vinum illud conditum fuerat sub L. Volcatio Tullo, qui Consul fuit cum M. Æmilio Lepido, anno urbis conditæ 687. prolatum vero est ab Horatio paulo post subjugatos ab Agrippa Cantabros, de quibus sub hujus finem Odes, anno scilicet 734. ut ait Cruquius, vinum illud vetus fuisset annos 47. Interea meminisse oportet quod scribit Plin. mox cit. *Falernum nec in novitate, nec in nimia vetustate corpori salubre est. Media ejus ætas a 15. anno incipit . . . . Si sit fumo inveteratum, insalubre est. Mangones ista in apothecis excogitavere. Jam & patres familias ætatem ademere his, quæ per se cariem traxere. Quæ certe vocabula satis consilii dedere prisci:* nempe vina ad extremam senectutem, quæ cariosa est, non esse recondenda. Dalecamp.

13. *Sume cyathos centum.*) Ob lætitiam de amici sospitis incolumitate, seu de Horatii tui salute, bibe centum cyathos, id est, plures, & plures, & tota nocte mecum perpota. Numerus finitus pro infinito.

14. *Vigiles lucernas perfer in lucem.*) Prandium ignorabant veteres: ac cœnam maxime, non quidem ut nos ad candelas, sed ad lychnos & lucernas, producebant usque ad lucem posteram, pergræcando, id est, ritu Græculorum tota nocte compotando. Plaut. Menæchm. Scen. 3. *Inde usque ad diurnam stellam matutinam potabimus.* Hor. Od. 21. seq. *Vivæque producent lucernæ, dum rediens fugat astra Phœbus.* Propert. lib. 4. Eleg. 6. in fine:

*Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec*
*Injiciat radios in mea vina dies.*

Erat etiam olim perpotandi certamen, propositumque victoribus bibionibus præmium, placente, ut amplius exponam Epist. 19. ad hæc verba: *nocturno certare mero.* Quod autem nocturnæ cœnæ utiliores sint corpori, ob Lunæ sidus vim habens putrefaciendi, adeoque cibos concoquendi; crede, si lubet asserenti Athenæo lib. 7. cap. 1. Quin potius ausculta Casaubono eu luci, coctionem cum putrefactione confundi perperam, Athenæumque philologiæ quam philosophiæ sacris auspicatius initiatum, bene docteque redarguenti.

15. *Procul omnis esto clamor & ira.*) Ebrietatis incommoda & vitia Horatius arcet a suis epulis: quo forte etiam notat bonitatem & lenitatem vini sui, cujus cyathos queat Mæcenas centum bibere, citra noxam ut nec ad vociferandum, nec ad rixandum impellatur. Vide lib. 1. Od. 27.

17. *Mitte civiles super urbe curas.*) His verbis patet urbis præfecturam tunc gessisse Mæcenatem: qui si *privatus* mox appellabitur, ne accipe aliter quam par est, & illic explicabo.

18. *Occidit Daci Cotisonis agmen, &c.*) O Mæcenas, omitte paululum curas & sollicitudines, quibus civitati provides sedulus: en hostes Populi

Medus infestus sibi luctuosis
Dissidet armis.
Servit Hispanæ vetus hostis oræ
Cantaber, sera domitus catena:
Jam Scythæ laxo meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens, ne quà populus laboret,
Parce privatus nimium cavere, &
Dona præsentis cape lætus horæ, ac
Linque severa.

## INTERPRETATIO.

*Medus sibimet adversarius bello fatali distrahitur. Cantaber Hispaniæ fines incolens, antiquus noster inimicus, subactus est, quamvis tarda profligatus victoria. Modo Scytha arcu remisso incipiunt agris discedere.* Tu quasi *privatus omitte curare & plusculum consulere ne quid detrimenti capiat populus; atque temporis præsentis aura fruere, genio indulgens, & molesta abjice.*

## ANNOTATIONES.

ii Romani jam domiti sunt: nec ab ullo quidquam metuendum. *Cotison* Dacorum Rex ab Augusto victus. L. Flor. lib. 4. cap. 12. *Daci montibus inhærent. Cotisonis Regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere solebant & vicina populari. Visum est Augusto gentem aditu difficillimam submovere. Misso igitur Lentulo, ultra ulteriorem repulit ripam; citra, præsidia constituit. Sic tunc Dacia non victa, sed summota atque dilata est.* Illud vero postea factum est. Sueton. cap. 21. Octav. *Coercuit & Dacorum incursiones, tribus eorum ducibus cum magna copia cæsis, &c.* cap. 63. *M. Antonius scribit, primum eum Antonio filio suo despondisse Juliam; dein Cotisoni Getarum Regi: quo tempore sibi quoque invicem filiam Regis in matrimonium petiisse.* De Dacis jam lib. 2. Od. 20. Hos porro eosdem esse ac Getas, certum est. Plin. lib. 4. cap. 12. *Getæ, Daci Romanis.* Xiphilin. in Domitiano ita scribit: *Per id tempus bellum fuit Populo Romano cum Dacis . . . Porro eam gentem Dacos appello. Nam ita seipsi nominant, eodemque nomine a Romanis appellantur: etsi non ignoro eos a quibusdam Græcis Getas esse dictos. Quod an recte factum sit, nescio: illud quidem scio Getas trans Hæmum apud Danubium incolere.*

19. *Medus infestus sibi, &c.*) Medi seu Parthi bellis civilibus occupati sunt. Vide Strabonem lib. 10. & quæ antea nec semel de iis annotavi, lib. 1. Od. 26. v. 3. & alibi.

21. *Servit Hispanæ, &c.*) Cantabri ab Agrippa, sero licet, fracti & subacti sunt. Vide lib. 2. Od. 6. Sueton. Octav. cap. 20. Augustus *externa bella duo omnino per se gessit: Dalmaticum adolescens adhuc: & Antonio devicto, Cantabricum.* & c. 21. *domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, &c.*

23. *Jam Scythæ laxo, &c.*) Scythæ armis depositis cedunt. Vide lib. 2. Od. 9. in fine, ibique annot. Suet. Octav. c. 21. *Eâ virtutis moderationisque famâ, Indos ac Scythas auditu modo cognitos pellexit ad amicitiam suam Populique Romani ultro per legatos petendam.*

25. *Negligens, ne quà populus, &c.*) Dum mei sacrificii particeps sacras mecum epulas carpes, ita lætitiæ vaca ut si privatus esses. Ergo paululum abjice omnem curam urbis, & sollicitudines de Republica.

26. *Privatus.*) Quidam explicant: inter privatos parietes, genio indulge. Alii interpretantur absolute: quandoquidem non geris magistratum: volunt nimirum urbis præfecturam esse officium duntaxat, nec inter magistratus censeri: Ex Suet. Octav. cap. 37. *Quo plures administrandæ Reipublicæ partem caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum . . . præfecturam urbis, &c.* Quod minime placet. Sic igitur intelligo: tu *linque severa* tantisper, id est, serias & graves occupationes intermitte: *præsentis horæ dona*, seu, gaudia rape, cape, animo plane tranquillo, teque *privatum* hoc nocturno saltem convivio finge & cogita.

ODE

Digitized by Google

# ODE IX.

## *DIALOGUS HORATII ET LYDIÆ.*

*HORAT.* Donec gratus eram tibi,<br>
Nec quisquam potior brachia candidæ<br>
Cervici juvenis dabat;<br>
Persarum vigui Rege beatior.<br>
*LYD.* Donec non aliâ magis<br>
Arsisti, neque erat Lydia post Chloen;<br>
Multi Lydia nominis<br>
Romanâ vigui clarior Iliâ.<br>
*HORAT.* Me nunc Cressa Chloe regit,<br>
Dulces docta modos, & citharæ sciens:<br>
Pro qua non metuam mori,<br>
Si parcent animæ fata superstiti.<br>
*LYD.* Me torret face mutuâ<br>
Thurini Calais filius Ornithi:

### INTERPRETATIO.

HORAT. *Quandiu charus tibi extiti, neque alius præstantior adolescens brachia inferebat collo tuo candido, felicior ego vixi Rege Persarum.* LYD. *Quandiu non alteram plus dilexisti, nec Lydia posthabita est Chloe,* Ego *Lydia magna fama, illustrior florui* quam *Ilia Romana.*

HORAT. *Mihi jam dominatur Chloe e Creta, perita suavium modulorum, ac pulsandæ lyræ, pro qua non verebor vitam profundere, si fata indulgeant animæ residuæ.*

LYD. *Me urit mutuo amore Calais filius Ornithi e*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Donec gratus, &c.*) Amœbæum carmen est, cujus hæc lex est, ut qui posterior dicit, priorem vincat, majus aliquid subjiciendo. Ode porro hæc tanti æstimatur a Scaligero, ut ejus describere sententiam non pigeat. Sic habet lib. 6. Poet. *Omnes Horatii Odæ tantæ sunt venustatis, ut & mihi & aliis prudentioribus omnem ademerit spem talium studiorum. Inter cæteras vero, duas animadverti, quibus ne ambrosiam quidem aut nectar dulciora putem. Altera est tertia quarti libri:* Quem tu Melpomene semel, &c. *Altera est nona tertii:* Donec gratus eram tibi, &c. *Quarum similes a me compositas malim, quam Pythionicarum multas Pindari, & Nemeonicarum: quarum similes malim composuisse, quam esse totius Tarraconensis Rex.* Vide Virg. Eclog. 3. & 7. Hic zelotypiam uterque suam belle exprimit, restituendisque amoribus prioribus viam sternit.

2. *Nec quisquam potior, &c.*) Dum non amplexus tuos alteri concessisti, nec alium mihi prætulisti in amore.

4. *Persarum vigui Rege beatior.*) Antiqui Persarum Reges, Cyrus, Darius, ad summas opes elati proverbio locum dedere. Illorum quisque Regem Regum se jactabat. Quin & Persarum montes pro montibus aureis dicti. Plaut. Stich. Scen. 1.

*Neque ille mereat Persarum tibi*
*Montes; qui esse perhibentur aurei.*

5. *Non aliâ magis arsisti.*) Alii legunt, *aliam.* Æque eleganter utrumque.

*Formosum pastor Corydon ardebat Alexin.*

6. *Neque erat Lydia post Chloen.*) Dum non amasti Chloen præ Lydia. De hac jam lib. 1. Od. 8. 13. 25.

8. *Romanâ vigui clarior Iliâ.*) Ego me fortunatiorem existimabam, quam fuit unquam Ilia, seu Rhea, quæ Marte gravida Romulum Romanæ gentis auctorem protulit. De illa l. 1. Od. 2.

9. *Me nunc Cressa Chloe regit.*) Nunc ego servio amoribus Chloes, quam præter formam commendat vocis & Musicæ suavis modulatio. Quidam legunt *Thressa*, id est, Thrax, seu e Thracia: verum lectioni nostræ favet quod Cretes Musicæ valde studiosos refert Ælianus.

12. *Si parcent animæ fata superstiti.*) Moriar ego libens ad redimendam Chloes vitam: ut illa superstes vivat, quæ est altera pars mei. De superstitione veterum pro alterius salute sese devoventium, alibi dixi.

13. *Me torret face mutuâ, &c.*) Mutuo me amore detinet Calais adolescens pulcherrimus. Alludi volunt aliqui ad nomen Callaidis lapilli, quem Sapphiri æmulum dixit Plin. lib. 37. c. 10.

14. *Thurini.*) Thuria, sive Thurium civitas erat in sinu Tarentino.

Pro quo bis patiar mori,
Si parcent puero fata superstiti.

HORAT. Quid si prisca redit Venus
Diductosque jugo cogit aheneo?
Si flava excutitur Chloe,
Rejectæque patet janua Lydiæ?

LYD. Quanquam sidere pulcrior
Ille est; tu levior cortice, & improbo
Iracundior Adria;
Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

INTERPRETATIO.

*Thurio, pro quo bis mortem oppetam ultro, si juveni vivo fata indulgeant.*

HORAT. *Quid si vetus amor reviviscat, & divulsos copulet æreo vinculo: si formosa Chloe rejicitur, & ostium meum aperitur pulsa Lydia?*

LYD. *Tametsi est ille astro splendidior; Tu vero es levior subere atque Adriatico mari procelloso ferocior, tecum vivere cupiam, tecum sponte moriar.*

ANNOTATIONES.

16. *Si parcent puero.*) Pro Calai bis ego mortem oppetere velim.

17. *Quid si prisca redit Venus?*) Quid faceres, o Lydie, si Horatii vetus in te amor denuo accendatur; nosque dissociatos reconciliet, arctiusque jungat quam olim, imo constringat *jugo aheneo*, seu ære firmiori & nunquam dissolvendo? Vide lib. 1. Od. 33.

22. *Levior cortice.*) Ode superiori, *corticem astrictum pice*, pro subere nempe ponitur cortex, teste Plinio, lib. 16. c. 8. Proverbium est in inconstantes, *cortice levior*, suber enim naturali sua levitate super aquas fertur & natat.

23. *Iracundior.*) Hoc sibi vitium imputat Horatius non semel. Epistol. lib. 2.

*Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.*

*Adria.*) De eo lib. 1. Od. 33.

24. *Tecum vivere amem, &c.*) Ita facile reconcillantur discordiæ amantium. Et vere dicit Terentius Andr.

*Amantium iræ amoris redintegratio est.*

Plaut. Amphitr. Act. 3.

*Iræ interveniunt; redeunt rursum in gratiam.*
*Verum iræ, si quæ forte eveniunt hujusmodi*
*Inter eos, rursum si reventum in gratiam est,*
*Bis tanto amici sunt inter se quam prius.*

---

# ODE X.

*Lycen admonet ut paulum mansuescat erga se.*

Extremum Tanaim si biberes, Lyce,
Sævo nupta viro; me tamen asperas

INTERPRETATIO.

*O Lyce, si potares ultimum Tanaim, marito juncta barbaro, nihilominus*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Od. 6. Lib. 1.

1. *Extremum, &c.*) Ejusmodi cantiones & querelas noctu canebant amantes ad fores meretricum, aliarumque mulierum quas deperibant, ut sic eas demererentur, atque ab iis tandem sua patientia victis admitterentur in domum antea sibi clausam. Vide quæ annotavi l. 1. Od. 25. Plura vero dixi ad Pers. Sat. 5. v. 165. ubi sic habetur:

*Limen ad obscœnum . . . dum Chrysidis udas*
*Ebrius ante fores extinctâ cum face canto.*

*Extremum Tanaim si biberes.*) Si esses in Scythia, in remotissimis illis & frigidissimis partibus, ubi scaturit Tanais: si barbara proinde, & *sævo* quoque *viro nupta* esses, quem vereri deberes; te tamen oporteret moveri meis amoribus, cum ante fores tuas excubantem cerneres in ista aeris intemperie.

*Tanaim.*) Fluvius iste notissimus, e Riphæis montibus, vel e Caucaso monte fluere dictus, Asiam ab Europa dividit: hodie Don vocatur. Est maxime Septentrionalis, quique Nomades Tanaim accolebant, erant agrestiores, ex Strabone lib. 11. De eo jam antea Od. 4. hujus libri, ubi *Scythicum amnem* appellat Horatius.

2. *Me tamen asperas, &c.*) Non tam dura esses, ut me jacentem super limen januæ tuæ, frigidissima & molestissima tempestate, videres sine ullo humanitatis sensu. Ovid.

*Frigidus inque udâ sæpe jacebis humo.*

Digitized by Google

Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.
Audis quo strepitu janua, quo nemus
Inter pulcra situm tecta remugiat
Ventis? Et positas ut glaciet nives
Puro numine Jupiter?
Ingratam Veneri pone superbiam,
Ne currente retro funis eat rotâ.
Non te Penelopen difficilem procis

INTERPRETATIO.

*feres me ante januam* tuam *duram outeatum exponere ventis Septentrionalibus* illic *habitantibus*. Nonne *audis que murmure tuæ fores, quo nemus in adibus magnificis consitum resenet ventis* perflantibus: *neque Jupiter puro numine constringat nives demissas? Abjice fastum Veneri odiosum, ne funiculus retrorsum abeat rotâ versatâ. Tyrrhenus pater haud te procreavit Penelopea amantibus intractabilem.*

ANNOTATIONES.

3. *Objicere incolis plorares Aquilonibus.*) Doleres, ægre sineres me objici noctu ventis istis e Scythiæ regione flantibus, ac velut incolis. Ovid. Metam. 1.

*Scythiam septemque triones*
*Horrifer invasit Boreas.*

*Plorares objicere.*) Sic & locutus Plaut. Aulul. Scen 7.

*Aquam hercle plorat, cum lavat, profundere.*

5. *Audis quo strepitu, &c.*) Quam vehemens sæviat ventus, judice e concussione tuæ januæ, & murmure arborum viridarii tui graviter stridentium.

*Nemus inter pulcra situm tecta.*) In septis domorum nemora etiam habebant veteres; quorum struendorum rationem docet Vitruv. lib. 5. cap. 11. *Sint*, inquit, *inter duas porticus silva, & in his perficiantur inter arbores deambulationes, &c.* Sueton. Octav. cap. 72. *prætoria sua quamvis modica non tam statuarum tabularumque pictarum ornatu, quam xystis & nemoribus excoluit, &c.*
Tibull. lib. 3. Eleg. 3.

*Et nemora in domibus sacros imitantia lucos.*

Cic. ad Quinctium fratrem lib. 3. Ep. 1. *nunc domus suppeditat mihi hortorum amœnitatem.* Vide Senec. Epist. 122. Item supra lib. 2. Od. 3. & Epist. 10. lib. 1.

*Nempe inter varias nutritur sylva columnas.*

7. *Et positas ut glaciet nives puro numine Jupiter.*) Æstimare potes etiam quantum frigus perpetiar, ex eo quod purum sit cœlum, æther sudus ac serenus, quo nives gelu concrescunt & constringuntur; quia tunc facile diffunditur, quando scilicet in aere nihil est quo reprimetur frigus: contra nebuloso æthere coercetur ne ad nos usque perveniat, ut docet Aristot. in Problem.

*Positas.*) E cœlo delapsas, & humi jacentes.

*Glaciet.*) Per licentiam poeticam usurpatur hoc verbum active, quod tamen absolute poni solet, pro, *coalescit, concrescit*. Cic. 2. de Nat. Deor. n. 26. *tum aqua declarat effusio, qua neque conglaciaret frigoribus, neque nive pruinâve concresceret, nisi eadem se admisto calore liquefacta & dilapsa diffunderet. Itaque & Aquilonibus reliquisque frigoribus adjectis durescit humor, &c.*

8. *Puro numine Jupiter.*) Bene sic legito: alii: *puro lumine*, vel *limine*; sed perperam. Jovem pro æthere non raro usurpari, notum: huic ergo respondet vox, *numine*. Puro lumine Sol quidem dicatur: at non Jupiter, præsertim concubiâ nocte; qua Lyces januam occentabat, de more, Poeta noster.

9. *Ingratam Veneri pone superbiam.*) Venus enim jocis, gratiis, amoribus stipata ubique memoratur: quibus adversatur omnino superbia. Lib. 1. Od. 2.

*Erycina ridens,*
*Quam jocus circumvolat & Cupido.*

10. *Ne currente retro funis eat rotâ.*) Ne offensa Venus iram in te suam stringat; tuque favore ejus destituta contemnaris, ut modo me contemnis. Time ergo sequentes fortunæ vices. Tibull. lib. 1. Eleg. 5.

*Heu canimus frustra: nec verbis victa patescit*
*Janua: sed pleaâ est percutienda manu.*
*At tu qui potior nunc es, mea fata caveto.*
*Versatur celeri fors levis orbe rota.*

Isto tamen loco metaphora videtur esse ducta non a rota fortunæ volubili & instabili, sed potius a rotis & trochleis, quibus circumvolutus funis ingentia sublevat & trahit pondera, si bene teneatur: at si dimissus fuerit, & rota & funis & pondus in partem contrariam feruntur, currunt, fugiunt, deturbantur. Sensus itaque Horatii erit: o Lyce, ne Veneris tu vincula nexusque sperne, quæ si dimiseris, cave ne res tuæ retro & pessum eant ac dissolvantur. Virg. Ecl. 8.

*Veneris, dic, vincula necte.*

11. *Non te Penelopen difficilem, &c.*) Non es ut Penelope, Spartana, nec educata instructaque duris moribus austeràque vivendi ratione: imo venustam, lepidam, tractabilem genuit te pater Italus, vel Hetruscus, ut placet quibusdam, nec absurde. Hetruscos ludorum ac voluptatum amatores nemo nescit: refert Cœl. Rhodig. lib. 13.

Digitized by Google

Tyrrhenus genuit parens.
O, quamvis neque te munera, nec preces,
Nec tinctus violâ pallor amantium,
Nec vir Pieriâ pellice saucius
Curvat; supplicibus tuis
Parcas, nec rigidâ mollior esculo,
Nec Mauris animum mitior anguibus.
Non hoc semper erit liminis aut aquæ
Cœlestis patiens latus.

## INTERPRETATIO.

*O, licet te nec dona flectant, nec vota, nec violaceus pallor amore* tabescantium, *neque maritus* tuus amore *pellicis Pieria vulneratus; indulge supplicantibus tibi*, quæ fuisti hactenus *durâ quercu non flexibilior, neque mansuetior serpentibus Mauritania. Latus istud haud semper erit tolerans liminis & pluvia.*

## ANNOTATIONES.

25. cap. 11. atque a Lydis transisse originem suspicator.

*Penelopen difficilem procis.* ) Hæc Ulyssis uxor viro sua fidem servans viginti annos absenti, procos bene multos acriter sollicitantes, patrem etiam novas nuptias suadentem eluctata est. Homer. Odyss. 2. 6. 7.

12. *Tyrrhenus.* ) Tyrrheni Hetruriæ populi. Tyrrhenia Straboni eadem regio cum Thuscia. Ovid. Metamorphos. 14.

*Concurrit Latio Tyrrhenia tota.*

Porro synecdochicōs illi pro Italis universis vel Romanis accipi possunt.

14. *Tinctus violâ pallor.* ) Color vultus mei pallidos, instar violarum, quas etiam pallentes vocavit Virgil. Eclog. 2. Sunt enim aliæ purpureæ, aliæ luteæ, aliæ albæ; ex Plin. lib. 21. c. 6. Quanquam duo tantum genera violarum agnoscit Nicander, pallidum & luteum: apud Athenæum lib. 15. cap. 9. *pallor amantium.* Ovid.

*Palleat omnis amans: color est hic aptus amanti.*

Nimirum recurrente ad cor amoris centrum calore naturali, & quoniam intensior in amantibus est, spiritus vitales magis dissipante, in vultu pallor efficitur.

15. *Nec vir Pieriâ pellice saucius.* ) Quanquam nec offensa viri tui pellicem Pieriam depereuntis injuriâ ad me amandum inclinaris. Hoc certe est irritamentum uxoris maximum, ut inducatur in alterius amorem. Ex Euripide, quædam alia minus gravate fert uxor: at si a marito fallatur, quicquid est in vita jucundi perdit. Ovid.

*Sed neque fulvus aper mediâ tam sævus in ira est.*

*Nec lea,* . . . . . . .

*Femina quam socii deprehensâ pellice lecti*
*Ardet, &c.*

*Pieriâ.* ) Vel nomen factum a solo natali, ad augendam invidiam, quasi diceret, peregrina, & ex ea Macedoniæ regione: vel notat fidicinam, psaltriam: ob Pierium montem Musis sacrum: cujusmodi mulieres ut plurimum exercebant meretriciam artem.

16. *Supplicibus tuis parcas.* ) Indulge aliquid supplicanti etiam apud te. Quis enim supplices unquam acerbe repulit, nisi qui humanitatem exuit? Ex sententia veterum, qui talem hominem velut execrabilem aversabantur: cum & natura supplicibus parcere doceat.

*Esculo.* Arbor est glandifera, quam pro duritie ponit Horatius. De ea Plin. lib. 16. & nos jam lib. 1. Od. 22.

18. *Mauris.* ) Mauritania Africæ regio ab ortu in occasum extensa, ubi nunc Barbaria Occidentalis. Arenosa ista loca, aquarum penuriâ & Solis æstu arentia & fervida, omne genus serpentium alunt etiam sævissimorum.

19. *Non hoc semper erit liminis, &c.* ) Amores meos tibi sponte oblatos ne modo sperne: nec enim ero semper ea robusta & ferventi ætate, qua tui gratia possim & velim pernoctare ante januam, & cubare super durum limen ædium tuarum. Epod. 11.

*Ferebar incerto pede*
*Ad non amicos heu mihi postes, & heu*
*Limina durâ, quibus*
*Lumbos & infregi latus.*

*Aquæ cœlestis patiens.* ) Imbres aliaque hyemalis tempestatis incommoda perpeti non semper libebit. Certe contra in Lycen jam vetulam acriter accipsit Od. 13. lib. 4. Ovid.

*Sæpe feres imbrem cœlesti nube solutum*
*Frigidus, inque uda sæpe jacebis humo.*



Digitized by Google

## AD MERCURIUM.
## ODE XI.

*Ut sibi dictet cantus, quibus Lyde flectatur.*

Mercuri (nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo)
Tuque testudo resonare septem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc &
Divitum mensis & amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures:
Quæ, velut latis equa trima campis,
Ludit exultim, metuitque tangi,
Nuptiarum expers, & adhuc protervo
Cruda marito.
Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere, & rivos celeres morari.

### INTERPRETATIO.

*O Mercuri, (si quidem te præceptore Amphion saxa cantu movit) & tu lyra, chordis septenis resonare perita, neque, canora pridem neque jucunda, jam vero familiaris tum opulentarum mensis, tum fanis* Deorum: *numeros ede, quibus pervicaces auriculas admoveat Lyde: quæ sicut equa trium annorum exultat & ludit per apertos agros; fugitque attrectari a nuptiis immunis, necdum petulanti viro idonea. Tu vales trahere tigres silvasque simul, & rapidos tardare fluvios.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 2. Lib. 1.

1. *Mercuri.*) De eo multa lib. 1. Ode 10.

2. *Movit Amphion lapides canendo.*) Jovis ille ex Antiopa filius suavi lyræ sono dicitur movisse lapides, ut ipsis inter se compositis & superstructis, Thebarum muri civitasque ædificata fuerint. Vide Epist. ad Pisones, v. 394. Plutarch. de Musica. Propert. lib. 3. Eleg. 2.

*Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem*
*Sponte suâ in muri membra coisse ferunt.*

3. *Testudo resonare septem callida nervis.*) E testudine lyra per Mercurium facta atque exornata, ut annotavi lib. 1. Od. 10. Tribus primo chordis, deinde quatuor, tum septem, postea novem instructa; demum etiam pluribus. Vide Macrob. l. 1. Saturn. c. 19. Diod. Sicul. l. 1. Pindar. φόρμιγγα ἑπτάγλωσσον, id est, ἑπτάφθογγον vocat. Virgil. Eclog. 2.

*Est mihi disparibus septem compacta cicutis*
*Fistula.*

Et Æneid. 6. v. 646.

*Obloquitur numeris septem discrimina vocum.*

Porro septenas diapason species seu modos, quos nunc tonos appellant, debere intelligi locis istis periode singulis, non abs re contendit Glareanus.

5. *Nec loquax olim, neque grata.*) Prius muta & sine ullo pretio, at postquam in lyram est concinnata, gratum edidit sonum, dulcesque modos ac numeros expressit; ut requisita & adhibita sit in divitum conviviis & Deorum sacris.

6. *Divitum mensis.*) Quod vini vim fervidiorem elidere valeat Musica, hanc ideo prisci adhibebant in suis conviviis. Testis Plutarch. lib. de Musica: & Homer. Odyss. ubi cithara convivii sodalis nuncupatur.

*Et amica templis.*) Vide Tit. Liv. l. 9. c. 30. ubi de tibicinibus ad præcinendum in sacrificiis Deorum solerter revocatis, historiam narrat sat lepidam.

7. *Dic modos, Lyde quibus obstinatas applicet aures.*) Cantûs dulcedine contumacem Lydas animum flecte, per aures delinitas ad cor penetra, demulce, viam sterne, sensimque meos amores insinua. Ex Plutarcho, Musica concinno suo temperamento corpora mentesque revocat & amollit. Et l. de Superstit. ait ex Platone, Musicam non deliciarum causa & pruritûs aurium datam, sed ut animi periodos improba lascivientes decenter reducat.

9. *Quæ velut latis equa trima campis ludit.*) Velut equa non domita juveniliter lascivit & ludit per campos discorrendo & exiliendo: sic Lyde juveniles sectatur cum æqualibus ludos, a virili autem consortio hactenus abhorret. Lib. 2. Od. 5.

*Circa virentes est animus tuæ*
*Campos juvencæ, &c.*

10. *Ludit exultim.*) Anacreon:

Πῶλε Θρηΐκιη, τί δή με
. . . . . . . .
Νηλεῶς φεύγεις,
. . . . . . .
Νῦν δὲ λειμῶνάς τε βόσκεαι
Κοῦφά τε σκιρτῶσα παίζεις, &c.
*Equulea Threicia quid me*
*Crudeliter fugis,*
*At nunc prata depascaris,*
*Et agiliter exiliens ludis.*

13. *Tu potes tigres, &c.*) Nota est Orphei fabula feras & arbores trahentis ad lyræ dulces modos. Vide lib. 1. Od. 12. Et Epist. ad Pisones v. 393.

14. *Rivos celeres morari.*) Virgil. Eclog. 8.

*Quorum stupefactæ carmine lynces,*
*Et mutata suos requierunt flumina cursus.*

Digitized by Google

Cessit immanis tibi blandienti
  Janitor aulæ
Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter saniesque manet
  Ore trilingui.
Quin & Ixion, Tityusque vultu
Risit invito: stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
  Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus, atque notas
Virginum pœnas, & inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
  Seraque fata,
Quæ manent culpas etiam sub Orco.
Impiæ, (nam quid potuere majus?)
Impiæ sponsos potuere duro
  Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem

INTERPRETATIO.

*Tibi demulcienti morem geſsit Cerberus crudelis aulæ janitor, licet caput illius furiis æquale stipent serpentes multi, & ex ore tres linguas habente halitus pestilens & tabum fluat. Quinetiam Ixion & Tityus facie prætulit hilaritatem non sponte: stetit dolium tantisper aridum, dum suavi cantu Danai filias detineres. Discat Lyde crimen & supplicia famosa puellarum, & vacuum aquâ vas evanescente ex imo fundo, perennemque sortem delictis etiam apud Inferos reservatam. Scelerata (quid enim pejus valuerint?) Scelerata* inquam illæ *sævo gladio perimere sponsos valuerunt. At e pluribus una tædis nuptialibus idonea*

ANNOTATIONES.

15. *Cessit immanis tibi blandienti, &c.*) Et hoc ad Orpheum pertinet, qui profectus ad Inferos ut reduceret inde dilectam Eurydicen, Cerberum demulsisse lyrâ fertur. De eo jam lib. 2. Od. 13. Et Virgil. Georgic. 4. v. 481.

*Quin ipsæ stupuere domus atque intima lethi*
*Tartara, cæruleosque implexæ crinibus angues*
*Eumenides; tenuitque inhians tria Cerberus ora,*
*Atque Ixionei vento rota constitit orbis.*

21. *Quin & Ixion Tityusque vultu risit.*) Pulsante cytharam Orpheo recreari visi sunt illi, suasque pœnas oblivisci: ut vultu quædam signa lætitiæ dederint.

22. *Invito.*) Ob acerbitatem supplicii tristitiam exigentis. De Tityo Ode 4. hujus libri sub finem. Ixion Junoni stuprum inferre conatus ad Inferos pulsus est, & rotæ inter serpentes alligatus assidue circumvolvitur.
Tibull. lib. 1. Eleg. 3.

*Illic Junonem tentare Ixionis ausi*
  *Versantur celeri noxia membra rotâ.*

Vide Pindar. Pyth. Od. 2. ubi refert, Ἰξίονα ἐν πτερόεντι τροχῷ πάντα κυλινδόμενον. *Ixionem in alata rota circumquaque versatum.*

22. *Stetit urna paulum sicca, &c.*) Danai Argivorum regis filiæ laboriosum cruciatus intermisere paululum, dum caneret Orpheus. Vide lib. 2. Od. 14. Lucret. lib. 3. sub finem.

*Hoc, ut opinor, id est ævo florente puellas*
*Quod memorant laticem pertusum congerere in vas,*
*Quod tamen expleri nullâ ratione potestur.*

Hinc proverb. apud Plaut. Pseud. *In pertusum ingerimus dicta dolium, operam ludimus.*

25. *Audiat Lyde scelus, &c.*) Discat Lyde quas pœnas Dii attribuant mulieribus in suos amatores crudelibus: hincque desinat mihi dura esse.

27. *Virginum.*) Danaidum.

*Inane lymphæ dolium, &c.*) Vide supra.

28. *Seraque fata.*) Vel longa & diuturna; vel tarde venientia, eoque graviora.

33. *Una de multis, &c.*) Hypermnestra Lynceo sponso pepercit, salvumque abire & fugere jussit, dum sorores jussu patris suos sponsos nefarie jugularent: at ipsa noluit exequi impie præscripta; unde & nomen sibi fecit immortale. Quidam scribunt duas fuisse quæ sponsis vitam adimere non sustinuerint, Hypermnestram & Bebrycen. Eust. in Dion. Alex.

*Face nuptiali digna.*) Honore matrimonii digna. Quod noctu seu vesperi nupta deducebatur domum sponsi, hinc fax præferebatur. Festus: *In nuptiis*, inquit, *facem præferebant in honorem Cereris, & aquâ spargebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum perveniret, sive ut ignem & aquam cum viro communicaret.*

34. *Perjurum fuit in parentem splendide mendax.*) Recte fallens patrem Danaum, qui Ægyptum fratrem ejusque filios generos suos impia & crude-

Digitized by Google

Splendide mendax, & in omne virgo
  Nobilis ævum:
Surge, quæ dixit juveni marito,
Surge; ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur; socerum & scelestas
  Falle sorores;
Quæ, velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos (eheu!) lacerant: ego illis
Mollior nec te feriam, nec intra
  Claustra tenebo.
Me pater sævis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
  Classe releget.
I, pedes quo te rapiunt & auræ,
Dum favet nox & Venus: i secundo
Omine, & nostri memorem sepulcro
  Sculpe querelam.

## INTERPRETATIO.

*egregie fraudulenta erga patrem fallacem, & in cuncta secula illustris virgo extitit. Quæ ait adolescenti sponso: exsurge, ne diuturnus tibi sopor unde non metuis comparetur: socerum & impias sorores effuge; quæ tanquam leænæ vitulos adepta totidem heu discerpunt. Ego illis clementior neque te percutiam, neque detinebo intra septa. Me parens duris vinculis obruat, quoniam sponsum infelicem benigna servavi; me navi amandet ad ultimos etiam Numidarum campos. Abi quo te ferent pedes & venti, dum nox & Venus obsecundant; abi faustis auspiciis, & ad tumulum insere querimoniam, quæ nostri recordatio permeneat.*

## ANNOTATIONES.

cruenta fraude circumveniebat. Ægyptus quinquaginta filiis suis Danai fratris totidem filias in matrimonium poposcit. Hic recusavit, quod ex oraculo accepisset a genero sibi mortem inferendam. At cum insteret ille, fraudulenter annuit, filias monens, ut ipsâ nocte nuptiarum, sponsos vino luxuriâque sopitos cultro singulæ conficerent. Itaque patri contra fas morem gerentes, captatâ horâ viros enecerunt, excepta Hypermnestre, quæ Lynceum servavit. Hic vero postea Danao interempto Argivum regnum invasit, atque oraculi fidem implevit.

35. *In omne virgo nobilis ævum.*) Hypermnestram virginem mansisse, hocque pactam cum Lynceo sponso, nonnulli tradunt. Vide Pausan. in Corinthiacis. Pindar. Nem. Od. 10. &c.

38. *Ne longus tibi somnus, &c.*) Ne tibi mors afferatur e Danao patre sororibusque meis. Ægypti enim patris tui stirpem extinguere conjurarunt. Ovid.

*Surge age, Belide, de tot modo fratribus unus,*
*Nox tibi, ni properes, ista perennis erit.*

Apud Hesiod. somnus mortis frater; apud Virgil. *Consanguineus lethi sopor*, dicitur. Catull.

*Nox est perpetua una dormienda.*

39. *Scelestas falle sorores.*) Celeriter fugiendo; prave sororum mearum consilia elude.

45. *Me pater sævis oneret catenis, &c.*) Observa quam artificiose Poeta amplificet ac laudet fidem & lenitatem Hypermnestræ, ut ejus exemplo Lyden impellat ad sibi amanti favendum. Vide Ovid. Ep. Heroid. ubi Hypermnestra Lynceo ita scribit:

*Clausa domo teneor, gravibusque coercita vinclis.*
*Est mihi supplicii causa, fuisse piam.*
*Me pater igne licet, quem non violavimus, urat:*
*. . . . . . . .*
*Aut illo jugulet quem non bene tradidit ense:*
*Ut quæ non cecidit vir nece, nupta cadat.*

47. *Extremos Numidarum in agros.*) Me in barbaras nationes exulem mittet, etiam trans mare. Numidia proprie littoralis Africæ pars erat ubi nunc regnum Algerii. Hic vero non ita stricte sumitur. Ex Plin. lib. 5. cap. 3. Numidia præter marmor & feras nihil habet insigne; Masinissæ nomine tantum clara. Hodie *Biledulgerid* quibusdam vocatur.

49. *I, pedes quo te rapiunt & auræ.*) Seu terra, seu mari, fuge quamprimum: *dum favet nox & Venus*, amor in te meus.

51. *Nostri memorem sepulcro sculpe querelam.*) Cum me a patre morti addictam acceperis, Epitaphium scribe, quo discet posteritas meam in te pietatem Danai crudelitate male pensatam. Pausan. in Corinth. refert Hypermnestram in judicium vocatam a patre, quod Lynceo salutem dederit sibi perniciosam, &c.

Ovid. mox ait.

*Et sepeli lacrymis perfusa fidelibus ossa:*
*Scriptaque sint titulo nostra sepulcra brevi.*
*Exul Hypermnestra pretium pietatis iniquum,*
*Quam mortem fratri depulit, ipsa tulit.*

# ODE XII.

## AD NEOBULEN.

*Hebri amore contabescentem.*

1 Miserarum est, neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere, aut ex-
Animari metuentes patruæ verbera linguæ.
Tibi qualum Cythereæ puer ales,

### INTERPRETATIO.

*Ærumnosum est, nec amori indulgere, nec mœrores diluere vino suavi, vel discruciari timentes ictus linguæ patrui. At tibi calathum, o Neobule, filius pennatus Veneris,*

### ANNOTATIONES.

Hæc Ode dicolos tristrophos: Metrum singulare. Sotadicum vocant aliqui, quod sæpe a Sotade usurpatum. Alii Rythmicum, quod fere nullus pedum numerus insit.

Primi quique duo versus tribus constant Ionicis a minore, tertius vero quatuor: hoc modo:

Mĭsĕrārum | ĕst | nĕquĕ amōrī | dărĕ lūdūm |

Alii longe aliter, volunt carmen esse tricolon tetrastrophon, ut duo priores versus sint Sapphici trimetri acatalecti, tertius Anacreonticus dimeter catalecticus, quartus Adonicus: sicque scribunt,

Miserarum est neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere, aut ex-
Animari metuentes patruæ
Verbera linguæ, &c.

1. *Miserarum est, &c.*) Magna dissensio de metro, de ordine versuum, deque fine & scopo hujus Odes. De carmine diximus: de versuum serie, vide annot. ad v. 9. denique quid velit Poeta, & qua mente scribat, haud liquet. Quidam putant hortatoriam esse Oden, qua Neobulen in Hebri amore confirmet adversus patrui seu cujuslibet censoris reprehensiones. Alii ironicam arbitrantur, nec absurde; ut Horatius irrideat muliercolam adolescentis amore perculsam, opus diurnum deserentem, ac præ animi impotentia desidem.

*Miserarum est neque amori dare ludum, &c.*) Sane puella & mulier omnis misera est, quæ nullam carpit hilaritatem & gaudium, vel ex amore, vel e vino; quæque ita metuit reprehensiones, & castigationes hominum, ut nihil genio quidquam indulgere ausit. Pessimi profecto exempli monitum, nisi sarcasmi sale condiatur & corrigatur, ut ante dixi.

*Amori dare ludum.*) Ita Plaut. Bacchid.

*Ego dare me ludum meo nato institui, ut animo obsequium*
*Sumere possit. Æquum esse puta: sed nimis nolo desidia*
*Ei dare ludum.*

Theophrast. apud Athen. lib. 13. *Quis negabit eos solos vivere qui amant? &c.* Theophil. ibid. *Qui amantes amentes esse putat, ipse desipit, &c.*

2. *Neque dulci mala vino lavere.*) Vino pelli curas, jam dictum alibi sæpius, eoque exhilarari animum, testis etiam sacer textus.

*Lavere.*) Ita veteres; *lavo lavis:* & *sonere* pro *sonare, &c.*

3. *Exanimari metuentes.*) Metu reprehensionis prope mori.

*Metuentes patruæ verbera linguæ.*) Pater filio semper indulgens, at patruus severior: & hinc proverbio locus: *patrua lingua, sapere patruum.* Pers. Sat. 1. v. 11. *cum sapimus patruos.* Noster postea lib. 2. Sat. 3. *ne sis patruus mihi.* Cic. pro Cœlio: *qui in reliqua vita mitis esset, ... fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister: objurgavit M. Cœlium, sicut neminem unquam parens.* Et de Quincto fratris filio, Cicero patruus ad Atticum ejus avunculum, lib. 10. Epist. 6. *vellem suscepisses juvenem regendum: pater enim nimis indulgens: quicquid ego astrinxi relaxat. Si sine illo possem, regerem, quod tu potes.*

4. *Tibi qualum Cytherea, &c.*) At tu, Neobole, quid valeat amor, experiris: ipsius imperio domita sponte obtemperas: ipsi tota vacas, lanificio & quotidiano opere prorsus abjecto.

*Qualum.*) Quasillum, calathum, in quo reponunt mulieres pensum, filum, stamen, fusos, forficulas.

*Cytherea.*) Ita dicta Venus, vel a Cythero Cypri insulæ oppido; vel potius a Cytheris insula, hodie *Cerigo*, contra Cretam, in mari Ægæo, ipsius numini sacra; in quam & dicitur primum advecta marinâ conchâ. Ovid. Fast. 4.

*Veneri sacra Cythera petit.*

*Puer ales.*) Cupido Veneris filius, cui alas affingunt & appingunt. Vide apud Athen. lib. 13. c. 2. de alato Cupidine versus plane lepidos. Eubulus quidem hoc fere sensu ibi scribit: *quisquis mortalium primus alatum amorem pinxit aut cerâ finxit, is hujus Dei ingenium ignorabat: levis enim minime est, aut facilis; imo gravis supra modum. Quorsum ergo illi pennæ? &c.* Alexis ibid. *Aiunt vulgo non volare Deum amorem, sed illos qui amant; alia vero de causa alas affingi.* Aristoph. ibid. *Amor apud Superos perturbabat omnia, e Deorum est ejectus concilio, & huc ad nos exilio depulsus. Audaci autem & petulanti præcisæ alæ, ne revolare in cœlum posset: ablatas vero pennas dederunt Victoriæ gestandas, præclara hostis spolia, &c.*

Digitized by Google

Tibi telas operosæque Minervæ
Studium aufert, Neobule, Liparæi nitor Hebri:
Eques ipso melior Bellerophonte,
Neque pugno neque segni pede victus,
Simul unctos Tiberinis humeros lavit in undis:
Catus idem per apertum fugientes
Agitato grege cervos jaculari, &
Celer alto latitantem fruticeto excipere aprum.

## INTERPRETATIO.

*tibi telas & laboriosa Minervæ opus excutit pulchritudo Hebri Liparensis, qui est eques solertior ipso Bellerophonte, nec pugilatu, nec tardo cursu superatus, statim humeros oleo perfusos abluit in flumine Tiberi; peritus etiam configere cervos exagitato agmine fugientes patenti campo, atque velox opprimere aprum denso virgulto abditum.*

## ANNOTATIONES.

5. *Operosæ Minervæ studium.* ) Lanificio textrinisque artibus præest Minerva. Hesiod. oper. dier.

Ἀθήνην
Ἔργα διδασκῆσαι, πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν.
*Minervam opera docere, ingeniosam telam texere.*
Virg. Æneid. 5.

*Operum haud ignara Minervæ.*

Æneid. 7.

*Bellatrix, non illa colo calathisve Minervæ*
*Femineas assueta manus.*

*Studium aufert, &c.* ) Sic amor die nocteque rem amatam animo duntaxat objicit; aliarum omnium rerum cogitationem & curam aufert. Sappho:

Γλυκεῖα μᾶτερ οὔτοι
Δύναμαι κρέκην τὸν ἱστὸν,
Πόθῳ δαμεῖσα παιδὸς,
Βραδίναν δι' Ἀφροδίταν.
*Dulcis mater haud possum ordiri telam*
*Correpta amore pueri per lentam Venerem.*

Apud Virgil. Dido amore capta Æneæ, cætera negligit omnia. Æneid. 4. v. 86. Vide lib. 1. Od. 8. ibique annot.

6. *Neobule.* ) νέος βουλή. *juvenile consilium:* vel νέος βῶλος. *nova gleba.*

*Liparæi nitor Hebri.* ) Species & decor adolescentis Hebri e Lipara oriundi: quæ præcipua est inter Æolias insulas, in mari Tyrrheno; v. Lipari; pendet a Sicilia; modo bene culta, & arce munita est.

*Nitor Hebri, eques, &c.* ) Dictio plane insolens, carens exemplo, & quæ bilem movet etiam admiratoribus Horatii, eos isto loco cacozeliam notantibus.

7. *Eques ipso melior Bellerophonte, &c.* ) In Campo Martio passim victor.

*Bellerophonte.* ) Hujus inventum esse, equo vehi, affirmat Plin. lib. 7. cap. 56. Vide lib. 1. Od. 27. in fine, ibique annot.

8. *Neque pugno neque segni pede victus, &c.* ) Exercebat se Romana juventus pugilatu, cursu pedestri, equitando, natando, &c. lib. 1. Od. 8.

9. *Simul unctos Tiberinis humeros, &c.* ) Hunc versum interserunt aliqui septimo loco; planiori quidem sensu: verum præterquam quod repugnat carminis lex, & instituta versuum series; siquidem hoc pacto duo tetrametri continui ponerentur; id insuper rectum perturbaret ordinem exercitationum Romanis usitatarum. Nam post decursionem in Campo Martio duplicem, equo nempe & pedibus, postque luctam, seu pugilatum, sequebatur natatio in Tiberi, ad detergendum sudorem ac pulverem; quo Horatius belle hic expressit. Vide Veget. de re milit. lib. 1. c. 10.

10. *Catus idem, &c.* ) Hebrus non tantum campestri victoriâ insignis, sed & venandi solertiâ.

11. *Agitato grege cervos.* ) Turmatim cervi per silvas & campos vagari solent. Virg. Georg. 3.

*Confertoque agmine cervi.*

12. *Alto latitantem fruticeto.* ) Quidam legunt *arto* sive *arcto*, id est, denso. Videtur tamen Horatius Homerum secutus, Iliad. λ. circa medium, de apro.

ὁ μέν τ' εἶσι βαθείης ἐκ ξυλόχοιο,
*Ille vero prodit e profundo fruticeto, seu loco arboribus condenso.*

*Excipere.* ) Incautum & ex insidiis capere.

# ODE XIII.

## AD FONTEM BLANDUSIÆ.

O fons Blandusiæ splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus,
Cras donaberis hœdo,
Cui frons turgida cornibus
Primis, & Venerem prœlia destinat
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos,
Lascivi soboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Nescit tangere: tu frigus amabile
Fessis vomere tauris
Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,

### INTERPRETATIO.

*O fons Blandusiæ, vitro lucidior, digne vino suavi, tum floribus; cras tibi mactabo capreolum, cui frons tumet cornibus novis; quique lasciviam & certamina incassum præparat; nam proles gregis luxuriosi tinget tibi frigidas aquas rubeo cruore. Te minime attingit asperum tempus ardentis Caniculæ. Tu amœnum frigus suppeditas tauris aratro fatigatis, atque erranti gregi. Tu censeberis etiam inter illustres fontes,*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 5. Lib. 1.

1. *O fons, &c.*) Hic fontis Blandusiæ apotheosim quandam agnoscunt nonnulli. At saltem notare licet, ex mente veterum fontes sacros fuisse, & aliquid numinis habuisse; quare illic sacrificabant, ut & Horatius præstat istic. Lib. 1. Od. 1. *aquæ caput sacræ*. Vide ibi annot.

*Fons Blandusiæ.*) Is apud Sabinorum fines, ad Mandelam pagum, situs erat in prædio nostri Poetæ, de quo lib. 2. Od. 18. v. 14. & Epist. 16. init. ubi.

*Fons etiam rivo dare nomen idoneus.*

2. *Dulci digne mero.*) Digne sacrificiis, in quibus adhibetur vinum ac libatur.

*Non sine floribus.*) Libantes vina coronabant. Virg. Georgic. 2. v. 528.

*socii cratera coronant:*
*Te libans, Lenæe, vocat.*

Et Æneid. 1. v. 728.

*Crateras magnos statuunt & vina coronant.*

Tibull. lib. 2. Eleg. 5.

*Coronatus stabit & ipse calix.*

Ex Homer. Iliad. 9.

Κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο.

Quidam flores istos referunt ad hœdum mactandum. Nam mos erat coronari victimas. Alii, quod floribus spargebantur fontes.

3. *Cras donaberis hœdo.*) Immolabitur tibi hœdulus tener, cui erumpere cornua incipiunt. Is ergo frustra meditatur prœlia in alios hœdos. Ovid. Fastor. 3.

*Fonti Rex Numa mactat ovem,*
*Plenaque odorati disponit pocula Bacchi.*

5. *Venerem & prœlia destinat.*) Lascivum & petulans animal hœdus. Sic & Od. 22. seq.

*Verris obliquum meditantis ictum*
*Sanguine donem.*

9. *Te flagrantis atrox, &c.*) Diebus etiam Canicularibus æstum nequaquam sentis: tuque vel tum umbram & frigus præbes; cum Sol primam partem Leonis aggreditur, mense Julio; quando per dies multos sævit *insana Canicula & siccas messes coquit*, ut ait Pers. Sat. 3. v. 5. Vide lib. 1. Od. 17. vers. 17. annot. Plin. lib. 2. c. 40. *Caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat? Cujus sideris effectus amplissimi in terra sentiuntur. Fervent eo exoriente maria: fluctuant in cellis vina: moventur stagna . . .* Eodem lib. c. 47. *ardentissimo æstatis tempore exoritur Caniculæ sidus, Sole primam partem Leonis ingrediente, qui dies 15. ante Augustas Cal. est . . . Solis vapor geminatus ardore sideris.* Idem lib. 9. cap. 16. *totum mare sentit exortum hujus sideris . . .* lib. 18. cap. 28. *Canis ortum vocamus, Sole primam partem Leonis ingresso. Hoc fit post Solstitium 23. die. Sentiunt id maria & terræ . . . accenditque Solem; & magnam æstûs obtinet causam.*

13. *Fies nobilium tu quoque fontium.*) Tu eris unus e fontibus nominatissimis, me celebrante amœnitatem tuam, aquarum perspicuitatem ac suave.

Me dicente cavis impositam ilicem
Saxis; unde loquaces
Lymphæ desiliunt tuæ.

INTERPRETATIO.

*cum prædicavero ilicem superextensam rupibus excavatis, e quibus defluunt aquæ tuæ* leniter *strepentes.*

ANNOTATIONES.

ve murmur, opacitatem umbræ tuæ, aliaque quæ hinc enascuntur commoda: *cavis impositam ilicem saxis*, innatam saxis quercum; & ex iis desilientes cum jucundo strepitu aquas: unde *quercus & ilex* *Multâ fruge pecus, multâ dominum juvet umbrâ.* *Fons etiam rivo dare nomen idoneus, ut nec Frigidior Thracam, nec purior ambiat Hebrus: Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo. Hæ latebræ dulces, etiam (si credis) amœnæ, Incolumem tibi me præstant Septembribus horis.* Epist. 16. jam ante cit.

## *AD POPULUM ROMANUM.*

## ODE XIV.

*De Augusti reditu ex Hispania, Cantabris devictis.*

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Morte venalem petiisse laurum
Cæsar, Hispanâ repetit Penates
Victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
Prodeat, justis operata Divis;
Et soror clari ducis; & decoræ
Supplice vittâ

INTERPRETATIO.

O *Popule Romane, Augustus, quem paulo ante dicebamus quæsivisse lauream morte emendam, instar Herculis, jam ex Hispanica regione domum redit triumphans. Ergo femina uno læta viro procedat, sacro facto æquis numinibus: nobilis etiam Imperatoris soror; atque matres puellarum & adolescentium haud ita pridem salvorum, or-*

ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod supra Ode 2. Lib. 3.

1. *Herculis ritu, &c.* ) Horatius hac Ode Augustum gratulatur incolumem tum e morbo sat diuturno, tum e periculis belli difficillimi. Nimirum ex Sueton. c. 20. *Externa duo bella per se gessit: Dalmaticum adolescens adhuc, & Antonio devicto Cantabricam.* Et cap. 21. *Domuit autem partim ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, &c.* Porro ad expeditionem Cantabricam profectus Cæsar Terracone detentus est morbo pertinaci, e quo tamen convaluit, rebusque per legatos feliciter confectis Romam rediit Cantabrorum victor; quamquam illi subinde rebellarunt. Vide lib. 2. Od. 6. init. ibique annot.

*Dictus morte venalem petiisse laurum, &c.* ) De Augusto ægrotante dicebamus nuper, illum periculo vitæ comparandam sibi quæsivisse laurum & gloriam, nobis vero pacem: sicut Hercules orbem suscepit monstris liberandum, non sine gravi discrimine. Ac ecce victor & salvus rediit ad nos ex Hispania, ut Hercules olim profligato Geryone.

5. *Unico gaudens mulier marito prodeat, &c.* ) Ergo singuli gratias Diis agant pro salute Imperatoris optimi, præ cæteris autem Livia Drusilla Augusti conjux amantissima, eique pariter dilectissima, formâ & pudicitiâ perinde insignis. De ea quædem satis singularia narrat Dio lib. 58. ut quod obvios forte nudos habuerit, quos majestatis reos egi intelligens periculo exemerit, dicendo; apud castas illos nihil a statuis differre, &c. Vix ad rem est quod aliqui hic observant monogamiam pudicitiæ esse notam; atque eas coronâ solitas honorari castimoniæ, quæ uno contentæ matrimonio fuerant; ex Valer. Maxim. lib. 2.

6. *Prodeat.* ) Supplicet ad Deorum pulvinaria, aras, templa.

*Operata Divis.* ) Facto prius ex more domi sacrificio, placatisque Diis domesticis. *Justis*, qui Imperatoris virtuti ac merito debitam felicitatem & incolumitatem præstitere. Quidam pro *Divis*, legunt *sacris*.

*Et soror clari ducis.* ) Pariter etiam Octavia Au-

Digitized by Google

Virginum matres, juvenumque nuper
Sospitum. Vos o pueri, & puellæ
Jam virum expertæ, male nominatis
Parcite verbis.
Hic dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum,
Nec mori per vim metuam, tenente
Cæsare terras.
I, pete unguentum, puer, & coronas,
Et cadum Marsi memorem duelli;
Spartacum si qua potuit vagantem
Fallere testa.

## INTERPRETATIO.

*nata tantâ supplicanti. Vos o juvenes, & adolescentula marito juncta, abstinete vocibus inauspicatis. Ista lux mihi sane festiva depellet molestas sollicitudines. Ego neque bellum civile formidabo, neque interire per vim hostilem, Auguste orbis domine. Perge, famule, affer unguentum & coronas, atque amphoram testem belli Marsorum, si forte aliquod fictile dolium potuit latere Spartacum*

## ANNOTATIONES.

Augusti soror, Antonio nupta: procedant & matronæ Romanæ, *matres juvenum*, qui ex eo bello salvi redierunt. *Decoræ supplice vittâ*, quæ vestitus & ornatus matronarum erat proprius; in primis autem supplicantium & sacrificantium. Vid. Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27.

10. *Vos o pueri, & puellæ.*) Hos in sacris adhiberi patet ex Ode prima hujus libri.

11. *Male nominatis parcite verbis.*) Et hæc intelliguntur facile ex dictis in Od. mox cit. *male nominatis*, quæ nefas est nominari, quæque malum omen afferrent. Non absurde legunt aliqui, *male ominatis*.

12. *Parcite verbis.*) Favete linguis, ne sacra violate; silentio potius & mente attenta juvate.

14. *Ego nec tumultum, &c.*) Dum rerum potietur Augustus; nec ullas civiles turbas metuo, nec hostiles impetus & incursiones.

*Tumultum.*) Cic. Philipp. 8. n. 3. *potest esse bellum sine tumultu: tumultus esse sine bello non potest. Quid enim est aliud tumultus, nisi perturbatio tanta, ut major timor oriatur? Unde etiam nomen ductum est Tumultus.*

15. *Nec mori per vim metuam tenente Cæsare terras.*) Sueton. Octav. c. 22. *Janum Quirinum semel atque iterum a condita urbe memoriam ante suam clausum in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter clausit.* Lib. 4. Od. 5.

*Quis Parthum paveat? Quis gelidum Scythen,*
*Quis Germania quos horrida parturit*
*Fœtus, incolumi Cæsare? Quis feræ*
*Bellum curet Iberiæ?*

Et Od. 15.

*Custode rerum Cæsare non furor*
*Civilis, aut vis eximet otium, &c.*

17. *I, pete unguentum, puer, &c.*) Lætitiæ signa plurima; epulæ, & in his vinum vetustate exquisitum, unguenta, flores, coronæ, musica. Vid. lib. 2. Od. 7. 18. &c.

18. *Cadum Marsi memorem duelli.*) Vinum diffusum & in cellam conditum tempore belli, quod Marsicum, Italicum, Sociale nuncupatum est; nimirum ante annos plus sexaginta. Tum *ab omni parte Italiæ, duce & auctore belli discurrante Popedio*, qui Marsos sub signis habebat, *diversa per populos, & urbes signa cecinere*. Tandem *Marsos Gabinius disentit*. Vide L. Flor. l. 3. c. 18.

19. *Spartacum si qua potuit vagantem fallere testa.*) O puer quære nobis vinum Marsici belli notam habens; si quidem ex eo superfuit, & effugit Spartaci vastationem & depopulationes, quæ annis circiter sexdecim grassatæ sunt post bellum Marsicum. Luc. Flor. lib. 3. c. 20. *Bellum Spartaco duce concitatum quo nomine appellem nescio*, inquit, *quippe cum servi militaverint, gladiatores imperaverint, &c. ... Spartacus, Crixus, Œnomaus effracto Lentuli ludo cum triginta aut amplius ejusdem fortunæ viris erupere Capua: servisque ad vexillum, & ad auxilium vocatis, cum statim decem amplius millia coissent hominum, non modo effugisse contenti, jam vindicare volebant .... totam pervagantur Campaniam ... terribili strage populantur. Affluentibus in diem copiis, cum jam esset justus exercitus, e viminibus pecudumque tegumentis inconditos sibi clypeos, e ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt, &c. ... Ille Spartacus de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honore virium gladiator ... Consulares quoque aggressus in Apennino Lentuli exercitum percecidit: apud Mutinam C. Cassii castra delevit. Quibus elatus victoriis de invadenda urbe Roma deliberavit. Tandem totis Imperii viribus contra mirmillonem consurgitur: pudoremque Rom. Licinius Crassus asseruit ... Spartacus in primo agmine fortissime dimicans, quasi imperator occisus est.* Vide Plutarc. in vita Crassi. Appian. lib. 1. bell. civil. Oros. lib. 5. cap. 26. &c.

Dic & argutæ properet Neæræ
Myrrheum nodo cohibere crinem:
Si per invisum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus,
Litium & rixæ cupidos protervæ.
Non ego hoc ferrem calidus juventâ,
Consule Planco.

INTERPRETATIO.

*grassanti. Jube quoque Neæra canora ut festinet in nodum colligere capillos myrrheos. Quod si impediaris ab importuno januæ custode, abscedito. Canescentes crines mitigant animum appetentem jurgiorum ac petulcæ contentionis. Id vero minime tolerassem juventute fervidus, sub Munatii consulatu.*

ANNOTATIONES.

21. *Dic & argutæ properet Neæræ, &c.*) Adduc, o puer, & Neæram voce ac fidibus canoram ad plenam hilaritatem convivii nostri. Veniat autem protinus vel incompta, & collectis tantum in nodum capillis. Nam *dum comuntur annus est*: repentinum vero gaudium nostrum haud fert moram. Vide lib. 2. Od. 11. in fine.

22. *Myrrheum crinem.*) Vel, myrrhino unguento delibutum; vel, subflavum & myrrhei coloris. Quibusdam placet legere *myrteum*, id est, medium inter flavum & nigrum.

23. *Si per invisum mora janitorem fiet, abito.*) Redi vero quamprimum, si non statim admittaris, sique moram faciat custos januæ ædium Neæræ. Ovid. Amor. lib. 1. Eleg. 6.

*Janitor indigno durâ religate catenâ,*
*Difficilem moto cardine pande forem.*
. . . . . . . . . . . .
*Aspice ut invideas: inimicaque claustra relaxa.*
. . . . . . . . . . . .
*Non te formosæ decuit servare puellæ*
*Limina sollicito carcere dignus eras.*

Et lib. 2. Eleg. 2.

*Quem penes est dominam servandi cura, Bagoe,*
. . . . . . . .
*Si sapis, o custos, odium (mi crede) mereri*
*Desine, &c.*

25. *Lenit albescens animos capillus.*) Jam nempe deferbuit prima ætas & ardor juvenilis, injuriæ ac repulsæ impatiens. At si olim simile quid contigisset, continuo exarsissem irâ, & mox vecte, armis, vi effractum fores properassem: quando Munatius Plancus consulatum gerebat ann. U. C. 712. ego vero Horatius annum ætatis agebam vigesimum quartum. Vide postea Od. 26. v. 7. annotat.

## ODE XV.

### *IN CHLORIM JAM VETULAM.*

1 Uxor pauperis Ibyci,
Tandem nequitiæ pone modum tuæ,
Famosisque laboribus.
Maturo propior desine funeri

INTERPRETATIO.

*Tu conjux Ibyci egeni impone finem aliquando tuæ libidini & infami operæ. Jam propinqua morti*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Uxor.*) Cum meretricem appellet, abutitur hoc nomine, siquidem dignitatis est, non autem voluptatis, ut ajebat Commodus Imperator. Porro solebant exoletæ meretrices pauperibus nubere: ita Chloris vetula Ibyco.

2. *Nequitiæ.*) Luxuriæ & lasciviæ. Vide annot. supra Od. 4. in fine.

3. *Famosisque laboribus.*) Quæstui meretricio: nec plura comminisci decet nos cum nonnullis, gravi quidem pudoris injuriâ. Cic. de Rep. lib. 4. apud Non. Marcell. *Si qua erat famosa, ei cognati osculum non ferebant.* De Orat. 2. *ad famosam vetuit me mater accedere.* Plaut. Asinar. *Miserum me famosum facit suis flagitiis.*

4. *Maturo prior desine funeri ludere.*) Publ. Syrus ad rem prorsus ita scribit: *amor tum ludit,*

Inter ludere virgines,
Et stellis nebulam spargere candidis.
Non, si quid Pholoen satis,
Et te, Chlori, decet. Filia rectius
Expugnat juvenum domos,
Pulso Thyas uti concita tympano.
Illam cogit amor Nothi
Lascivæ similem ludere capreæ.
Te lanæ prope nobilem
Tonsæ Luceriam, non citharæ, decent,
Nec flos purpureus rosæ,
Nec poti vetulam fæce tenus cadi.

## INTERPRETATIO.

*tempestivæ cessa colludere cum adolescentulis, atque pulveris sideribus caliginem inspergere. Si quidpiam Pholoæ convenit, haud etiam tibi, o Chlori. Nata tua aptius aggreditur ædes adolescentium, velut Baccha pulsato tympano concitata. Eam Nothi amor adigit lascivire capræ instar petulantis. Tibi exoletæ convenit lana ad celebrem Luceriam detonsa, minime vero lyra, aut sertum e rosis rubicundis, vel amphora ad fundum exhausta.*

## ANNOTATIONES.

*dit, morti delicias facit.* Cic. Offic. 1. n. 123. *Luxuria cum omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est. Sin autem libidinum intemperantia accesserit, duplex malum est, quod & ipsa senectus concipit dedecus, facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.* Ovid.

*Turpe senilis amor.*

10. *Thyas.*) Bacchi Sacerdos; a θύειν. Unde & Thyonæus dicitur Bacchus. Vide lib. 2. Od. 19. v. 9. annot.

*Concita tympana.*) Furore percita. Vide lib. 1. Ode 18. sub finem, ibique annot.

11. *Nothi.* Hoc amatoris nomen erat.

13. *Te lanæ, &c.*) Te lanificium decet jam ad senium vergentem; non autem lascivia vel ebrietas.

14. *Luceriam.*) Ea civitas Apuliæ Dauniæ, quibusdam Nuceria dicitur, hodie *Lucera*, sita est in planitie pascuis abundante, in qua educantur multi ovium greges, quarum lanæ in primis laudantur. Columell. l. 8. *de ovibus generis eximii, Calabras Appulasque milites nostri existimabant.* Plin. l. 8. cap. 48. *Lanæ Appulæ laudatissimæ ... ville breves, pexulis celebres, &c.* Martial. lib. 14. Epigr. 155.

*Velleribus primis Appulia, Parma secundis
Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.*

In ea quoque urbe templum erat sacrum Minervæ, ex Strabone lib. 6. quod ad rem facit; nam illi curæ fuisse lanificium, fuse dixi ad Oden. 12. præced.

*Non cithara, decent.*) Alibi notavi citharistrias ut plurimum fuisse meretrices; patet e Terentio, aliisque passim.

15. *Nec flos purpureus rosæ.*) Coronæ & serta e rosis in conviviis usitata tibi minime conveniunt; siquidem ætati florenti flores duntaxat idonei.

16. *Nec poti vetulam, &c.*) Quidam legunt *sed*, pro *nec*; ut bibacis vetulæ vitium notetur. Sed Poeta voluit magis indicare vetulam Chlorim minus jam bibacitati aptam: meretricum porro id proprium fuisse constat. Vide lib. 1. Od. 36. v. 13. & seq. Contra, honestis mulieribus, & quidam *matronis Romanis usus vini pridem ignotus, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit:* inquit Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. Idem testatur Polyb. lib. 6. Plutarch. Athen. lib. 10. &c.

*Vetulam fæce tenus, &c.*) Quidam legunt, *vetulà fæce tenus*, voluntque designari vetus vinum: sed o nugæ! tu lector adverte potius expressam Theocriti sententiam Idyll. 7.

*Πίομαι
μαλακῶς ἐν κύλιξι καὶ ἐς τρύγα χεῖλος ἐρείδων.*

*Bibam, calicibus ad fæcem labrum infigens.*

## *AD MÆCENATEM.*

## ODE XVI.

*Auro expugnari omnia: se tenui re contentum ac beatum vivere.*

Inclusam Danaen turris ahenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium virginis abditæ
Custodem pavidum Jupiter & Venus
Risissent: fore enim tutum iter & patens
Converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. Concidit Auguris
Argivi domus ob lucrum

### INTERPRETATIO.

*Turris ex ære, & valida janua, necnon vigilantium canum mœsta custodia clausam Danaen abunde tuebantur noctu a mœchis; nisi Jupiter & Venus irrisissent Acrisium inclusæ puellæ meticulosum observatorem: quippe viam fore securam apertamque numini in aurum mutato. Aurum gaudet pervadere medios custodes, ac rupes frangere, vi fulminis validius. Vatis Argolici familia interiit propter quæstum.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 6. Lib. 1.

1. *Inclusam Danaen, &c.* ) Continet hæc Ode Stoica pleraque dogmata, & gravia adversus avaros axiomata, quibus vix acrius aut sanctius quidquam habet aut pronuntiat schola Christianorum.

*Danaen turris ahenea, &c.*) Danaes pater Acrisius, subinde Rex Argivorum, cum ex oraculo accepisset se occisum iri ab eo qui a filia sua nasceretur, eam tenebat arcta custodia inclusam. At Prœtus Acrisii frater auro primum custodes, dein ipsam Danaen corrupit, ex eaque Perseum suscepit. Vide Apollodor. lib. 2. Fabulantur autem Jovem ad illam venisse in aureum imbrem versum. Vide Pindar. Pyth. Idyll. 12. Ovid. Amor. 3. Eleg. 4.

*Jupiter admonitus nil esse potentius auro,*
*Corruptæ pretium virginis ipse fuit.*

*Turris ahenea, &c.* ) Validissima, firmissima.

2. *Vigilum canum.* ) Ex Epiro canes illi ingentes custodiendis ædibus adducebantur, præsertim e Laconica & Arcadica regione. Vide Cœl. Rhodigin. lib. 17. c. 28. Plin. lib. 8. c. 40. ubi de canum fide pluribus disserit, vocatque *fidissima auxilia, nec stipendiorum indiga.*

3. *Tristes excubiæ.*) Latratu & ululatu tristitiam ingenerantes. Adde carceris horrorem.

4. *Nocturnis.* ) Qui ut plurimum noctu grassantur, quasi sua flagitia tenebris occultare cupientes. Nam *qui male agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus.* Evangel.

5. *Si non Acrisium, &c.* ) Si libido auro munita inanem Acrisii diligentiam non reddidisset.

6. *Custodem pavidum.* ) Qui suæ vitæ timebat, ob Oraculi responsum de quo ante.

9. *Aurum per medios ire satellites, &c.* ) Χρυσὸς ἀνοίγει πάντα, κἂν Ἅιδου πύλας. *aurum aperit omnia etiam Inferorum portas.* Apul. lib. 6. auro soient adamantinæ etiam perfringi fores. Huc facit epithetum εὐρυσθενὴς, *viribus late potens*, quod Plutoni tribuitur. Homer. Odyss. 5. Pindar. Pyth.

11. *Concidit Auguris Argivi domus, &c.* ) Adrastus Argivorum Rex Polynici genero suo Thebarum regnum asserere armis suscepit: ad bellum autem trahere voluit Amphiaraum vatem. Hic auguriis suis doctus male cessuram in Thebanos expeditionem, avertere illam frustra conatus est; ipse vero fugit, & latuit, una conscia Eriphyle uxore sua. Cum ergo quæreretur, latebras illa detexit, pacta monile aureum sibi dandum ab Argia uxore Polynicis, Adrasti filiâ; quod olim summa arte Vulcanus fabricarat, gemmisque exornarat. Tractus itaque est Amphiaraus ad id bellum, exitium in eo sibi suisque impendere non ignarus. Porro cum didicisset se ab Eriphyle proditum, filio Alcmæoni ut matrem interficeret mandavit. Quod cum præstitisset; Furiis agitatus periit. Amphiaraus in primo belli Thebani conflictu dehiscente terrâ cum suo curru & aurigâ absorptus est: Amphilochus etiam alter ejus filius in acie cecidit. Sic tota *concidit* ejus *domus ob lucrum demersa excidio*; vel, ut legunt alii,

Digitized by Google

Demersa excidio. Diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Jure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Mæcenas equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
A Diis plura feret. Nil cupientium
Nudus castra peto; & transfuga divitum
Partes linquere gestio,
Contemptæ dominus splendidior rei,

## INTERPRETATIO.

*Vir Macedonius portas civitatum perrupit, ac Reges invidos profligavit donis. Dona irretiunt feroces navarchos. Augescentes opes comitatur sollicitudo; & cupiditas ampliorum. O Mæcenas equitum gloria, non sine causa timui caput erigere valde splendidum. Quo major sibi quisque ademerit, eo ampliora consequetur a Numinibus. Pauper transeo ad partes nihil appetentium: atque opulentorum castra fugitivus deserere exulto: rerum spretarum possessor magis illustris,*

## ANNOTATIONES.

alii, exitio. Vide Stat. Thebaid. lib. 6. Cic. lib. 6. Epist. 6. ad Cæcinam ita scribit: *Victus sum deesse Pompeii saluti, cum ille aliquando non defuisset meæ. Itaque vel officio, vel famâ bonorum, vel pudore victus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus.* Et Act. in Verrem 6. n. 39. *Eriphylam accepimus in fabulis, ea cupiditate, ut cum vidisset monile (ut opinor) ex auro & gemmis, pulchritudine ejus incensa salutem viri proderet.* Et 1. de Invent. n. 94. *Eriphyle auro viri vitam vendidit.* Ejus quoque meminit Plato 9. de Republ. quod in perniciem viri monile aureum acceperit. Virgil. Æneid. 6. vers. 445.

*Mœstamque Eriphylen*
*Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.*

13. *Diffidit urbium portas vir Macedo.*) Philippus Macedoniæ Rex, Alexandri Magni pater, urbium custodes pecuniâ solebat corrumpere: & cum expugnari vix posse nuntiaretur arcem quamdam undique præmunitam, respondit: annon asellus auro onustus in eam penetrare poterit? Hinc dicebatur non Philippus, sed ejus aurum Græciam subegisse. Plutarch. in Pauli Æmilii vita. Et Valer. Maxim. lib. 7. c. 2. ait *Philippum majore ex parte mercatorem Græciæ ante fuisse quam victorem.* A Juvenale Sat. 12. appellatur *callidus emptor Olynthi.* Porro id faciebat rite, ex Pythii Apollinis oraculo, quod ita ei consulenti responderat:

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις.
*Argenteis hastis pugna, & omnia expugnabis.*

14. *Subruit æmulos Reges.*) Vel sibi invidentes Græciæ Imperium, vel inter se de eo contendentes. Certe cum infirmiores juvaret semper, donec mutuis contentionibus omnes conciderent, omnium tandem factus est dominus. Vide Justin. l. 8. & 9. Oros. l. 3. c. 12. Plutarch. in Æmilio.

17. *Crescentem sequitur cura pecuniam, &c.*) Cura servandi, & *majorum fames* seu desiderium & cupiditas, quam esse infinitam, asserit Aristot. de Rep. 6. unde & ait, avaris pecuniam esse velut finem, non tamen terminum. Juvenal. Sat. 14. v. 139.

*Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit:*
*Et minus hanc optat qui non habet.*

18. *Jure perhorrui late conspicuum tollere verticem.*) Merito abhorrui a magnis opibus nimiaque potentia: quia noveram in his curas & sollicitudines certas esse, & molestas; contra, in mediocri fortuna inesse felicitatem.

21. *Quanto quisque sibi plura negaverit.*) Quanto paucioribus quisque fuerit contentus, infinitæ cupiditati frænum injiciens, negansque ambitioni quod petit, tanto plura obtinebit a Diis. Interrogatus Epicurus quo pacto quis ditesceret, respondit: non pecuniæ suæ apponens, sed multa de rebus necessariis amputans. Stob. Serm. 39.

22. *Nil cupientium nudus castra peto, &c.*) Malo nihil habere, seu omnibus nudari, & nihil cupere; quam dives esse & sollicitus. Democritus ajebat: *si multa non desideres, pauca tibi multa videbuntur.* Juvenal. Sat. 14. v. 312.

*Sensit Alexander, testâ cum vidit in illa*
*Magnum habitatorem, quanto felicior hic qui*
*Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,*
*Passurus gestis æquanda pericula rebus.*

23. *Transfuga divitum partes linquere gestio.*) Ratus divites esse miserrimos, ab his libens transfugio ad eos qui beatiores sunt nihil cupiendo, parvo contenti.

25. *Contempta dominus splendidior rei.*) Quia imperiose dominor exiguis meis bonis, & majora despicio, mihique ipse ea denego; hinc splendide me ostento. Contra dives avarus velut mancipium servit opibus, sordideque vivit; estque *inter opes inops.* Senec. Epist. 74. *occurrent*

(quod

Quam si, quidquid arat non piger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.
Puræ rivus aquæ, silvaque jugerum
Paucorum, & segetis certa fides meæ,
Fulgentem imperio fertilis Africæ
Fallit, sorte beatior.
Quanquam nec Calabræ mella ferunt apes,
Nec Læstrygoniâ Bacchus in amphora
Languescit mihi, nec pinguia Gallicis
Crescunt vellera pascuis;
Importuna tamen pauperies abest:
Nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contractâ melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam si Mygdoniis regnum Alyattici

## INTERPRETATIO.

*quam si meis granariis conderem id omne quod colit Appulus laboriosus:* ego interim *egens summis in divitiis. Rivus aquâ liquida, & silva paucorum jugerum, messisque mea spes secura est ignota illis, qui fœcundæ Libyæ dominatur,* ejusque *fortunâ melior* est. *Licet mihi neque apes Calabriæ mel producant: neque vinum* apud me *senescat in vado Formiano, neque lana pretiosa crescant in Gallia pascuis: at gravis egestas non adest: sique majora cupiam, tu donare minime recusares. Exigua tributa solvam facilius refrænatâ cupiditate, quam si Lydiæ ditionem agris*

## ANNOTATIONES.

(*quod genus egestatis gravissimum est*) *in divitiis inopes*. Nam *deest avaro tam quod habet, quam quod non habet*, Claudian.

*Semper inops quicumque cupit.*

29. *Puræ rivus aquæ, &c.*) Est mihi apud Sabinos in valle amœnissima prædiolum, ubi e fonte Blandusiæ Digentia rivus limpidissimus in fluviom Farfarum dimanat: de quo supra Od. 13. Est *silva paucorum jugerum*, sed ad necessitatem usumque foci sufficiens: est *seges certa* & fundus non mendax, ad panem. Hæc, inquam, pauca habens, *sorte beatior* sum eo qui *fulget imperio* fertilis Africæ, & *condit horreo quicquid de Lybicis verritur areis*. Lib. 1. Od. 1. Mea tamen felicitas illum *fallit*: id est, nescit me beatum, seque infelicem & miserum esse, quod & parta servandi, & majora acquirendi nunquam non curâ discrucietur.

33. *Quanquam nec Calabræ, &c.*) Etsi nihil exquisitum possideo, nec mel Calabriæ, qua in regione sunt flores apibus gratissimi; unde & optimum conficiunt mel; nec vetus vinum ac delicatum; nec lanas maxime laudatas; at res habeo necessarias ad victum; neque mala paupertatis sane importuna experior.

34. *Nec Læstrygoniâ Bacchus in amphorâ languescit mihi.*) Nec domi habeo vinum Formianum, quod reservem donec vetustate pretiosum fiat.

*Læstrygones*, qui & Cyclopes, olim Siciliam, dein Formias Campaniæ urbem incoluerunt. Vide lib. 1. Od. 20. in fine, ubi de Formianis collibus, vitibus, vino.

35. *Languescit.*) Sic Od. 21. seq. *languidiora vina* ponit pro exquisitis, ob maturitatem quam vetustas attulit.

*Nec pinguia Gallicis crescunt vellera pascuis.*) Nec mihi sunt greges lanigeri in præpinguibus Galliæ pascuis, lanam afferentes laudatissimam. Columell. lib. 8. de ovibus emendis ita scribit: *generis eximii Calabras Appulasque milites nostri existimabant, earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ pretiosiores habentur, earumque præcipuæ Altinates.* Altinum urbs olim præclara Venetiæ, quæ regio Galliæ Transpadanæ erat. Ejus tam regionis atque urbis lanas commendat Martial. lib. 14. Epig. 155.

*Velleribus primis Appulia, Parma secundis*
*Nobilis, Altinum tertia laudat ovis.*

Plin. lib. 8. cap. 48. idem testatur; additque, *alba Circumpadanis nulla præfertur.*

38. *Nec, si plura velim, tu dare deneges.*) Ita Mæcenati gratias agit, laudemque tribuit egregie Poeta accepti beneficii memor & toties præco. Vide lib. 2. Od. 18. v. 12. & Epod. 1. sic eidem scribit:

*Satis superque me benignitas tua*
*Ditavit.*

39. *Contractâ melius parva cupidine, &c.*) Vitam facilius sustentabo, & exigua pendam vectigalia, pauca possidens; quam si ingentes habenti divitias magna perinde tributa essent exsolvenda.

41. *Quam si Mygdoniis regnum, &c.*) Quam si totas Phrygiæ Lydiæque opes possiderem. Vide lib. 2. Od. 12. sub finem.

*Regnum Alyattici.*) Halyattes Crœsi pater fuit: uterque regnavit in Lydia, & divitiis celebratus

Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa. Bene est cui Deus obtulit
Parcâ, quod satis est, manu.

INTERPRETATIO.

*Phrygiis adjungam. Plurima cupientes egent plurimis. Felix est is, cui manu contractâ Dii dederunt quantum sufficit.*

ANNOTATIONES.

tus est, quas e Lydiæ metallis hauserant. Vide Herodot. lib. 1. Strabo lib. 9. 14. 15. Scribendum videtur fuisse *Halyattii*.

42. *Multa petentibus desunt multa.*) Vide Gell. lib. 9. cap. 8. *Verum profecto est*, inquit, *quod observato rerum, usu sapientes viri dixere, multis egere qui multa habent . . . & minus habendum esse, ut minus desit, &c.*

43. *Bene est cui Deus obtulit parcâ, &c.*) Sapientissimus Regum ita Deum optimum maximum rogabat: *Divitias & paupertatem ne dederis mihi: sed tantum victui meo tribue necessaria.*

---

## AD ÆLIUM LAMIAM.

## ODE XVII.

*Ejus nobilitatem commendat: deinde monet ut diem crastinum hilariter agat.*

Æli vetusto nobilis ab Lamo,
Quando & priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos:
Auctore ab illo ducis originem,
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Litoribus tenuisse Lirin,

INTERPRETATIO.

*O Æli illustris ab Lamo antiquo, (quandoquidem ajunt inde priores etiam Lamias appellatos, ac universam posterorum familiam in annalibus mentionem eorum facientibus) genus refers ad eum conditorem, qui primus traditur incoluisse Formiarum civitatem: & circa Lirin Maricæ ripas al-*

ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Æli.*) Ælia gens etsi plebeja Romæ inclaruit honoribus & præclare gestis. Variis cognominibus totidem illustres habuit familias, in quibus Tuberones, Pæti, Galli, Sejani, Ligures, Lamiæ, &c. nec omittendus est ortus ex ea stirpe Antoninus Imperator. Lamiarum porro tam celebre nomen, ut Juvenalis Sat. 6. vers. 384. scripserit: *quædam Lamiarum*, pro una matronarum vetustâ nobilitate superbarum. Hic intelligendus videtur idem, qui lib. 1. Od. 26. & 36. scilicet Q. Ælius Lamia, bello Augusti Cantabrico præfectura & bellicis rebus insignis.

*Nobilis ab Lamo.*) Nobilitatem trahens & appellationem ab Lamo Neptuni filio, Rege & conditore Formiarum: has tamen e Laconibus ædificatas alii contendunt. Eustath. Strabo lib. 3. Plin. lib. 3. cap. 5. *Oppidum Formiæ, Hormia dictum, ut existimavere, antiqua Læstrygonum sedes.* His vero Lamus imperavit.

2. *Hinc Lamias ferunt denominatos.*) A Lamo tamen Lamides, ut Priamides e Priamo rectius efferatur.

4. *Fastos.*) Annalium libros in quibus totius anni fit descriptio; atque nomine Consulum, & res egregie confectæ annuatim & breviter notantur. Fest.

6. *Qui Formiarum, &c.*) Urbs illa pridem in litorali ora Campaniæ inter Caietam & Minturnas, ubi nunc Mola pagus elegans; a Saracenis excisa est anno Domini 956.

7. *Innantem Maricæ litoribus tenuisse Lirin.*) Liris fluvius, qui & Liternus Appiano, Latium separat a Samnio & Campanis, in mare Tyrrhenum labitur, Minturnas perfluit, ubi Marice Nymphe uxor Fauni colitur, vel, ut placet quibusdam, Venus marina, cui sacellum erat ad ripam Liris. De eo flumine jam l. 1. Od. 31. v. 7.

*Marica.*) Illa ante dicta Circe; ut Quintus

su-

Digitized by Google

Late tyrannus. Cras foliis nemus
Multis, & algâ litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet; aquæ nisi fallit augur
Annosa cornix: dum potes, aridum
Compone lignum: cras genium mero
Curabis, & porco bimestri,
Cum famulis operum solutis.

## INTERPRETATIO.

*Iuentem longe regnasse: crastinâ die procella ab Euro excitata nemus frondibus plurimis, ripam autem inani algâ conspergit; si me non decipit cornix longæva, pluviam præsagiens: sicca ligna congere, dum licet: cras genium placabis vino & porcello duorum mensium, cum servis a labore vacantibus.*

## ANNOTATIONES.

ante Romulus: ex more veterum mortuis nomina mutantium. Lactant. Institut. lib. 1. c. 21. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 4. ita scribit: *ob æternam gloriam Dii Indigetes dicti, nominibus plerumque mutatis, & novis cooptatis: siquidem Romulus Quirinus, Juno Matuta ... Circe Marica, &c.* Virgil. Æneid. 7. v. 47. ait Latinum Regem *Fauno & Nymphâ genitum Laurente Maricâ.* Fuit & Marica silva in Latio novo, & Campaniæ confinio, ad Lirin fluvium, a Nympha Marica denominata. Martial. lib. 13. Epigramm. 83.

*Liris quem silva Marica*
*Protegit.*

9. *Tyrannus.*) Regis ac tyranni, ut Græca probat etymologia, discrimen nullum: vox tamen odiosa cœpit esse ob aliquorum sævitiam. Senec. de clementia lib. 1. cap. 2. *Tyrannus factis a Rege distat, non nomine . . . species ipsa fortunæ, ac licentiæ par est: nisi quod tyranni ex voluptate sæviunt; Reges ex causa & necessitate. Quid ergo? Non Reges quoque occidere solent? sed quoties utilitas suadet: Tyrannis sævitia cordi est.*

*Cras foliis nemus, &c.*) Cras vehemens tempestas erit, quæ arborum folia decutiet, & agitato mari algas ad litus bene multas aggeret, nec proinde licebit in agros versari & operi rustico incumbere: ergo interim hilaritati & genio indulge, & ad id omnia hodie ante pluviam compara.

10. *Algâ.*) Herba marina ad nihil utilis.

*Euro.*) Plin. lib. 2. cap. 47. flat *ab Oriente brumali vulturnus, quem Eurum Græci appellant.* Epod. 16. v. 54.

*Ut neque largis*
*Aquosus Eurus arva radat imbribus.*

12. *Aquæ nisi fallit augur annosa cornix.*) Pluvium autem fore cœlum, ac fœdam tempestatem, auguror e cornice crocitante. Hæc si ter aut quater & liquida voce crocitet, serenitatem indicat. Servius in Virgil. Georgic. 1. v. 410.

*Tum liquidas corvi presso ter gutture voces*
*Aut quater ingeminant.*

At si pleno voce & rauca, diuque, pluviam. Ibid. v. 388.

*Tum cornix plenâ pluviam vocat improba voce.*

Ex Plin. lib. 18. cap. 35. hyemem præsagiunt terrestres volucres contra aquam dantes clangorem, perfundentes sese: sed maxime cornix.

13. *Annosa cornix.*) De hujus vivacitate Hesiodus apud Plutarch. de oraculorum defectu. Hesiodi versus ita Latine vertit quidam:

*Secla viri novies pubentis garrula cornix*
*Vincit, cornicis cervus quater? at tria cervi*
*Tempora corvus agit? quem deinceps Indica phœnix*
*Egreditur novies, &c.*

Quos si mavis ex Ausonio, vide Idyll. 18.

*Dum potes, aridum compone lignum, &c.*) Igne frigus, mœstitiam ex aeris intemperie nasci solitam hilari convivio propulsa. Certe cœlo male affecto, affici pariter corpus nostrum & ingravescere, non raro experimur. Contra id incommodi valet focus luculentus, & *lætitiæ Bacchus dator.*

14. *Genium mero curabis, & porco bimestri.*) Sacrificium Genio, die natali Lamiæ nonnulli perperam commenti sunt hic. Immo verba ista contrarium ostendunt. Nam quo die hauserant vitales auras, eo vitam adimere victimæ, religioni ducebant veteres; nec proinde sanguinem fundebant, aut mactabant hostias, ut annotavi ad Pers. Sat. 2. v. 3. Suadet igitur duntaxat Horatius epulas & hilaritatem, curandamque cuticulam. Quod quoties faciebant, curare genium & placare se existimabant. Unde manarunt istæ loquendi formulæ; genio indulgere, genium defraudare, ut bene observat Casaubonus.

15. *Porco bimestri.*) Porcellus tener etiam priscis exquisitum ferculum. Varro de Re Rust. lib. 2. c. 4. *Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum: iis itaque animam esse datam proinde ac salem, quæ servaret carnem.* Hinc Juvenal. Sat. 1. v. 141. vocat

*animal propter convivia natum.*

16. *Cum famulis.*) Familiares adhibebant in epulis placandi Genii causa celebratis. Hunc vero ita curabat non in natali solum, sed quolibet anni die.



Digitized by Google

*AD FAUNUM.*

## ODE XVIII.

*Ut sibi suisque propitius sit.*

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines, & aprica rura
Lenis incedas; abeasque parvis
Æquus alumnis;
Si tener pleno cadit hœdus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina crateræ; vetus ara multo
Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonæ redeunt Decembres:
Festus in pratis vacat otioso
Cum bove pagus.

### INTERPRETATIO.

*Faune amans Nymphas fugientes, transi benignus per meos limites agrosque Soli expositos, ac discede, propitius tenellis fœtibus; siquidem tibi mactatur cupreolus anno completo, additurque vinum copiosum in patera Veneri amica, atque ara antiqua plurimo thure incenditur. Quoties Nonæ Decembres tibi sacra recurrunt, pecudes cunctæ lasciviunt in pratis, vicus festum celebrans herboso campo requiescit cum bobus non laborantibus:*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Odè 9. Lib. 1.

1. *Faune.*) Is Pan Græcis, Faunus Latinis dictus ex Varrone 6. de Lingua Lat. quòd *soleat fari in silvestribus locis*: unde & silvarum & agrorum Deus habitus est. Huic Romæ sacra fiebant bis in anno; ineunte vere, ut novam sementem servaret ac foveret; & Nonis Decembribus, cum jam conditæ sunt omnes fruges: utque pecori sanitatem & fœcunditatem daret. Tunc ergo nuncupatam Fauno Oden hanc, & in sacris decantatam patet. De eo jam lib. 1. Od. 4. & 17.

*Nympharum fugientium amator.*) Faunis, Silvanis, Satyris affingebant Prisci capri pedes & salacitatem. Hinc invisi erant Nymphis, castisque, Dryadibus, Hamadryadibus, quas sylvis & arboribus præesse ethnici credebant. De lascivia agrestium illorum numinum S. August. de Civit. Dei. lib. 15. c. 23.

Virg. Georgic. init.

*Et vos agrestum præsentia numina Fauni,*
*Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ*
*Munera vestra cano.*

3. *Lenis incedas.*) Optat hunc lenem & placidum habere; etenim iracundus putabatur & pestilens, utpote infernus Deus: ex Theognide. Theocr. Iliad. 1. πικρός *amarulentus* dicitur. Ab eo quoque pueris noctu insomnia & terriculamenta immitti credita. Unde *Pannici terrores* nominati, vani scilicet & inanes.

*Abeasque parvis æquus alumnis.*) Quoniam erat superstitio veterum, ut a quibusdam Numinibus mala, ab aliis bona tribui crederent, precatur Horatius hunc, ut dixi, pestilentem Deum, ne agnis & capreolis noceat, qui aluntur in agris & villis. Frustra nonnulli interpretati sunt vernas, famulos, pueros, per vocem, *alumnis*.

5. *Si tener pleno, &c.*) Si tibi rite quotannis sacrifico, vel, quemadmodum pius in te sum, ita mihi propitius sis.

6. *Larga nec desunt, &c.*) In sacris anniversariis hœdum tibi immolo tenerum, vinumque copiose libo.

*Veneris sodali cratera.*) Scilicet absque Baccho friget Venus. Ex Aristophane apud Athen. lib. 10. c. 12. οἶνος Ἀφροδίτης γάλα. *vinum lac Veneris*. Ovid. remed. amor.

*Vina parant animos Veneri.*

7. *Vetus ara.*) Vel quod ab Horatio dudum erecta: vel quia Faunus Aboriginum Rex primus, pater Latini, antiquam religionem tradidit rusticis istis Numinibus ab eo trahentibus originem.

8. *Fumat odore.*) Incenso thure bene olentem fumum tollit odoremque Superis gratum.

9. *Ludit herboso, &c.*) Cum Faunalia celebrantur Nonis, seu die quinta mensis Decembris, tum-

en

Inter audaces lupus errat agnos:
Spargit agrestes tibi silva frondes:
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

## INTERPRETATIO.

*lupus vagatur inter agnos nihil timentes: nemus sternit folia in tuum honorem: agricola humum molestam ter plantâ ferire lætatur.*

## ANNOTATIONES.

ex more pecus otiosum aratro omnique opere solutum quiescit & ludit in campis; ut & pagani ipsi festa hæc agentes lætitiæ vacant. Quem certe ritum deprompserant e sacris codicibus. Exod. cap. 20. *Septimo die Sabbatum Domini Dei tui est. Non facies omne opus in eo, tu & filius, & filia, & servus, & ancilla, & jumentum tuum.* Et c. 23. *Septimo die cessabis, ut requiescat bos & asinus tuus, &c.*

*Pecus omne.*) Fauno rei pecuariæ præsidenti ædes Romæ ædificata pridem e multatitia pecuariorum pecunia.

13. *Inter audaces lupus errat agnos.*) Tunc agni tuam custodiam & tutelam quasi sentientes in lupum audacter incurrunt, seu nil mali ab eo metuunt.

14. *Spargit agrestes tibi silva frondes.*) Velut in honorem tuum arbores suis se foliis exuunt atque humi spargunt; nimirum sub Autumni finem. Hoc enim pertinet ad rusticum solenne. Virgil. Eclog. 5.

*Spargite humum foliis.*

15. *Gaudet invisam pepulisse fossor, &c.*) Choreas & saltationes in festis celebrari mos erat.

16. *Ter pede.*) Hinc *tripudiare* factum videtur. Turneb.

*Invisam terram.*) Cujus opere & cultura quotidie fatigatur. Itaque agricola, vinitor, fossor, intermisso diurno labore, tunc otio, quieti, hilaritati indulget. Lucret. lib. 5. rusticam festivitatem & saltationem ita describit:

*Non magnis opibus jucunde corpora habebant*

. . . . . . . . . .

*Tum joca, tum sermo, tum dulces esse cachinni*
*Consuerant, agrestis enim tum Musa vigebat.*
*Tum caput atque humeros plexis redimire coronis,*
*Floribus & foliis lascivia læta monebat,*
*Atque extra numerum procedere membra moventes*
*Duriter, & duro terram pede pellere matrem, &c.*

Ovid. Fast. 6.

*Hi ludunt: hos somnus habet: pars brachia nectit,*
*Et viridem celeri ter pede pulsat humum.*

AD

Digitized by Google

## *AD TELEPHUM.*

# ODE XIX.

*Quod veteres historias curiosis sectetur; voluptatem vero negligat.*

Quantum distet ab Inacho
 Codrus, pro patria non timidus mori,
Narras, & genus Æaci,
 Et pugnata sacro bella sub Ilio:
Quo Chium pretio cadum
 Mercemur; quis aquam temperet ignibus,
Quo præbente domum, & quota
 Pelignis caream frigoribus, taces.

### INTERPRETATIO.

*Quam longe remotus ab Inacho sit Codrus pro patria accumbere non veritus, refers, atque stirpem Æaci, & certamina commissa ad Troiam sacratam: siles* autem *quo pretio emamus amphoram vini Chii; quis calefaciat aquam; quis domum suppeditet, & qua* hora *frigus Pelignum repellam.*

### ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Quantum distet, &c.*) Telephus Poeta Horatii familiaris, ejus certe rivalis in amore Lydiæ, ex Od. 13. lib. 1. Is Græcorum antiquas historias evolvere & eloqui amabat. Ejusmodi itaque res intempestive & prolixe narrantem interpellat Horatius, in medio, ut videtur, convivio ad sermones traducit loco & tempori magis congruos: invitatque ad lætitiam pleniorem, ob factum augurem Licin. Murenam utriusque amicum.

*Quantum distet ab Inacho Codrus.*) O Telephe, diligenter numeras quot anni effluxerunt ab Inacho Argivorum primo Rege ad Codrum Atheniensium Regem ultimum: verum modo quærendum esset potius unde & quo pretio mercemur vinum optimum.

*Ab Inacho Codrus.*) Inachus Argis primus imperavit, circa finem annorum Abrahæ Patriarchæ. Ex Euseb. Chron. ann. M. 3344. Ex Beda ann. M. 2508. Alii etiam aliter. De illo Apollod. lib. 2. Inter Inachum & Codrum intercesserunt anni septingenti & septuaginta quinque, aut non multo secus.

2. *Pro patria non timidus mori.*) Codrus Rex Atheniensium cum ex Oraculo didicisset eos fore victores in eo bello quod cum Doriensibus sui gerebant, quorum Dux cecidisset, hostium castra vili habitu adiit, militem jurgio lacessivit, atque vulneratum ad sui cædem provocavit. Quod ubi Dorienses accepere, sponte se victos confessi abscesserunt. Vide Justin. lib. 2. Valer. Max. lib. 5. c. 6. &c. Ex Euseb. Chron. an. M. 4130. *Codrus juxta responsum seipsum morti tradens interimitur bello Peloponnesiaco, in quo Heraclidarum regnum destructum est, quod 382. annis perseveraverat.*

3. *Genus Æaci.*) Narras quæ pertinent ad Jovem Æaci patrem, vel quæ ad ipsum Æacum, ejusque posteros Peleum, Achillem, Pyrrhum, &c. Apollod. lib. 3.

4. *Pugnata sacro bella sub Ilio.*) Bis capta fuit Troja: primum ab Hercule; deinde a Græcis, quinquaginta post annis.

*Sacro.*) Vel quod urbis ejus muri a Diis sunt ædificati, Supra Od. 3. v. 31. Vel quod multa illic erant templa. Vel potius ex Homeri sententia, apud quem non semel *ἱερὴ* Ἴλιος legas. Alii *sacram* pro execrabili hic sumunt, ut existimo, absurde.

5. *Chium.*) In Græcis vinis Chium excellebat, ut Falernum in Italicis. Ex Athen. lib. 1. c. 20. Chii vites severant primi. Ex Plin. lib. 14. c. 7. *In summa gloria fuit Chium.*

6. *Quis aquam temperet ignibus.*) Quis paret balneum: quod veteres semper ante convivium inibant. Alii interpretantur de Thermopolio, seu de potione calida, quam quidem in deliciis apud veteres fuisse, multis probavi ad Juvenal. Sat. 5. v. 64.

7. *Quo præbente domum, &c.*) Quis nobis domum præbebit, seu apud quem epulabimur, dum in Pelignis versabimur. Nam vel eo erant profecturi, vel ibi jam erant, cum hæc Horatius jam scribebat; vel certe Pelignum frigus metonymice dicit; speciem pro genere. *Quota* horâ mensæ accumbam, & cum quibus; & in cujus domo luculentus accendatur mihi focus ad propulsandum frigus, quod riget in Pelignorum regione, ob montes plurimus: ea nunc *Valva* dicitur, estque in Aprutio: olim in Samnitio.

Da Lunæ propere novæ,
Da noctis mediæ, da, puer, auguris
Murenæ: tribus aut novem
Miscentur cyathis pocula commodis.
Qui Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. Tres prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis juncta sororibus.
Insanire juvat. Cur Berecynthiæ
Cessant flamina tibiæ?
Cur pendet tacitâ fistula cum lyrâ?

## INTERPRETATIO.

*Da cito, famule,* poculum *novæ Lunæ, da noctis mediæ, da Murenæ auguris. Tribus aut novem scyphis apte pocula miscentur. Qui colit Musas impari* numero, *Poeta stupescens novem poscet scyphos. Gratia nudis sororibus comitata contentiones timens vetat sumere plusquam tria* pocula. *Placet furere. Quare tacet sonus fistulæ Phrygiæ? Quare tibia cum cithara pendens non resonat?*

## ANNOTATIONES.

9. *Da Lunæ propere novæ.*) Invitat, imo traducit Telephum ad hilaritatem ex tempore Horatius, jubens affundi vinum copiose: ipseque prior arripit scyphum & propinat. *Lunæ novæ* poculum petit, vel quod oriente Luna, & vesperi convivia adibant veteres; vel quia festæ erant Calendæ & epulis vespertinis celebrabantur.

10. *Noctis mediæ.*) Ad id tempus producebatur cœna.

*Da, puer, auguris Murenæ.*) Propter novæ dignitatis accessionem optimo & amico viro factam, impense lætemur; nec vino temperemus. Auguratus in primis honoribus Romæ censebatur, solusque erat perpetuus. Augures auspiciis, ut Pontifices sacris præfuere; velut Interpretes Internuntiique Deorum tantæ dignationis habiti sunt, ut qui aruspicinam fecerat, in Senatum ascribi & inter Patres legi fas esset. Et a prima urbis origine iidem Reges & Augures: ipseque Romulus hoc munere est functus. Fab. Maximus proditur duobus & sexaginta annis summa cum laude Auguratum gessisse ad ultimam senectam. Horum proprium fuit ex avibus vaticinia observare: a Diis monita contemplari; de somniis, auguriis, oraculis, extis, portentis, responsa dare; prodigia procurare, & expiare, vatum libros explanare, &c. Alex. ab Alex. lib. 1. c. 19. necnon lib. 2. c. 8.

11. *Murenæ.*) Is putatur fuisse L. Licinius Varro Murena Terentiæ Mæcenatis uxoris frater, de quo lib. 2. Od. 10. Non moror quod somniarunt aliqui, ab Horatio indicari, ad mane posterum cœnam esse protrahendam: nimirum quia mane auguria captari consueverant & sub ortum Solis. O sagax nimis commentum!

*Tribus aut novem, &c.*) Cuique fas est tres aut novem cyathos poscere: nimirum qui demereri volet Charites seu Gratias, ob ternarium earum numerum, tria sibi pocula misceri jubebit: qui vero colit Musas novenas Poeta, is novies bibet, in honorem illarum. Auson.

*Ter bibe, vel toties ternos: sic mystica lex est.*

12. *Commodis.*) Justæ magnitudinis, inquiunt aliqui: alii, plenis & perfectis; alii contra, minoribus & ebrietatem non inducentibus: optime, convenientibus; ut sit sensus: commode & convenienter quisque impari numero vel ter vel novies potat.

14. *Ternos ter cyathos attonitus, &c.*) Etiamsi inde fieri debeam attonitus e vino, novies tamen ego Poeta bibam, tum ob Musarum numerum, tum quod hilaritatis modum nesciam in ista Murenæ honoris amplitudine. Auson. *propter mediam noctem, & novam Lunam, & Murenæ augurantum, ternos ter cyathos attonitus petit Vates.*

15. *Tres prohibet supra, &c.*) Charites rixarum metuentes quæ ex ebrietate & nimio vino sæpius excitantur, amantes autem pacem & animi tranquillitatem, tria tantum pocula indulgent, plura vero prohibent.

17. *Nudis.*) Sine dolo, fraude, fuco.

*Sororibus.*) Tres numerantur enim, Aglaia, Thalia, Euphrosyne. Vide lib. 4. Od. 7. vers. 5. ibique annot.

18. *Insanire juvat.*) Lib. 1. Od. 27. de insania ex immodica compotatione. *Verecundum Bacchum sanguineis prohibete rixis, &, impium clamorem lenite, sodales.* De liberiori paulo animi gestientis lascivia, lib. 2. Od. 7. in fine.

*Non ego sanius*
*Bacchabor Edonis: recepto*
*Dulce mihi furere est amico.*

*Cur Berecynthiæ cessant flamina tibiæ?*) Cur non jam inflantur & insonant tibiæ & citharæ, ad integram convivii hilaritatem? Illæ adhibebantur in sacris Cybelæ, quæ a Berecyntho Phrygiæ monte, ubi colebatur, Berecynthia dicta est. Alii dicunt tibias inventas primum in Phrygia & Lydia: ac propterea Berecynthias hic vocari, Lydas autem lib. 4. Od. ult. in fine. Porro harum modus

Parcentes ego dexteras
Odi. Sparge rosas. Audiat invidus
Dementem strepitum Lycus,
Et vicina seni non habilis Lyco.
Spissâ te nitidum comâ,
Puro te similem, Telephe, Vespero,
Tempestiva petit Chloe:
Me lentus Glyceræ torret amor meæ.

### INTERPRETATIO.

*Manus ego cessantes aversor. Sterne rosas*, puer. *Strepitum insanum audiat Lycus invidus, nec non vicina Lyco vetulo minime idonea. O Telephe, nubilis Chloe quærit te densis capillis splendidum, te nitido parem Vespero: me incendit lentus amor Glyceræ meæ.*

### ANNOTATIONES.

dus & numerus concitatior, proindeque bacchantibus matris Deûm sacrificulis magis etiam permovendis, (de quibus lib. 1. Od. 18.) quibusvis epulantibus etiam & compotantibus plusculum excitandis accommodatus. Contra, Doricus modus gravis ac sedatus, eumque docendos pueros, præcipit Arist. Polit. 8. Æolius saltationi aptus. Ionius vetus asperior, novus mollior.

21. *Parcentes dexteras.*) Vel parce vinum ministrantes, vel a cantu pulsandisque instrumentis Musicis cessantes, torpentes, otiosas.

22. *Sparge rosas.*) Ut nihil lætitiæ desit, o puer, etiam floribus sterne mensam ac triclinium.

*Audiat invidus dementem strepitum Lycus.*) Clamor ac strepitus noster ebriosis consuetus & hilaritatis index, Lyci vicini nostri, capularis, morosi, auribus obstrepat, bilemque & invidiam moveat.

24. *Vicina seni non habilis.*) Quippe junior adolescentula. Ergo & ipsa quæ tristiori seni nubere voluerit, nostram audiat lætitiam, quo perperam se fecisse non sine dolore agnoscat.

25. *Spissâ te nitidum comâ.*) Densi capilli juvenem indicant: nam in senibus caloris defectus calvitiem gignit.

26. *Vespero.*) Sideri vespertino.

27. *Chloe.*) Al. *Rhode*.

28. *Me lentus Glyceræ, &c.*) Contabescere facit, languore afficit, & consumit: *lentis penitus macerat ignibus*, ut est in Od. 13. lib. 1.

---

## *AD PYRRHUM.*

## ODE XX.

*Ne a puella Nearchum dilectum conetur abstrahere.*

1 Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Getulæ catulos leænæ?

### INTERPRETATIO.

O *Pyrrhe, an non agnoscis quam periculose Getulæ leænæ fœtus auferas?*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 2. Lib. 1.

1. *Non vides quanto, &c.*) Missis figmentis ad somniatores quosdam, qui hic commenti sunt nescio quam allegoriam de Pyrrho Epirotarum Rege pro Tarentinis adversus Romanos bellante, & per *leænam* urbem Romam, per *catulos* Rom. Principes interpretati sunt; explosis etiam aliis qui M. Antonii res gestas metaphorice hic notari, perperam dixere: tu Lector emunctæ naris, intellige simpliciter Pyrrhum Horatii quemdam sodalem mulieri amanti puerum Nearchum eripere atque sibi addicere nitentem: quem a tali consilio dimovere conatur Poeta.

*Quanto moveas periclo, &c.*) Nimirum tam periculose amasium suum puellæ abstrahis, quam leænæ catulos raperes. Vide Plin. lib. 8. c. 16.

2. *Getulæ.*) Getulia Africæ regio, leonum aliarumque ferarum nutrix: de qua jam lib. 1. Od. 23. v. 10. & lib. 2. Od. 20. vers. 15.

Digitized by Google

Dura post paulo fugies inaudax
Prœlia raptor;
Cum per obstantes juvenum catervas
Ibit insignem repetens Nearchum.
Grande certamen, tibi præda cedat
Major, an illi.
Interim dum tu celeres sagittas
Promis, hæc dentes acuit timendos:
Arbiter pugnæ posuisse nudo
Sub pede palmam
Fertur, & leni recreare vento
Sparsum odoratis humerum capillis:
Qualis aut Nireus fuit, aut aquosâ
Raptus ab Ida.

INTERPRETATIO.

*Paulo post tu prædo timidus sæva certamina detrectabis, quando per turmas adolescentum obsistentes perget illa excellentem Nearchum requirens. Magna contentio utrum præda tibi potius an illi eveniat. Interea dum tu velocia tela educis: illa* vero *dentes formidandos exacuit: dicitur controversiæ index collocasse victoriam sub nuda planta, ac levi aurâ oblectare crines odoribus perfuses, in scapulam pendentes; similis vel Nireo,* vel Ganymedi *ex Ida aquis abundante substracto.*

ANNOTATIONES.

3. *Dura post paulo fugies, &c.*) Nil enim acrius irritatâ muliere, præsertim sibi quod amat asserere laboranti.
Senec. Herc. Oet. Act. 2.

*Cruentus feminas stimulat dolor.*
*Scylla & Charybdis Sicula contorquens freta*
*Minus est timenda. Nulla non melior fera est.*

*Inaudax.*) Vox nova ab Horatio uno usurpata. De jure voces novas fingendi ipse ad Pisones disserit v. 46. & seq. ubi inter alia, hæc scribit:

. . . . . *Ego cur acquirere pauca*
*Si possum, invideor; cum lingua Catonis &*
*Enni*
*Sermonem patrium, ditaverit & nova rerum*
*Nomina protulerit? licuit semperque licebit*
*Signatum præsente nota producere nomen, &c.*
. . . . . . *si volet usus*
*Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.*

5. *Cum per obstantes juvenum catervas.*) Observa, lector, quam eleganter in allegoria sua persistat: Sensus est: cum illa, spretis amatoribus bene multis, unum quæret Nearchum.

*Insignem.*) Præclarum semper videtur quodcunque ametur.

*Grande certamen, tibi præda, &c.*) An tibi potius quam illi cedat Nearchus, quem uterque ardetis ac deperitis.

9. *Dum tu celeres sagittas promis.*) Dum tu artes omnes insumis ad puerum tibi asserendum; illa iram, odium, probra, vindictam in te raptorem comparat, omnique ope suum sibi vindicet.

11. *Nudo sub pede.*) Nearchus citra periculum, imo cui cedat parum sollicitus, vos de se contendentes otiose & frigide spectat, suosque dontaxat curat capillos comere & odoribus aspergere.

14. *Sparsum odoratis, &c.*) Vide lib. 2. Od. 11. v. 15.

15. *Nireus.*) Hic Naxi Rex, Græcorum post Achillem formosissimus; de quo Homer. Iliad. 2. Propert. lib. 3. Eleg. 18.

*Nireu non facies, non vis exemit Achillem.*

16. *Raptus ab Ida.*) Ganymedes Trois Regis filius, ob pulchritudinem e Jove aquilæ speciem induto raptus, cum in Ida monte puer venaretur, atque in convivii Deorum factus pocillator. De eo vide Luciani Dialogum. Et Metamorph. lib. 10. cap. 4. Hac porro fabula indicatur sapientem virum luminibus & claritate virtutum refulgentem Dei consuetudine dignum effici, atque ad Deum per sapientiam rapi & sublevari. Vid. Cic. Tusc.

*Ida.*) Mons duplex hujus nominis; alter apud Cretam Insulam, de quo non mentio est hic. alter in Troade apud Phrygiam Asiæ minoris regionem, Paridis judicio famosus, omnium qui circa Hellespontum sunt, altissimus. Diod. Sic. lib. 6. cap. 15. & lib. 17. cap. 1.

*Aquosa.*) Ex illo Troadis monte dicuntur manasse pridem flumina quindecim: at eorum plurima suo tempore jam exaruisse, scribit Plinius apud Athen. lib. 15 cap. 8. vocetur ἴδη πολυπίδαξ. *mons Ida plures habentis fontes.* Præ cæteris autem fluviis ibi scaturientibus nominentur Xantus seu Scamander, Simois, &c. Homer. Iliad. A.

## AD AMPHORAM.

# ODE XXI.

*Monet eam facete, ut vinum fundat optimum in Corvini gratiam.*

O nata mecum Consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris jocos,
Seu rixam, & insanos amores,
Seu facilem, pia testa, somnum:
Quocumque lectum nomine Massicum
Servas, moveri digna bono die,
Descende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina.
Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.

### INTERPRETATIO.

*O bona amphora, sub Manlii consulatu mecum facta, sive querimonias, sive risus, sive jurgia & dementes amores, sive placidum soporem producis, quocumque titulo condis exquisitum Massicum, mereris proferri celebri die; veni fundere vina senescentia volente Corvino. Hic licet imbutus sit Socraticis disciplinis, haud austerus te aspernabitur.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *O nata mecum.* ) Vino impleta, & condita in horreo tum cum ego natus sum Venusii in urbe Apuliæ, consulatum Romæ gerente L. Manlio Torquato cum L. Aurelio Cotta anno Urbis conditæ 688. Vid. Epod. 13. vers. 6. ubi hunc Torquatum vocat suum Consulem.

2. *Seu tu querelas, sive geris jocos, &c.* ) Varios effectus vini juxta varias hominum affectiones belle exprimit. Nam qui a natura biliosus, vino fit iracundior; qui libidinosus, lascivior, petulantior, &c. Quidam jocosi post vinum, alii somnolenti, &c. Galli lepide vocant, *un vin de singe, un vin de lion, de chien, de cochon.*

5. *Quocumque lectum nomine, &c.* ) Cujuscumque nomen Consulis inscriptum habes, quo ætas notetur vini quod contines. Vide l. 2. Od. 3. v. 8. ann. De Massici bonitate & patria l. 2. Od. 7.

6. *Bono die.* ) Festivo, mihi fortunato & honorabili, cum dignetur Corvinus divertere apud me, cœnare domi meæ, & poscere si quod habeo melioris notæ vinum.

7. *Descende.* ) Ex isto loco patet olim vasa vinaria non, ut apud nos hodie, in subterraneis, sed in editioribus apothecis atque horreis collocari solita, ut fumosa indeque mature fierent: quod jam alibi notavi, iterumque Poeta noster innuit, sequenti Ode 28. v. 7. Vide supra Od. 8. hujus libri.

*Corvino jubente.* ) M. Valerius Messala Corvinus Augusti ævo vir clarissimus, Consul anno U. C. 722. qui & de Gallia quatuor post annis triomphavit. Is est quem suis carminibus adeo celebret Tibullus, lib. 1. Eleg. 7. & lib. 4. sic incipit:

*Te Messala canam; quanquam tua cognita virtus*
*Terret, ut infirmæ valeant subsistere vires.*

8. *Promere.* ) Hoc jungunt alii cum voce *descende:* alii cum *jubente.* Quicquid sentiant aliqui, parvi refert ad quod referas.

*Languidiora vina.* ) Senectute seu vetustate meliora, mitiora, salubriora. Vide supra Od. 16. v. 35. ibique annot.

9. *Non ille, quanquam Socraticis, &c.* ) Etsi refertus, id est, apprime instructus sit Corvinus Socratica & Academica Philosophia, non te despiciet o pia testa; & quanquam madet totus placitis ejusmodi severioribus haud tamen refugit interdum madere etiam vino, ad diluendas curas levandosque animi labores suos pro Republica: nam & hoc novit sapientissimo cuique usurpatum. Plato scribit vinum hominibus à Deo contributum velut remedium adversus senectutem, ut redire ad juventutem videantur, & mœstitiæ eos capiat oblivio. Seneca Stoico supercilio mire gravis ajebat nonnumquam usque ad ebrietatem veniendum, non quæ mergat nos, sed deprimat curas. Vide Cœl. Rhodig. lib. 28. cap. 32. & alibi.

Digitized by Google

Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro: tu ſapientium
Curas & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo.

## INTERPRETATIO.

*Refertur antiqui virtus Catonis etiam vino frequenter calefacta fuiſſe. Tu dulcem vim adhibes animo interdum aſperiori: tu ſapientum intimas & anxias cogitationes revelas per vinum feſtivum.*

## ANNOTATIONES.

*Socraticis ſermonibus.*) Socrates hominum ſapientiſſimus Apollinis oraculo declaratus eſt. Ejus dogmate empiaxi ſunt præ ceteris bene multis illuſtriores iſti, Plato, Xenophon, Antiſthenes. Diogen. Laert. lib. 2. &c. Cic. Tuſc. 3. ait ab eo *omnem quæ de vita, & moribus eſt Philoſophiam manaſſe*: Tuſc. 5. *primum illum devocaſſe Philoſophiam e cælo... & coegiſſe de vita, moribus, rebuſque bonis & malis quærere.* Noſter ad Piſon. v. 310.

*Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.*

11. *Narratur, & priſci Catonis, &c.*) Ipſe Cato virtute inſignis narratur vino liberalius hauſto ſæpe incaluiſſe. Hic vero quæri poteſt, an vino corpus incaleſcat, ut calido medicamento? Reſpondet Galenus Conſtitut. 3. non incaleſcere niſi ut alimento corpori accommodâ. Nam ſicut igni congruens materia incendium facit majus, ita corporibus ſimile alimentum quæ naturâ calent ſatis, & robur adjicit, & calorem auget, &c. Hæc ille. Vide Cœl. Rhodig. lib. 28. cap. 19. ubi explicat cur proſit ſenibus vinum.

*Catonis.*) Quis ille, an major, an Uticenſis & junior? De Uticenſi proditur ſane, integras duxiſſe perpotando noctes. Teſtes Plutarchus, aliique. Et cum Memmius quidam in conventu dixiſſet, Catonem totas noctes in vino permanere & ebrium eſſe, ſuſceptu ſermone Cicero reſpondit; quin addis etiam totos dies aleâ ludere? Seneca *de Tranquill.* cap. 15. *Cato*, inquit, *vino laxabat animum curis publicis fatigatum.* Ubi Lipſius de Uticenſi diſerte explicat, huncque affert Horatii locum, quem modo tractamus. Idem Cato menſam maxime amicorum parantem & procreatricem exiſtimavit: Idem ſolitus erat dicere Cæſarem ſobrium acceſſiſſe ad evertendam Rempublicam. Vide Cœl. Rhodig. l. 28. cap. 8. & 32. At duo tamen arguunt Catonem hunc juniorem minime hic ab Horatio indicari. Alterum eſt vox *narratur*, quæ nequaquam adhiberetur a Poeta, ſi innueret Catonem illum Uticenſem cum quo vixerat, quemque florentem viderat; ſiquidem Horatius annos ætatis habebat viginti quando ſe Cato Uticæ interemit. Alterum eſt epithetum *priſci*, quæ omnino Porcio Catoni, non ita vero Uticenſi congruit. Nec enim ſatisfaciunt qui priſcam virtutem pro ſolida, vera ſevereque poni obtendunt. Ergo Cato Major accipiendus. Quemvis etenim valde ſobrium fuiſſe conſtet: at ei nihilominus ebrietas ſeu vinoſitas ab æmulis & adverſariis objecta eſt: ad quod alluſit Poeta. Adde quod apud Ciceronem de Senectute, ille ipſe Cato Major profitetur ita de ſe: *Ego propter ſermonis delectationem tempeſtivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus ſolum, qui pauci admodum reſtant, ſed cum veſtra etiam ætate atque vobiſcum: habeoque ſenectuti magnam gratiam, quæ mihi ſermonis aviditatem auxit, potionis & cibi ſuſtulit. Quod ſi quem iſta delectant; ne omnino bellum indixiſſe videar voluptati, cujus eſt etiam fortaſſe quidam naturalis modus, non intelligo ne in iſtis quidem voluptatibus ipſis carere ſenſu ſenectutem. Me vero delectant & ſermo in poculo, & pocula .... conviviumque vicinorum quotidie compleo, quod ad multam noctem quam maxime poſſumus vario ſermone producimus.* Hoc etiam facit quod ſcribit Plinius lib. 14. cap. 4. *Catonum ille primus*, inquit, *triumpho & cenſurâ inſignis, magis tamen claritate literarum, præceptiſque .... agrum colendi ........ de vitibus uniſque ita prodidit; qui locus vino optimus, &c.*

13. *Tu lene tormentum, &c.*) Per te leniter ingenia torquentur, & qualia ſint explorantur; ſeveriora mitigantur, duriora molliuntur, &c. Plato de Legibus ait vinum eſſe tormentum minime ſumptuoſum aut periculoſum ad explorandos hominum affectus. Theognis dicebat aurum & argentum igne probari & dignoſci, at vino mentem hominis quamlibet ſapientis. Vide Epiſt. ad Piſon. v. 434. Non alludit adagium, *in vino veritas*, & Perſæ cujuſdam apophthegma, *nequaquam opus tormentis eſſe ad exquirendum verum, vino enim rectius elici.* Vide Eraſm. Sunt qui putent hic alludi ad arietas aliaſque machinas ejuſmodi bellicas, quibus admotis urbium muri concutiuntur, dejiciuntur, expugnanturque: pace tamen illorum, prior interpretatio non eſt poſthabenda, multo minus, ut ſanciunt, explodenda.

14. *Tu ſapientium curas, &c.*) Graviores cogitationes reconditæque conſilia hilari compotatione in lucem aliquando proferuntur.

16. *Lyæo.*) Unum eſt e Bacchi cognominibus a λύειν, quod ſolvat & diſcutiat ægritudines & curas.

Digitized by Google

Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque; & addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te Liber, &, si læta aderit, Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat astra Phœbus.

## INTERPRETATIO.

*Tu reddis fiduciam & robur sollicito ingenio: dasque animos inopi post te nec timenti Regum diadema nec bellatorum tela. Te exproment Bacchus, & Venus si favens adfuerit, necnon Charites vinculum laxare tardiores, atque ardentes lychni, donec Sol reversus expellat sidera.*

## ANNOTATIONES.

17. *Tu spem reducis.* ) Apud Athen. lib. 2. cap. 1. ex Diphilo, *Bacchus cordatis & prudentibus viris amicus, ipseque sapiens aeque ac suavis, abjectos & humiles facit assumere magnos spiritus; superciliosis ac tetricis persuadet ut rideant, ignavis ut audeant, timidis ut fortes sint.* Ex Chæremone, *per vinum conciliantur bibentibus risus, sapientia, docilitas, bona omnia.*

18. *Addis cornua pauperi.* ) Baccho veteres affingebant cornua, quoniam e nimio vino truces fiunt ebriosi instar belluarum, inquit Festus. Vid. supra lib. 2. Od. 19. in fine. Ovid.

*Tunc veniunt risus; tunc pauper cornua sumit;*
*Tunc dolor & curæ, rugaque frontis abit.*

Per cornua designantur audacia, confidentia, robur, superbia, temeritas etiam & petulantia. Athen. lib. 10. c. 14. τῶν ἀγαθῶν βασιλεὺς οἶνος, *bonorum omnium rex vinum.* Lib. 2. cap. 2. ἰσχὺν δίδωσι ταῖς ψυχαῖσι καὶ τοῖς σώμασιν, *robur & vires dat animis & corporibus.* Eodem lib. cap. 2. ἐσθλὸν ἀλεξίκακον πάσης ἀνίης, *potens remedium adversus omnem tristitiam.*

19. *Post te neque iratos trementi, &c.* ) Vino sumpto roboratus inops & timidus quisque jam nec iratos Regum vultus aut minas expavescit, nec militum arma.

21. *Te Liber, &c.* ) O testa, amphora, o bonum vinum, te in convivio *producent* Bacchus, *Venus læta, Gratiæ, lucernæ* accensæ.

*Liber.* ) Cur pater Liber dicitur? An quod bibenti sit causa libertatis? Fiunt enim audaciores ex vino homines plerique. An quia pro libertate Bœotiæ depugnavit? Plutarch. Probl.

*Læta Venus.* ) Mitis, bella, propitia, placida, non miscens contentiones & rixas aut etiam prœlia, ut sæpius fit.

22. *Segnesque nodum solvere Gratiæ.* ) Detrectantes, nolentes separari, distrahi, abalienari quos junxerunt: concordiæ tenaces amantesque, insolubiles. Unde illæ implexis & consertis inter se manibus pingi solent. Vide lib. 1. Od. 4. & 30.



Digitized by Google

## *IN DIANAM.*

# ODE XXII.

*Ei consecrat pinum villæ suæ.*

Montium custos nemorumque virgo,
Quæ laborantes utero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho,
Diva triformis;
Imminens villæ tua pinus esto,
Quam per exactos ego lætus annos,
Verris obliquum meditantis ictum
Sanguine donem.

### INTERPRETATIO.

*O Virgo praeses montium & silvarum, Dea forma triplicis, qua ter invocata subvenis mulieribus parturientibus, & eas morti eripis; sit tibi sacra pinus fundo* meo *impendens; quam ego* singulis *annis evolutis gaudens aspergam cruore porci transversam morsionem tentantis.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 2. Lib. 1.

1. *Montium custos, &c.*) Venatrix, incola silvarum. Adde quod herbis, plantis, arboribus vegetandi vim impertitur Luna.

2. *Quæ laborantes utero, &c.*) Parturientes juvas ad infantem edendum in lucem: quæ & matri fratrem Apollinem parturienti opem & manus obstetricis exhibuisti. Luna scilicet poros & meatus corporis tempestive relaxans, dat facilitatem partui & salubritatem. Cic. 2. de Natur. Deor. *Adhibetur ad partus quod ii maturescunt aut septem nonnunquam, aut ut plerumque novem Lunæ cursibus, qui quia mensa spatia conficiunt, menses vocantur.* Idem fere Varro 4. de Ling. Lat. ubi *Luna nascentium dux ... parientes eam invocat.* Diodor. Sicul. lib. 6. Plutarch. Sympos. 3. Problem. 1. &c.

3. *Ter vocata.*) Ternarius numerus religione consecratus. lib. 1. Od. 28. v. ult.

*Audis, adimisque letho.*) Terent. And.

*Juno*
*Lucina fer opem; serva me obsecro,*

Catull. Carm. 34.

*Tu Lucina dolentibus*
*Juno dicta puerperis.*

Ovid.

*Parce precor gravidis facilis Lucina puellis,*
*Maturumque utero molliter aufer onus.*

Dionys. Halicarnass. lib. 5. in ædem Junonis Lucinæ recens natorum infantium nomina ætatemque referri solita, testatur. Cic. ante cit. *ut apud Græcos Dianam eamque Luciferam, sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Ne, Lector, mirere quod videantur confundi Junonis ac Dianæ munia. Nam Deos omnes ad Solem, Deas ad Lunam referri, egregie docet Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 17. & seq.

4. *Diva triformis.*) Triplex quasi numen habens: Luna in cælo, Diana in terris, Proserpina apud Inferos.

Virgil. Æneid. 4.

*Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora*
*Dianæ.*

Hinc illud:

*Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna,*
*Diana,*
*Ima, superna, feras; sceptro, fulgore, sagittâ.*

Alii, quod modo gibbosa, modo dimidiata, modo plena.

5. *Imminens villæ tua pinus esto.*) Volo tibi sacram esse pinum meæ villæ imminentem; & ad eam quotannis tibi mactabo aprum.

6. *Per exactos annos.*) Completo & finito unoquoque anno.

7. *Obliquum meditantis ictum.*) Qui licet junior jam ex sua natura meditatur obliquo dentium exertorum ictu vulnerare. Quidam aprum in mactantem sævire & transversum ictum meditari: alii in ipsam illam pinum dentes intentasse: nonnulli ab apri sævitie Poetam nostrum Dianæ patrocinio servatum, comminiscuntur; sed gratis & perperam.



Digitized by Google

## *AD PHIDYLEN.*

# ODE XXIII.

*Puris tantum manibus Deos placari.*

Cœlo supinas si tuleris manus
Nascente Lunâ, rustica Phidyle;
Si thure placaris & hornâ
Fruge Lares, avidâque porcâ;
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam quæ nivali pascitur Algido
Devota, quercus inter & ilices,
Aut crescit Albanis in herbis

## INTERPRETATIO.

*O Agrestis Phidyle, si manus supplices ad cœlum tollas, Lunâ incipiente; si Lares placaveris thure & hornotinis frugibus atque avedaci; neque fertilis vinea experietur Africum perniciosum, neque spica rubiginem sterilitatis causam, nec teneri fœtus noxiam tempestatem anni parte fructiferâ. Etenim hostia Diis destinata, quæ in Algido niveo educatur inter quercus & ilices, vel crescit in Albano grami-*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Cœlo supinas, &c.*) Si Deos rite colueris & pie supplicaveris, licet modica offerens munere, placatos illos habebis.

*Supinas.*) Versis ad cœlum palmis; quæ contra invocando inferos Deos adversam vertebantur.

2. *Nascente Lunâ.*) In novilunio & Calendis solebant rusticæ mulieres sacra Lunæ facere, velut plantarum matri, altrici, custodi.

*Phidyle.* Hæc videtur fuisse villica seu Horatianæ villæ procuratrix: convenit nomen, sive proprium fuerit, seu factum sit a Poeta. φειδώλη *parca*. Gallice, *ménagere*.

3. *Hornâ fruge.*) Vino vel spicis novellis atque hujus anni. Diis enim primitias, & quod novum optimumque offerri æquum est.

4. *Porcâ.*) Hac utpote fœcunda placabantur Dii Lares & domestici ad fœcunditatem familiæ ac rei domesticæ impetrandam.

5. *Pestilentem Africum.*) Ventum humidum & calidum; adeoque pestilentem & noxium frugibus ac vitibus Italiæ. Plin. lib. 2. 47. De eodem lib. 1. Od. 1.

7. *Rubiginem.*) Gall. *la nielle*, quæ nigrescunt spicæ & sterilescunt. Oritur ex pluvia vel rore, si quando non decussa fuerint e spicis, sed Sole superveniente calefacta computrescant. Ita Scaligar. Plin. lib. 18. cap. 27. *Cœleste frugum vinearumque malum nullo minus noxium est rubigo. Frequentissima hæc in roscido tractu, convallibusque, ac perflatum non habentibus. E diverso carent eâ ventosa & excelsa.* Et cap. 28. in fine. *Alia sunt mala quæ silente cœlo sere-nisque noctibus fiunt, nullo sentiente nisi cum facta sunt ... Aliis rubiginem, aliis uredinem, aliis carbunculum appellantibus omnibus vero sterilitatem.* Hinc Romæ ad eam pestem avertendam colebatur Rubigus Deus, & agebantur Rubigalia festa sub finem Aprilis. Plin. cit. lib. 18. cap. 29. *Rubigalia Numa constituit anno regni sui 11. quæ nunc aguntur ad 7. Calend. Maii, quoniam tunc fere occupat segetes rubigo: quod tempus Varro determinat Sole Tauri partem decimam obtinente.* Ex Plutarcho quæst. natural. post init. Rubigo humescentia occupat semina. Vide Theophrast. de caus. plantar. lib. 4. c. 15. & alibi, &c.

*Dulces alumni.*) Dulces & charos filios interpretantur aliqui: magis tamen intelligendi videntur catuli pecudum, agni, capreoli, &c. ut supra Od. 18. v. 4.

8. *Pomifero grave tempus anno.*) Grave pestilensque cœlum adeoque morbos haud sentient greges ea anni tempestate, qua fructus colliguntor, scilicet Autumno, quem *letiferum* vocat Juven. Sat. 4. v. 56. Vide & supra l. 2. Od. 14. v. 15.

9. *Nam quæ nivali, &c.*) Pontificum est in sacris publicis, immolare victimas sumptuosas: at te, Phidyle, rusticam & privatam muliercu-lam decet offerre Diis familiaribus minuscula quæque dona & sacrificia.

*Quæ nivali pascitur Algido.*) Pascebantur olim greges ad sacrificia publice destinati ac devoti.

*Algido.*) De eo monte lib. 1. Od. 21. vers. 6.

11. *Albanis in herbis.*) In pascuis Albani mon-

Digitized by Google

Victima, Pontificum secures
Cervice tinget. Te nihil attinet
Tentare multâ cæde bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos, fragilique myrtô.
Immunis aram si tetigit manus,
Non sumptuosâ blandior hostiâ
Mollibit aversos Penates
Farre pio & saliente micâ.

## INTERPRETATIO.

*ne, cultres Pontificum collo imbuet. Te vero Deos exiguos rore marino tenuique myrto coronantem nihil juvat sollicitare plurimo cruore pecudum.* | *Etsi manus absque munere tetigerit aram, offensos Penates haud placabit efficatius per majorem victimam quam per religiosum ador & sal crepitans.*

## ANNOTATIONES.

montis, qui ab urbe Roma distat 13. mill. pass. ortum versùs.

Martial. lib. 4. Epigram. 64.

*Albanos quoque Tusculosque colles.*

Arnob. lib. 2. *In Albano antiquitus monte nullos alios licebat quam nivei tauros immolare candoris; nonne istum morem religionemque mutastis? &c.*

13. *Te nihil attinet, &c.*) Tuum non est mactare pecudas: Deos perfecte coles & placabis, nectendo tantum & adornando serta & corollas ex herbis & floribus, quæ illis dones.

*Bidentium.*) Nonius Marcellus ita dictas oves, quod duos dentes habeant, mordicus negat: asserit vero dici quasi biennes, auctoritate Pomponii in Atallana. Vide Macrob. lib. 7. cap. 9. & Gall. lib. 16. c. 6. ubi uterque idem astruunt, contenduntque *non oves solas, sed omnes bimas hostias bidentes appellari.*

15. *Parvos Deos.*) Lares, Penates, quorum *imagines parvæ*, scilicet in privatis ædibus: in fanis autem ac templis majores Deorum statuæ, majora simulacra habentur & coluntur.

*Coronantem marino rore, fragilique myrto.*) In sacrificiis multiplices adhibebantur ejusmodi corollæ. Ipsa sacrificans coronabatur, hostia quoque imago Deorum & ara, &c.

*Marino rore.*) Plin. lib. 24. cap. 11. *Est & rosmarinum . . . . . . . foliis odor thuris, &c. De myrto*, lib. 1. Od. 38.

17. *Immunis.*) Innocens, a scelere vacua & eximia, ex quibusdam: alii aliter & melius, ut existimo, hoc sensu: etiamsi non offeras Diis ingentia munera, tam litabis, tamque obtinebis quod postulas, exiguo quovis sacrificio, quam magno & sumptuoso; si modo vitæ innocentiam, & pietatem ac religionem erga Deos exhibeas. Luc. cap. 21. Christus paupercula viduæ minuta duo laudat præ ingentibus divitum muneribus in gazophylacium missis. Ex Plutarcho Lycurgus interrogatus cur vilia & parva constituisset sacrificia, respondit: ut nunquam desinamus Deos venerari. Vide Pers. Sat. 2. in fine: ubi

*Dicite Pontifices, in sancto quid facit aurum?*
*. . . . . . farre litabo.*

*Aram si tetigit manus.*) Ara quasi ansa dicta pridem, quoniam eam tenebant seu tangebant quicumque vel sacris operabantur, vel jurabant, vel preces & vota faciebant. Varro. Macrob. Saturnal. lib. 3. c. 2. &c. Vide & Plin. lib. 2. c. 7.

*Mollibit.*) Ita veteres pro *molliet.*

20. *Farre pio & saliente micâ.*) Molâ salsâ, quæ constabat ex aqua, farre, & sale. Senec. Epist. 114. *crepacem molam* dixit.



Digitized by Google

## IN AVAROS.

# ODE XXIV.

Intactis opulentior
  Thesauris Arabum & divitis Indiæ,
Cæmentis licet occupes
  Tyrrhenum omne tuis, & mare Apulicum;
Si figit adamantinos
  Summis verticibus dira necessitas
Clavos, non animum metu,
  Non mortis laqueis expedies caput.

## INTERPRETATIO.

*Quamvis tectum mare Tyrrhenum atque Apulicum tuis ædificiis teneas, ditior nondum tentatis gazis Arabum ac Indiæ opulentæ, si fatum sævum clavos adamantinos excelsis culminibus infigit, atque animum formidine, neque caput mortis retibus liberabis. Felicius in*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Intactis, &c.*) Sui vitia sæculi hac Ode proscribit, ut & alibi jam non semel, ac remedia præscribit. Animadverte quæso, Lector studiose, quam varie quamque feliciter idem sæpius ita retractet argumentum, ut novum quid semper esse videatur. Et hoc est quod ipse præcipit ac docet ad Pisones Epist. v. 128. & v. 240. quæ duo loca spectant eodem, & egregie declarant rerum communium & cuivis notarum novam dispositionem ex arte atque ingenio, scitamque & callidam tractationem longe præstare rerum novarum inventioni. Quod quidem literatoribus ac de trivio hominibus & sciolis latet, norunt vero sentiuntque quotquot sano & sagaci pollent judicio. Vide quæ ibi annotabuntur.

*Intactis opulentior thesauris Arabum.*) Ipsis opulentior Arabibus, quorum adeo jactatur opulentia. Vide lib. 1. Od. 29. & lib. 2. Od. 12. Stroph. penult.

*Intactis.*) Vel thesauris nondum effossis, vel Arabibus bello nondum petitis ac subactis Populo Romano. *Ælius enim Gallus ex Equestri Ordine, solus Romana arma in eam terram intulit, ... oppida diruit, &c.* Plin. lib. 6. cap. 28. Strabo lib. 6. *recens Rom. expeditio nostro tempore, duce Ælio Gallo in Arabiam facta.* Missus ille cum exercitu ab Augusto decimum Consule, Arabes tentaturus. Propert. lib. 2. Eleg. 10.

*India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho,*
  *Et domus intacta te tremit Arabia!*

2. *Divitis Indiæ.*) Hæc enim Asiæ regio dives est auro, argento, lapillis, gemmis. Strabo lib. 15. &c.

3. *Cæmentis licet occupes, &c.*) Licet præclaras ædes habeas in maris litoribus exstructas, quid hoc ad vitam beatam? An sic effugies curas & mortem? Vide Od. 1. hujus lib. Stroph. 9. ibique annot.

4. *Tyrrhenum mare.*) Idem est quod Thuscum & Inferum: pars est Mediterranei, Thusciam alluens, Ditionem Pontificiam, ac regnum Neapolitanum, a fluvio Macra ad fretum Siculum.

*Et mare Apulicum.*) Omnes fere codices habent *Ponticum*, idest, Euxinum. Quidam *Punicum*, id est, Africanum; & hanc lectionem defendunt eo quod mare Punicum, seu Africum continetur cum Tyrrheno, quod modo nominatur. Verum enimvero quid hoc ad Italiam & Romanos? An ut notetur vesania ædificare cupientium non modo in litoribus maris proximi, sed & longinqui? Longe sane petita reprehensio. Lectori tamen judicandi sit plena libertas; ut fuit hactenus. Alii etiam, *Publicum*, absurde quidem legunt. Placuit lectio, *Apulicum*, non nobis primum, sed gravibus viris pridem ante nos; ut denotetur utrumque Italiæ littus maris, per *Apulicum* superi sive Adriatici, inferi vero per *Tyrrhenum*.

5. *Si figit adamantinos, &c.*) Si magnificas illas ædes mors etiam obsidet ingrediturque, & habitatores earum non mitius tractat quam infimos quosque & egentes, si in illis ædium *summis verticibus clavos figit adamantinos*, idest, imperii ac dominatus sui jura exercet: metaphora ducta ab annali clavo, qui in parietibus ædium sacrarum figebatur singulis annis, ut numerus annorum inde colligeretur. De quibus Liv. passim. Alii sic explicant; si summos etiam apices seu capita virorum principum spiculis suis durissimis transfigit mors, & enecat.

*Adamantinos.*) Adamante firmiores. Lib. 1. Od. 35. *trabales clavos*. Sic belle exprimit Poeta fatum ineluctabile, mortis necessitatem, & nunquam mutabile Jovis ac Deorum decretum. Pindar.

*τὶς κίονας κρατεροῖς ἀδάμαντος δῆσεν ἅλοις.*

Digitized by Google

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
Vivunt, & rigidi Getæ,
Immetata quibus jugera liberas
Fruges & Cererem ferunt,
Nec cultura placet longior annua,
Defunctumque laboribus
Æquali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens:
Nec dotata regit virum
Conjux, nec nitido fidit adultero.

## INTERPRETATIO.

*campis degunt Scythæ, quorum incertas habitationes carpenta circumferunt, ac non asperi Getæ, quibus arva minime circumscripta producunt communes segetes ac messes: neque exercetur cultura diuturnior uno anno: atque alter vices assumens pari* *fortunâ quietem tribuit alteri laboribus exsoluto. Ibi femina innoxia parcit privignis matrem non habentibus: neque uxor dote potens marito imperitat, nec splendido auscultat mœcho.*

## ANNOTATIONES.

9. *Campestres melius Scythæ, &c.*) Avaris divitibus sapientiores ac beatiores sunt ii populi qui inopes quidem at sine curis vivunt. Scythæ nullas domos extruunt, per campos vagantur, modo in his pascuis, modo in illis subsistentes, suamque secum familiam plaustris vehunt, hinc ἁμαξόβιοι & ἁμαξοφόροι dicti, *quibus plaustra sedes sunt*, inquit Sallust. Vide lib. 1. Od. 19. v. 10. & Od. 35. v. 9. & lib. 2. Od. 9. in fine: ibique annot. Justin. l. 2. sub initium: *Scythis inter se nulli fines, nec enim agrum exercent, nec domus illis ulla aut tectum, aut sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis imbrium hiemisque causâ tectis pro domibus utuntur. Justitia gentis ingeniis culta non legibus ... aurum & argentum non appetunt. Lacte & melle vescuntur. Lanæ iis usus ac vestium ignotus ... pellibus utuntur ferinis. Hæc continentia illis morum quoque justitiam dedit, nihil alienum concupiscentibus ... utinam reliquis mortalibus similis moderatio ... prorsus ut admirabile videatur hoc illis naturam dare, quod Græci longâ sapientum doctrinâ præceptisque Philosophorum consequi nequeunt: cultosque mores incultâ barbarie superari, &c.* Hinc apud Homerum Iliad 2. δικαιότατοι *justissimi* vocantur Scythæ. De his Strabo 7. Herodot. lib. 4. Virgil. Georgic. 3. &c.

11. *Rigidi Getæ.*) Et hi Scythis affines duram pariter vitam agunt, frigidissima regione. Ex Strabone, ad Pontum Orientem versus circa ostium Danubii sedes habent. Plin. lib. 4. cap. 12. *Ab eo in plenum quidem omnes Scytharum sunt gentes; varia tamen litori apposita tenuere: alias Getæ Daci Romanis dicti, &c.*

12. *Immetata quibus, &c.*) Scythis nimirum atque Getis agri nullis definiuntur limitibus, nullique sunt cuiquam proprii; omnes omnibus communes vicissim coluntur ab aliquibus, duntaxat quantum satis est ad annonam & victum unius anni.

15. *Defunctumque laboribus, &c.*) Alii post alios culturam agrorum, sationem ac messem curant, & quiescunt; atque ad annuum opus ac laborem alii aliis succedunt. De Suevis idem prope refert Cæsar de Bello Gallico initio lib. 4. *Gens maxima, & bellicosissima Germanorum, Suevi: centum pagos habent: ex quibus quotannis singula millia armatorum bellandi causa, suis e finibus educunt. Reliqui domi manent: pro se atque illis colunt. Hi rursus invicem anno post in armis sunt: illi domi remanent ... privati ac separati agri apud eos nihil est: neque longius anno remanere uno in loco incolendi causa licet, &c.*

17. *Illic matre carentibus, &c.*) Ubi nulla est cupiditas, illic nec ulla novercalia odia, flagitia, veneficia: nulla uxorum aut adulteria, aut imperiosa insolensque dominatio in viros. Ea est Scythicarum mulierum fides, pudicitia, virtus, probitas.

18. *Privignis mulier temperat innocens.*) Noverca non sævit in *privignos*, id est, mariti sui e priori conjuge filios, nec eos veneno tollere meditatur, quod Romæ non infrequens. Juven. Sat. 6. v. 132.

*Hippomanes, carmenque loquar, coctumque venenum,*
*Privignoque datum?*

19. *Nec dotata regit virum.*) Plaut. Aulul. in fine Scen. 17. *Quæ indotata est, ea in potestate est viri: dotatæ mactant & malo & damno viros.* Et Asinar. Scen. 1. *Argentum accepi, dote imperium vendidi.* Juv. Sat. 6. v. 223. *Imperat ergo viro.* Vide ibid. in superbiam mulierum plurima. Ex Justino lib. 3. Lycurgus apud Spartanos *virgines sine dote nubere jussit: ut uxores eligerentur, non pecunia: severiusque matrimonia sua viri coercerent, cum nullis dotis frenis tenerentur.*

20. *Nec nitido fidit adultero.*) Non sinit se in adulterium pertrahi ab adultero bene compto: vel, amatori & mœcho potenti non confidit, post flagitia sperans ab eo defendi tum adversus leges adulterium punientes, tum adversus maritum suum vindictam meditantem.



Digitized by Google

Dos est magna parentium
    Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere castitas:
    Et peccare nefas, aut pretium est mori.
O quisquis volet impias
    Cædes, aut rabiem tollere civicam,
Si quæret pater urbium
    Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrænare licentiam,
    Clarus post genitis: quatenus (heu nefas!)
Virtutem incolumem odimus,
    Sublatam ex oculis quærimus invidi.
Quid tristes querimoniæ,
    Si non supplicio culpa reciditur?
Quid leges sine moribus
    Vanæ proficiunt: si neque fervidis
Pars inclusa caloribus

## INTERPRETATIO.

Illic *maxima dos æstimatur virtus parentum & pudicitia inviolabili pacto alterum virum abhorrens*. Illic *non licet delinquere, vel merces est mors*. O *quicumque voluerit sceleratas strages furoremque civilem abolere, si cupiet imagini subscribi parens civitatum, is infrænatam coercere cupiditatem suscipiat a posteris celebrandus; quandoquidem (proh scelus!) viventem virtutem aversamur invidentes, ereptam vero aspectui desideramus. Quorsum mœsta querela, si pœnâ crimen non amputatur? Quid leges prosunt absque moribus inutiles, si negotiatorem haud deterrent*

## ANNOTATIONES.

21. *Dos est magna parentium virtus, &c.*) In deligendis uxoribus ibi non spectantur opes, sed virtus majorum & parentum, ac puellæ castimonia. Plaut. Amphitr. Act. 2. Scen. 2. sub finem:

*Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur:*
*Sed pudicitiam & pudorem, & sedatum Cupidinem,*
*Deûm metum, parentum amorem, &c.*

Repete mox allatam Lycurgi legem de dote virginum Spartanarum.
Juvenal. Sat. 6.

*Malo Venusinam, quam te, Cornelia, &c.*

23. *Certo fœdere castitas.*) Fides conjugalis, quam illic violare *nefas*, aut peccanti *mors* certa est, certumque *peccati stipendium*: quod ait Paulus Apostolus.

25. *O quisquis volet impias, &c.*) Profecto cupiditas tollenda, si quis bonus Princeps velit seditiones tollere, tumultus, cædes, bella civilia, aliasque civitatum pestes. His videtur Augustum respicere: nam sic ei postea gratulatur lib. 4. Od. 15. Stropha 3.

*ordinem*
*Rectum, & vaganti fræna licentiæ*
*Injecit, amovitque culpas,*
*Et veteres revocavit artes, &c.*

27. *Si quæret pater urbium subscribi statuis.*) Si volet dignus esse cui statua erigatur cum hac epigraphe, *pater patriæ*. Quæ quidem appellatio honorifica contigit Camillo, Ciceroni, Julio Cæsari, Augusto; aliis item postea bonis Imperatoribus. Tit. Liv. Appian. Flor. Sueton. &c. Hic Oct. c. 58. *Senatus te consentiens cum Populo Romano consalutat* PATRIÆ PATREM. *Cui Augustus ... compos factus votorum meorum, P. C. quid habeo aliud Deos immortales precari, &c.* Juven. Sat. 8. v. 244.

*Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.*

30. *Clarus post genitis.*) Quidam legunt *charus*. Lib. 1. Od. 28. *Post modo te natis*.

*Quatenus heu nefas.*) Ea siquidem est pravitas morum nostrorum, ut invideamus virtuti excellentiæ, honoribus eorum qui nobiscum vivunt: mortuis autem gloriam sponte deferimus & laudationem. Egregie Vell. Paterc. *Præsentia invidiâ, præterita veneratione prosequimur. Et his nos obrui, illis instrui credimus.*

32. *Sublatam ex oculis quærimus.*) Sic fit: sic vivitur. Homines quæ habent præ manibus bona vix ante cognoscunt, aut ut par est æstimant, quam ea amiserint. Quam sententiam expolitam efferunt inter tot alios, Sophocles in Ajace, Plaut. Captiv. Cic. in orat. post reditum ad Quirites.

34. *Si non supplicio culpa reciditur.*) Si culpæ non puniuntur; vel, si non cessant improbi crimina perpetrare, quamvis ea puniri interdum cernant.

35. *Quid leges sine moribus vanæ proficiunt?*) Quid prosunt leges si non observentur, atque ad earum amussim mores non finguntur?

36. *Si neque fervidis pars inclusa caloribus, &c.*) Si homines lucri causa nihil non tentant, & ad præclusas veluti a natura partes mundi con-

ten-

Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Duratæque solo nives
Mercatorem abigunt: horrida callidi
Vincunt æquora navitæ?
Magnum pauperies opprobrium jubet
Quidvis & facere & pati,
Virtutisque viam deserit arduæ.
Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat & turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus. Scelerum si bene pœnitet,
Eradenda cupidinis
Pravi sunt elementa: & teneræ nimis

## INTERPRETATIO.

*vel orbis regio atta fervente præruna, nec pars Aquiloni proxima, nivesque hanc constrictæ: & solertes nautæ maria formidabilia exsuperant? Inopia dedecus ingens impellit quidlibet & moliri & perferre; atque iter asperæ virtutis relinquit.* Ergo *nos aut deferamus in Capitolium, ad quod invitat applausus & concursus* populi *acclamantis, aut in mare vicinum* projiciamus *gemmas, & lapillos, atque aurum superfluum, omnis mali causam. Si vero crimina detestamur, exstirpanda sunt improba cupiditatis principia:*

## ANNOTATIONES.

tendunt; ad Zonam torridam, atque ad frigidam & glacialem, ubi *nives* asperitate ac diuturnitate frigoris *durata* sunt instar soli, vel *solo* astringuntur. Vid. lib. 1. Od. 22. sub finem. Et lib. hujus Od. 3. Stroph. 14.

40. *Mercatorem.*) Qui quærit opes ac paupertatem fugit per mare, per saxa, per ignes.

*Horrida callidi vincunt æquora navitæ.*) Sic mare glaciale, sic Bonæ Spei quod vocant promontorium, ubi horrorem faciunt omnia, quotidie tamen tentatur atque superatur.

42. *Magnum pauperies opprobrium, &c.*) Ex opinione vulgi scilicet. Nam longe aliter sentiunt vel Ethnicorum sapientes. Vide Apulei Apolog. ubi, *paupertas*, inquit, *etiam Populo Romano Imperium fundavit, &c.*

44. *Arduæ.*) Hesiodus ait viam ad virtutem longam esse & arduam saxisque asperam, Deosque valla eam sudore parari.

45. *Vel nos in Capitolium, &c.*) Ex ante dictis recte concludit: si opes non juvant, imo impedimento sunt bonis moribus, certe debemus eas abjicere: itaque ut ex malis boni aliquid faciamus, deferamus eas ad Jovem Capitolinum, & ad ornatum templi. Ac si minus movet nos religio Deorum, ut moveat saltem honos & gloria nominis nostri. Nam illud *vocat* & prosequetur nos *clamor & turba faventium*. Istæ nempe donationes magno populi applausu fiebant, quasi triumphum pararet ei qui cupiditates subegisset. Petron. *Ipse Senatus recti bonique præceptor mille pondo auri promittere solet Capitolino.* Sueton. Octav. cap. 30. *In cellam Capitolini Jovis sedecim millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties HS. una donatione contulit.*

47. *Vel nos in mare proximum, &c.*) Sic Crates Philosophus Thebanus magnum auri pondus in mare dejiciens ajebat: abite pessum malæ cupiditates, vos ego mergam, ipse ne mergar a vobis.

48. *Gemmas & lapides.*) Gemmæ pellucent, lapides minime: margaritæ nec inter gemmas nec inter lapillos censentur.

*Aurum inutile.*) Vel nihil juvans ad beate vivendum: vel quo non utimur per avaritiam defraudantes genium.

49. *Materiam mali.*) *Lycurgus aurum argentumque velut omnium scelerum materiam sustulit.* Justin. lib. 3.

Ovid. *Irritamenta malorum opes.*

51. *Eradenda cupidinis, &c.*) Tull. Tuscul. 4. *cum est concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio quasi quædam Socratica medicina, quæ sanet eam cupiditatem, permanat in venas & inhæret in visceribus illud malum, existitque morbus & ægrotatio, quæ avelli inveterata non possunt; cuique morbo nomen est avaritia.*

*Cupidinis pravi.*) Prave quidam legunt *prava*. Cupidinem pro cupiditate in genere masculino usurpat Horatius, lib. 2. Od. 16. v. 15. *cupido sordidus*. Et Satyr. 1. v. 61.

*Pars hominum decepta cupidine falso,*
*Nil satis est, inquit.*

52. *Elementa.*) Primordia. Juvenal. Sat. 14. v. 123.

*Sunt quædam vitiorum elementa.*

*Teneræ nimis mentes asperioribus formandæ studiis.*) Vel a teneris, ut ajunt, unguiculis: vel ad laborem resque duras, & asperas *formandæ* sunt mentes nimis effeminatæ, & delicatæ. Vide Oden 2. hujus libri.

Digitized by Google

Mentes asperioribus
  Formandæ studiis. Nescit equo rudis
Hærere ingenuus puer,
  Venarique timet, ludere doctior
Seu Græco jubeas trocho,
  Seu malis vetitâ legibus aleâ:
Cum perjura patris fides
  Consortem socium fallat & hospitem;
Indignoque pecuniam
  Hæredi properet. Scilicet improbæ
Crescunt divitiæ: tamen
  Curtæ nescio quid semper abest rei.

INTERPRETATIO.

*animique molliores quam oportet durioribus instituendi sunt exercitationibus. Nobilis adolescens ignorat equo insistere haud assuetus, ac venari fugit, peritior ludere sive Græco volueris trocho, sive magis placuerit, aleâ legibus prohibitâ: dum paterna fide perjurio fractâ defraudat consortem socium & hospitem; atque divitias accumulat hæredi immerito. Nimirum iniquæ augescunt opes: veruntamen nescio quid semper deest angustis bonis.*

ANNOTATIONES.

54. *Nescit equo rudis hærere, &c.* ) Generosus ac nobilis puer ( proh dedecus! ) nescit equitare, timetque venari; scit vero & amat ludere mollioribus ludis Græcorum. De Romanis exercitationibus ingenuo juvene dignis vide lib. 1. Od. 8. De venatione l. 1. Epist. 18. v. 49. ita canit:
*Romanis solemne viris opus utile famæ*
*Vitæque & membris*

57. *Græco trocho* ) Duplex fuit trochus: alter dicebatur turbo, eratque *buxum volubile* scuticâ agitari à pueris solitum: de quo Virgil. Æneid. 7. v. 378. Alter ludus trochi erat, circuli cujusdam ferrei vel ænei impulsio, artem requirens ac studium; neque solis conveniebat pueris. De hoc videtur loqui noster istic, ut & ad Pisones Epist. v. 380. ubi rem vide fusius explicatam in annotationibus nostris.

58. *Vetitâ legibus aleâ.* ) In Saturnalibus permittebatur alea, mense Decembri: reliquis anni mensibus probrosa erat, puniebaturque legibus Corneliâ, Publiciâ, Titiâ. Ædilibus ea cura incumbebat. Cic. Philip. 2. *Licinium de alea condemnatum collusorem suum restituit.* Vide Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 21. & quæ annotabo ad lib. 1. Epist. 18. v. 21. ad has voces
*Quem præceps alea nudat.*

59. *Cum perjura patris fides, &c.* ) Dum puer indulget mollibus & futilibus studiis, interim pater ei congerit opes per fas & nefas, quas male partas male dilapidet. Nam ille societatis fidem atque hospitii jura violare non dubitat.

60. *Consortem socium.* ) Has voces alii separant, explicantque *consortem* cohæredem; *socium*, qui negotiationis societatem ac fœdus inito contractu fecit. Alii jungunt, & ad unam posteriorem sententiam referunt. Nempe consors vocatur qui tantumdem sortis ad mercaturam confert. Nam prima pecunia in societatem, ut lucrum inde fiat, collocata sors & caput nuncupatur: quod vero ex illa per communem negotiationis laborem accedit accrescitque, corpus societatis vocitant. Itaque ille fallit consortem socium cum substrahit quidpiam e lucro, & in privatam rem convertit id quod esse commune oportuit. Cicero pro Sexto Roscio: *Recte majores nostri eum qui socium fefellisset, in bonorum virorum numero habendum nullo modo putaverant.* Vide eumdem pro P. Quinctio. Animadverte porro quot & quanta mala committat ille avarus pater. 1. Periculis & laboribus se conficit. 2. Paupertatem esse malum stulte credit. 3. Omne fas violat quæstûs causâ. 4. Pravo exemplo filium corrumpit. 5. Seipsum defraudat victu necessario, *inter opes inops.*

64. *Curtæ nescio quid semper abest rei.* ) Nam *multa petentibus desunt multa.* Supra Od. 16. in fine. Bene Seneca in Hercule Oetæo:
*Cupit hic gazis implere famem:*
*Nec tamen omnis plaga gemmiferi*
*Sufficit Istri: nec tota sitim*
*Lydia vincit; nec quæ Zephyro*
*Subdita tellus stupet aurato*
*Flumine clarum radiare Tagum:*
*Nec si totus serviat Hebrus,*
*Ruraque dives cingat Hydaspes;*
*Intraque suos currere fines*
*Spectet toto flumine Gangem.*
Avidis avidis Natura parum est.



Digitized by Google

## AD BACCHUM.

# ODE XXV.

*Se afflatu ejus de Augusto eximia dicturum.*

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum? Quæ in nemora, aut quos agor in specus
Velox mente novâ? Quibus
Antris egregii Cæsaris audiar
Æternum meditans decus
Stellis inserere & concilio Jovis?
Dicam insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio: non secus in jugis
Exsomnis stupet Evias,
Hebrum prospiciens, & nive candidam
Thracen, ac pede barbaro

### INTERPRETATIO.

*Eeque me agis, Bacche, te repletum? Quas in silvas atque antra praeceps rapior spiritu insolenti? Quibus speluncis meditabor immortales honores Augusti, ut audiar inserens illum sideribus ac Jovis concilio? Canam splendores novos, necdum ab aliis celebratos. Haud aliter attonita est Baccha, in montibus expergiscens, cum cernit Hebrum, & Thraciam nivibus albescentem,*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Quo me, Bacche, rapis, &c.*) Ad quid me rapis, meque supra me tollis? Instruis me scilicet ad canendas Divi Augusti laudes: quod sine divina ope nequaquam tentarem. De Baccho vide lib. 2. Od. 19. ibique annot. Augusti elogia persequitur Horatius lib. 1. Od. 12. lib. 3. Od. 5. 14. lib. 4. Od. 5. 14. 15. lib. 2. Epist. 1.

2. *Quæ in nemora.*) Lib. 2. Epist. 2.

*Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes*
*Rite cliens Bacchi.*

Item

*Carmina secessum scribentis & otia quærunt.*

3. *Mente novâ.*) Divino instinctu, dicendi facultate plusquam humanâ. Adverte, studiose Lector, incisam passim orationem. Talis enim entheum decet.

*Quibus antris, &c.*) Quibus in locis a turba semotis, tacitisque, animo soluto meditabor dignus Augusto versus, quibus illum cœlo consecrem. Vide supra Od. 5. Stroph. 1. ibique ann.

6. *Concilio Jovis.*) Deorum cœtui. Fingunt enim Jovem in gravioribus Deos convocare & consulere. Vide Homer. Iliad. 20.

8. *Indictum ore alio.*) Seu quod primus Latinorum Horatius Lirica scripserit, seu quia Augusti gesta & virtutes sunt quid novum ac inauditum, adeoque mortalium nemini cognita aut celata sunt adhuc ejus insignia.

*Non secus in jugis, &c.*) Tantus me stupor divina Cæsaris encomia canere meditantem corripit, quantus invadit Bacchas e furore divino & somno exsolutas: vel tanto ardore aggredior Augusti laudes, quanto Bacchæ Orgia.

9. *Evias.*) Bacchi sacrificula, ab Evio Bacchi cognomine, de quo lib. 1. Od. 18. v. 9. *Exsomnis*, vel excitata ab eo somno, qui post divinum furorem occupare solet, animoque tranquillitatem reddit. Vel, pervigil: noctu enim celebrabantur Orgia, in Thraciæ præsertim montibus. Unde & mox Hebri Rhodopesque mentio.

10. *Hebrum.*) Hic Thraciæ fluvius oritur e monte Rhodope non procul Adrianopoli, labitur in Ægæum mare, e regione insulæ Samothraciæ, volvens aureas arenulas. Solin. lib. 15. De eo jam lib. 1. Od. 25. v. ultimo.

*Nive candidam Thracen.*) Regio hæc frigidissima nunquam non habet nives, *nec cœlo læta, nec solo*, ex Pomp. Mela. Inter alios montes tollit *Rhodopen*, incoliturque gente, cui velut insita a natura barbaries. Vide lib. 1. Od. 27.

11. *Pede barbaro lustratam Rhodopen.*) Hic subtiliores aliqui afferunt Orpheum *pede barbaro*, id est, carminibus illustrantem Thraciam suam patriam, & in ea montem Rhodopen: eo sensu, ut tam sit omnibus admirabilis Horatius Augusti laudes celebrans, quam Bacchia Thrax Orpheus canens, & ob cantum toto orbe nomina-

Lustratam Rhodopen. Ut mihi devio
Rupes, & vacuum nemus
Mirari libet! O Naiadum potens,
Baccharumque valentium
Proceras manibus vertere fraxinos,
Nil parvum, aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce periculum est,
O Lenæe, sequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

## INTERPRETATIO.

*atque Rhodopen pedibus barbarorum peragratam. Quam placet mihi longe aberranti admirari cautes & silvam desertam! O Rex Naiadum & Bacchantium altas fraxinos manibus revellere potentium, nihil exiguum, aut vile, nihil humanum canam. Suave est periclitari, o Bacche, sequendo numen quod circumdat caput virenti palmite.*

## ANNOTATIONES.

natus. Sed o commentum, quod nostro etiam Poetæ latuisse credendum est.

12. *Ut mihi devio, &c.*) Afflatus numine Horatius duntaxat ea loquitur, quæ meditabundum juvant Poetam, desertas regiones, specus, rupes, nemora.

13. *Rupes.*) Sic apposite Muretus doctis visus correxisse, quia *rupes* ad rem convenientiores: cum tamen plerique codices habeant, *ripas*; nec ita absurde, ut quidam volunt. Nam & flumina & fluminum *ripæ* ad solitarium & cogitabundum pertinent.

14. O *Naiadum potens, &c.*) Quod aquis vinum est potentius ac validius, hinc veteres Naiadum, id est, Nympharum fluminibus præsidentium Regem finxere Bacchum.

15. *Baccharum.*) Bacchi Sacerdotum. Quod additur, *valentium proceras manibus vertere fraxinos*, videtur allusisse Horatius ad id, quod scribit Euripides in Bacchis Actu 4. cum evasisset in abietem Pentheus rabiem fugiens Bacchantium, eo statim accurrisse illas omnes, ac duce Agave saxa primum molitas in eum contorsisse, postea vero ipsam arborem radicitus concussisse, ac tandem prostravisse.

17. *Aut humili modo.*) Quidam legunt, *humile modo*.

18. *Dulce periculum est.*) Scio me periculosum tentare opus & arduum; at duce Deo non indignum immortali Cæsare carmen edam.

19. *Lenæe.*) Unum est e Bacchi cognominibus, ἀπὸ τῦ λῃνῦ, *torculari*, in quo vinum exprimitur. Ex Diod. Sic. lib. 4. cap. 5. & lib. 5. cap. 1. Donatus perperam Latinam commentus est originem, a *leniendo*. Cui & refragatur Servius in Virgil. Georgic. 2. v. 4.

20. *Cingentem viridi tempora pampino.*) Hoc & suos clicotes, & seipsum coronare amat Bacchus. Infra lib. 4. Od. 8.

*Ornatus viridi tempora pampino.*



Digitized by Google

## AD VENEREM.

# ODE XXVI.

*Ut Chloes arrogantiam coerceat.*

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militavi non sine gloria:
Nunc arma, defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit,
Lævum marinæ qui Veneris latus
Custodit. Hìc, hìc ponite lucida
Funalia, & vectes, & arcus
Oppositis foribus minaces.
O, quæ beatam Diva tenes Cyprum, &
Memphim carentem Sithoniâ nive,
Regina, sublimi flagello
Tange Chloen semel arrogantem.

## INTERPRETATIO.

*Haud ita pridem vigebam aptus virginibus; nec ingloriùs bellavi. Jam arma & perfunctam militiâ istâ lyram tenebit murus ille qui stipat latus sinistrum Veneris maritimæ. Istic istic deponite faces accensas & vectes, & arcus præclusis januis minitantes. O Dea, quæ fortunatam obtines Cyprum, atque Memphim nivibus Sithoniis immunem regis, semel feri superbam Chloen elato flagello.*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Puellis nuper idoneus.*) Jam vero annos quadraginta natus ab eis contemnor: quare ab ista militia cessare debeo in posterum. Vida lib. 1. Od. 19. & lib. 4. Od. 2.

2. *Militavi.*) Ovid.

*Militat omnis amans: & habet sua castra Cupido.*

3. *Nunc arma, &c.*) Jam abjicienda mihi sunt arma, atque ex more suspendenda in templo Veneris funalia, vectes, arcus.

4. *Barbiton.*) Versus lyricos & amatorios. De eo instrumento musico lib. 1. Od. 1.

*Paries habebit, lævum marinæ qui Veneris latus custodit.*) Quia fortunatus ſui in ea Veneris militia, hinc volo suspendi arma mea congruo loco & meæ felicitatis indica. Videlicet statuæ Deorum meridiem aspiciebant, proindeque occasum habebant ad dextram, ortum ad sinistram: porro ex Etrusca disciplina pars orientalis boni ominis erat, idaoque fausta quælibet ad ortum auguria & auspicia habebantur. Unde Virgil. *Intonuit lævum*. Seu quod ea erat Horatii dextra ad Veneris imaginem conversi: & pars quoque templi dextra; quæ quidem semper felix censetur. Hinc igitur ad lævum simulacri Veneris latus, hoc est, ad dextrum fani parietem arma collocat, quibus non ſine gloria militarat.

5. *Marinæ Veneris.*) E maris spuma genitæ: ut fabulantur Hesiod. Theogon. Inde Græcum nomen Ἀφροδίτη, nam ἀφρὸς, *spuma* dicitur.

7. *Funalia.*) Noctu amatores ad amicarum fores, accensis facibus pergebant, atque illas, his damum extinctis, occentabant. Pers. Sat. 5. v. 166.

*Chrysidis ... ante fores extinctâ cum face canta.*

Vide supra Od. 10. hujus libri.

*Vectes & arcus, &c.*) His scilicet armis atque instrumentis quatiebant effringebantque fores meretricum occlusas. Vid. supra Od. 14. sub finem. Et lib. 1. Od. 25. Apud Terent. in Eunucho, Thraso Thaidis ædes expugnaturus, *procede*, inquit, *huc cum vecte*. Belle Cato vecticulariam appellat vitam eorum, qui vecta parietes domorum solent perfodere.

9. *Beatam Cyprum.*) Insulam, de qua lib. 1. Od. 3.

*Beatam.*) Vel opibus vel patrocinio Veneris.

10. *Memphim.*) Ægypti urbem, in qua celebre Veneris templum, teste Strabone, lib. 17.

*Carentem Sithoniâ nive.*) Ea regio utpote fervida non habet nives, ut Sithon Thraciæ mons. Virgil. Eclog. 10.

*Sithoniasque nives hyemis subeamus aquosæ:*

11. *Regina.*) Mentium dominatrix Venus.

*Sublimi flagello, &c.*) Ictu vehementiori percuta: fastidium Chloes & superbiam tibi ingratam ulciscere: ferociam elide. Animadverte porro amantium levitatem ac stultitiam. Videbatur Horatius primo velle amores abjicere; ecce vero seu amans, seu iratus supplicat Veneri, ut frangat Chloes arrogantiam, eamque tangat, a qua ipse spernebatur.

AD

## *AD GALATEAM.*

# ODE XXVII.

*Eam a navigando deterret, præsertim exemplo Europæ.*

Impios parræ recinentis omen
Ducat, & prægnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa Lanuvino,
Fœtaque vulpes:
Rumpat & serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittæ
Terruit mannos. Ego cui timebo
Providus auspex?

### INTERPRETATIO.

*Sceleratas deducat augurium parra sanitum iterantis, & canis gravida, vel lupa rufa veniens ab agro Lanuvino, & vulpes* catulus *anixa: Anguis quoque viam inceptam remoretur, cum velut sagitta e transversa equis pavorem injecit. Ego cui metuam augur providens futura?*

### ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod Oda 2. Lib. 1.

1. *Impios parra, &c.*) Hæc Oda præ cæteris involuta multum negotii semper interpretibus facessivit: multum quoque habet gravitatis & elegantiæ. Quæ & qualis sit Galatea illa, & cur ita studiose ad eam scribat Horatius, haud notum est.

*Impios parra recinentis omen ducat, &c.*) Impii iter facturi tristia quodlibet auspicium habeant, pro suo malo merito: tibi vero, Galatea, fausta quæcumque edsint.

*Parra.* Ingratæ & infaustæ fuit vocis parra avis: quæ vero fuerit illa, minime liquet. Quibusdam *mesange*, aliis *vanneau*, aliis aliter appellatur. Plin. lib. 11. cap. 37. init. *volucribus apices diversi quidem generis: Phœnici plumarum serie ..... Phasiana corniculis: præterea parra* (alii tamen legunt, *parvæ*) *quæ ab illa galerita appellata quondam, postea Gallica vocabulo etiam legioni nomen dedit alauda. Dedit sitrres Pico quoque Martio, &c.* Lib. vero 18. c. 29. manifeste ac diserte scribit, *avem parram, oriente Sicia, ipso die non apparere, donec occidat.*

*Recinentis.*) Quædam aves cantu omen faciebant, ut noctua, corvus, cornix, picus, parra; hinc oscinas, quasi oricinas: aliæ volatu & alis, unde alites ac præpetes dictæ; ut aquila, vultur, milvus, accipiter, aliæque altum volantes. Virgil. Æneid. 3.

*Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.*

2. *Prægnans canis, aut, &c.*) Veteres superstitiosi multa quidem ominosa æstimabant nulla aut levi ratione; ut si quid male cesserat, cum v. g. prægnans canis occurrisset, inde talem occursum deinceps habuerunt infelicem & mali ominis. Ejusmodi plurima profert hic Poeta noster. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 13. &c.

3. *Lanuvino.*) Pro quolibet positum quibusdem videtur; non ita vero aliis, eo quod per illud ad viam Appiam oppidulum iter erat Galateæ Brundusium pergentis ad conscendendam ibi navem. Res exigui momenti.

5. *Rumpat & serpens, &c.*) Græcis ἀκοντίας, Latinis jaculus, serpentis genus est, ex arboribus in prætereuntes sese vibrantis ad modum sagittæ. Ælian. lib. 8. histor. animal. cap. 18. Plin. lib. 8. cap. 23. *vulgatum est*, inquit, *jaculum ex arborum ramis vibrari, nec pedibus tantum cavendas serpentes, sed & missili volare, tormento.*

6. *Similis sagittæ.*) Nolunt hic intelligi missilem ex arcu sagittam; quanquam nihil vetet, ut patet ex annot. præced. At placet indicari eam surculi partem in vitibus postremem & superioram, quæ incurva & contorta serpentem refert, vocaturque sagitta. Columell. lib. 3. cap. 17. Plin. lib. 17. cap. 21. *Sagitta vocantur surculi, cum insarti panguntur ... sagittas serere minus utile, quoniam in transferendo facile rumpitur quod insartum fuit.*

7. *Terruit mannos.*) Exterruit equos currum trahentes, in eos insiliens, eo modo quo mox explicuimus. *Mannus* vocatur equus minor ad manum facilis & obsequens. Torrentio est gradarius equus, tolutim & sine equitis molestia decurrens.

*Ego cui timebo providus auspex?*) Ita fere omnes codices. Sensus est, non est quod timeam tibi, Galatea; cum nullo sis crimine obstricta, felici exitu ut & auspicio fluent tibi omnia: nec non faustum tibi augurium & ego precabor navigare cupienti: sis ubique felix. Quod, si liceat aperire quod sentio, malim certe cum Eruditis nonnullis, interrogationis notam expungere, & continuato sensu & oratione, jungere cum sequen-

Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis ab ortu.
Sis licet felix ubicumque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas:
Teque nec lævus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.

## INTERPRETATIO.

*Priusquam avicula pluviæ proximæ prænuntia redeat ad paludes minime fluentes, votis vocabo corvum ab oriente canentem. Esto fortunata ubicumque volueris, o Galatea, & vive nostri memoriam servans: & te nec pergere impediat sinister picus, nec cornix vagabunda.*

## ANNOTATIONES.

quentibus hoc sensu: Ego Horatius si cui timebo auspex providus (ut tibi navigaturæ timeo, Galatea:) huic *prece suscitabo oscinem ab ortu Solis corvum*, quo deterreatur a conscendendo mari, isto scilicet malo augurio. Vide mox annotanda.

*Auspex.*) Is augurium captans sedebat capite velato: lituum sine nodo tenens aduncum, quo cæli regiones & certa spatia notabat, quibus videnda ad se pertinere designabat, &c. Alex. ab Alex. ante cit. Quam vero mundi partem spectabat augur. hinc enim pendet multarum solutio quæstionum: nimirum ubi *dextra* pars, ubi læva constituenda; adeoque quod felix, quod infelix omen. Primi Rom. Augures orientem spectarunt ab Albanis & Latinis edocti. Patet ex Virgil. Æneid. 8. v. 68. & Æneid. 12. v. 172. Subinde vero, ex Hetrusca disciplinâ, ad meridiem conversi omen capiebant, & auspicium. Vide Varron. lib. 6. Plin. l. 2. c. 54. Quæ cum ita sint, ortus Solis erat eis ad lævam, occasus ad dexteram; ergo quod mox ait Horatius, *corvum ab ortu Solis oscinem*, sinistrum infelixque augurium denotat. Adde quod vulgo putabantur auspicia corvi dextri fausta, lævi infelicia; cornicis contra. Plaut. Asinar. infra citand. Item Aulul. Scen. 20. *non temere est quod corvus cantat mihi nunc ab læva manu, &c.* Cic. De Divin. 1. *Quid augur, cur a dextra corvus, a sinistra cornix faciat ratum?* Et antea: *Panætius requiris Jupiterne cornicem a læva, corvum a dextra canere jussisset.* Et de Divin. 2. v. 82. *cur aliis a dextra, aliis a læva datum est avibus, ut ratum auspicium facere possint?* Verum enim vero magna hujus observationis vanitas, ut ait ipse Plin. mox cit. Et Cic. de Divin. 2. v. 82. *Quæ autem est inter Augures conveniens & conjuncta constantia? Ad nostri augurii consuetudinem dixit. Ennius:*

Cum tonuit lævum bene tempestate serenâ.

*At Homericus Ajax apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum, nescio quid hoc modo nuntiat:*

Prospera Jupiter his dextris fulgoribus edit.

*Ita nobis sinistra, Graiis & Barbaris dextra meliora esse videntur. Quanquam haud ignoro quæ bona sint sinistra nos dicere, etiamsi dextra sint. Sed certe nostri sinistrum nominaverunt,* (quod a sinendo dictum putant) *exterique dextrum, quia plerumque melius id videbatur.* Vide Just. Lips. Elect. 2. c. 1. Ex his, Lector, vides non absurdam quoque sententiam priorem illorum, qui corvum oscinem ab ortu, felix augurium fuisse scripserunt, tametsi id lævum esset: ubi & distinguendum ajunt inter Auguris dextram manum lævamque, & mundi partem dextram ac sinistram. cum Poetæ nunc hoc, nunc illo modo loquantur. Adde Plutarchum in quæst. Centor. Rom. ita scribentem: *Cur avis sinistra est secunda? .... Num sinistrum lævum significat. Potest etiam deduci a verbo sinere. Eam igitur quæ rem sinit avem ... vocat vulgus sinistram. Cur vero? An quod Æneæ in acie contra Mezentium stanti fulgur a sinistra victoriæ index micasset, in augurium id verterunt; ac deinceps ita observant. Etenim Thebani cum sinistro suo cornu ad Leuctra hostem profligassent, deinde observarunt ut in omnibus conflictibus sinistro cornu imperium tribuerent. An potius, ut auctor est Juba, respicientibus orientem Aquila ad sinistram est, quem mundi partem dextram & supremam habent .... An quia terrestria & caduca cœlestibus & divinis cum sunt opposita, putabant nobis ea quæ sinistra sunt, Deos a dextra ostendere.* Vide & Arnob. lib. 4. paulo post init. ubi *læva naturâ esse ulla* negat egregie. Nec omitte quod Non. Marcell. docet, aliquando etiam *lævum* in bonam partem, & a levando dici.

9. *Antequam stantes repetat paludes, &c.*) Antequam tempestatem denunciet cornix ad paludes suo more volitans ac sedens: ibique præsentiens imbrem divinansque & voce indicans. Supra Od. 17. *aquæ augur cornix* dicitur. Vide ibi annotata.

11. *Oscinem corvum, &c.*) Ore futura præcinentem. Vide Gell. lib. 6. cap. 6. Plin. lib. 10. cap. 12. *Pessima corvorum significatio, cum glutiunt vocem velut strangulati.* Et lib. 18. cap. ult. *corvi singultu quodam latrantes seque concutientes, si continuabunt, ventos: si vero carptim vocem resorbebunt, ventosum imbrem præsagiunt.* Contra si ab ortu clare vocem ediderit corvus, felix auspicium fuisse narrant quidam. Vide supra annot.

15. *Nec lævus vetet ire picus, nec vaga cornix.*) Plaut. Asinar. Scen. 4. *Picus & cornix ab læ-*

Sed vides quanto trepidet tumultu
Pronus Orion? Ego quid sit ater
Adriæ novi sinus, & quid albus
Peccet Iapyx.
Hostium uxores puerique cæcos
Sentiant motus orientis Austri, &
Æquoris nigri fremitum, & trementes
Verbere ripas.
Sic & Europe niveum doloso
Credidit tauro latus, & scatentem
Belluis pontum, mediasque fraudes,
Palluit audax.

## INTERPRETATIO.

*At cernis quanto fragore properet Orion declivis? Ego scio quam periculosum sit Adriaticum mare, atque fallat Iapyx serenus. Conjuges & filii hostium experiantur occultos motus Austri surgentis, & tumultus atri maris, ac litora ictibus fluctuum concussa. Ita etiam Europa fallaci tauro commisit latus candidum; atque mare bestiis refertum & apertos dolos expavit ante imperterrita.*

## ANNOTATIONES.

*læva est: corvus porro* ( al. parra ) *a dextra suadent*. Plin. lib. 10. cap. 12. *cornix inauspicata est garrulitatis, a quibusdam tamen laudata*. Id. eod. lib. cap. 18. *Pici* ( Gallice *pivers* ) *Martio cognomine, insignes & magni in auspiciis ...... Ipsi, principales Latio sunt in auguriis a Rege qui nomen huic avi dedit. Unus eorum in capite Prætoris urbani L. Tuberonis in foro jura pro tribunali reddentis sedit ita placide, ut manu prehenderetur. Respondere Vates, exitium Imperio portendi si dimitteretur; at si exanimaretur, Prætori. Et ille autem protinus concerpsit: nec multo post implevit prodigium.* C. Cælio, sive Lælio id tribuit Frontinus in Stratagem.

17. *Sed vides quanto, &c.* ) Attamen, o Galatea, ne temere te perfido committas mari: animadverte imminentem ab Orione tempestatem.

18. *Pronus Orion.* ) Devexus, ad occasum vergens. De eo lib. 1. Od. 28. v. 21. lib. 2. Od. 13. in fine.

*Ego quid sit ater Adriæ novi sinus, &c.* ) Cave etiam & time Adriatici maris navigationem. Hujus ego pericula sum expertus, inquit Horatius, cum Athenas profecturus conscendi mare Brundusii. Tunc etiam intellexi *quid albus peccet Iapyx*, quam sæpe fallat & decipiat ventus ille flans ex Apulia, in Græciam pergentibus initio propitius, at repente e cœlo sereno procellas ciens, & naufragia parans. De eo l. 1. Od. 3. v. 4.

21. *Hostium uxores, &c.* ) In hostes vertantur & irruant mala quævis; a Galatea avertantur.

*Cæcos sentiant motus orientis Austri.* ) Meridianum hunc ventum ignorat nemo valde esse procellosum.

*Cæcos motus.* ) Quidam interpretantur, nocturnos, eo quod *noctu Auster, interdiu Aquilo vehementior ..... & Austro majores fluctus eduntur*. Plin. lib. 2. cap. 47. in fine. Alii legunt *orientis hædi*. De hædorum exortu tempestuoso, vide annot. hujus libri Od. 1. Stroph. 7. Numquid vero sagax Poeta junxisset hædorum ortum cum occasu Orionis, quem modo attulit? Hic siquidem longe est post illum. Verumtamen quid vetat Horatium Galateæ interminari Orionis, hostibus vero hædorum malignitatem?.

25. *Sic & Europe, &c.* ) Vide ne tibi contingat id quod contigit Europæ. Hæc mansuetum & amabilem taurum conspicata, non est verita ejus tergo insidere, atque etiam maris inire fluctus & inambulare. At pœnituit serius cum se avectam longius sensit. Sic tu, Galatea, placidum nunc mare ultro conscendis: at mox pœnitebit te, cum turbatum ac procellis elatum intueberе. Europa a Jove in tauri formam converso decepta, avecta, vitiata est: tu ab Iapyge Austroque, ventis, & ab Orione hædoque sideribus noxiis poteris falli. Vide Herodot. Diodor. Sicul. lib. 6. cap. 15. Ovid. Metamorph. 2. Fab. ult. & Fast. 5. Apollod. lib. 3.

*Niveum latus.* ) Candore insignis Europa celebrata est.

27. *Mediasque fraudes palluit audax.* ) Quæ audacter ac sine ullo metu tauri dorsum inscenderat, tum expalluit cum in alto mari nil præter undas & marina monstra aspexit. Hæc & quæ sequuntur e Moscho transtulit Horatius, pariterque Ovidius, aliique. Scripsit Theod. Marcilius, e Theocrito, quoniam inter hujus opera Eidyll. 29. reperitur inscriptum, *Europa*; quod tamen Moschi esse non est ambigendum.

Digitized by Google

Nuper in pratis studiosa florum, &
Debitæ Nymphis opifex coronæ,
Nocte sublustri, nihil astra præter
Vidit & undas.
Quæ simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten; pater o relictum
Filiæ nomen, pietasque! dixit
Victa furore.
Unde? quo veni? levis una mors est
Virginum culpæ. Vigilansne ploro
Turpe commissum? An vitiis carentem
Ludit imago
Vana, quæ portâ fugiens eburnâ
Somnium ducit? Meliusne fluctus
Ire per longos fuit, an recentes
Carpere flores?
Si quis infamem mihi nunc juvencum
Dedat iratæ; lacerare ferro, &
Frangere enitar modo multum amati
Cornua tauri.

## INTERPRETATIO.

*Paulo ante flores in pratis colligens, texensque coronas Nymphis meritas, nocte parum lucida nihil aspexit nisi sidera & aquas. Cum vero pervenit ad Cretam centenis urbibus validam, irâ perculsa ait; o parens, nomen a filia neglectum, & pietas* aliam relicta! *Unde & quo deveni? unica mors pœna est minor flagitio virginum. An experrecta defleo crimen fœdum? An scelere immunem me decipit species inanis, qua dilapsa per januam eburneam insomnium emittit? An satius fuit longa tranare maria, an flores novos colligere? Si aliquis modo tradat iratæ mihi taurum flagitiosum, conabor ferro discerpere ac rumpere cornua juvenci prius dilecti nimium.*

## ANNOTATIONES.

29. *Nuper in pratis, &c.*) Legentem pariter flores, cum rapta est a Dite, Proserpinam exhibent Ovid. Metam. 5. item Lucanus.

33. *Centum potentem oppidis Creten.*) Homer. ἑκατόμπολιν. Hinc Virg. Æn. 3. de Cretensibus:

*Centum urbes habitant magnas.*

Plin. lib. 12. cap. 1. *Est Gortynæ in insula Creta juxta fontem platanus una, insignis utriusque linguæ monumentis, nunquam folia dimittens: statimque ei Græciæ fabulositas adfuit, Jovem sub ea cum Europa concubuisse.*

34. *Pater o relictum, &c.*) Tandem plane deceptam se intelligens Europa, sic ingemuit: miseram me quæ insano tauri amori obcæcata, patris domum reverentiamque deserui?

37. *Levis una mors est virginum culpæ.*) Scilicet irreparabilis est jactura virginitatis. Catul. Carm. 63. seu Epithal.

. . *Virgo dum intacta manet, tum chara suis est;*
*Cum castum amisit polluto corpore florem,*
*Nec pueris jucunda manet, nec chara puellis.*

40. *Imago vana, quæ portâ fugiens eburnâ.*) Post Homer. Odyss. 19. v. 562. alii Poetæ fabulati sunt, duas esse somniorum portas, alteram corneam, eburneam alteram: per hanc falsa, per illam vera emitti somnia. Vide Virgil. Æneid. 6. v. 893. Hujus figmenti rationem alii aliter investigant. Quidam in etymologia rem versari opinantur; ἐλεφαίρω, inquiunt, est, *decipio:* hinc vanum est insomnium e porta, quæ *candenti perfecta nitens elephanto*, ut ait Virgil. cit. illud autem est verum, quod e cornea porta. Nam a κέρας *cornu*, κεραίνω, indeque κραίνω, *effectum reddo*. Alii, quod ebur densum, nihilque dat oculis pervium; at contra pellucidum cornu est; hinc illud nihil ostendit, hoc vero aliquid exhibet & indicat. Alii per ebur, quod dens est elephanti, significari os putatur; per cornu vero oculos, quia prima oculi tunica ejus speciem refert; ac proinde hoc aliquid certi continet, illud autem non ita: nam quæ oculis videntur manifesta sunt; at incerta quæ alieno ore famaque percipiuntur. Vide Eustath. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 3.

42. *Meliusne fluctus ire per, &c.*) Id est, potuitne igitur vigilanti mihi melius videri tauri dorso marisque longis fluctibus me credere, quam in pratis otiose ludendo flores colligere? Vix sane opinionem somnii excutere possum: inquit stupens Europa.

47. *Multum amati tauri.*) Huic divinam ado-

Digitized by Google

Impudens liqui patrios Penates:
Impudens Orcum moror. O Deorum
Si quis hæc audis, utinam inter errem
Nuda leones,
Antequam turpis macies decentes
Occupet malas, teneræque succus
Defluat prædæ, speciosa quæro
Pascere tigres.
Vilis Europe, pater urget absens.
Quid mori cessas? Potes hac ab orno
Pendulum zonâ bene te secutâ
Lædere collum.
Sive te rupes & acuta letho
Saxa delectant; age, te procellæ
Crede veloci: nisi herile mavis
Carpere pensum,
Regius sanguis, dominæque tradi
Barbaræ pellex. Aderat querenti
Perfidum ridens Venus, & remisso
Filius arcu.

## INTERPRETATIO.

*Absque verecundia deserui paternam domum, sine pudore cunctor Inferos. O si quis Deorum audis ista, faxis nuda ambulem inter leones, priusquam fœda tabes invadat pulchras genas, ac delicata præda corpulentia dilabatur. Cupio formosa tigres satiare. Infamis Europa, absens pater instat: quorsum mori differs? Frangere cervicem potes ab ista orno suspensam obsequente tibi cingulo. Seu magis placent cautes & scopuli ad mortem expediti: age, committe te celeri tempestati, nisi pensum domina trahere vis tu Regis filia, atque dari pellex heræ barbaræ. Lugenti astabat Venus improbè ridens, natusque laxato arcu.*

## ANNOTATIONES.

durem spiranti, ut sit Moschus, miti, formoso, blandienti libens collusit. Europa: contrectat, manibus spumam ab ore abstergit, osculatur, dein & dorso insidet. Taurus Europæ lambit collum, ac demulcet puellam. Apud Ovid. autem Metamorph. 2. Fab. 13. ori flores porrigit, cornua sertis exornat, pectus manu plaudit: gaudet amans. Meminit quoque Cic. de Natur. Deor. 1. n. 79. *non audeo dicere pulchriorem esse me quam ille fuit Taurus qui vexit Europam.*

50. *Orcum moror.*) Mori differo, moror que debitam Orco prædam me tradere.

51. *Utinam inter errem nuda leones.*) Jam Europa non somniasse, sed reipsa flagitium perpetrasse se agnoscens iram in taurum primo deinde vero in seipsam vertit.

55. *Speciosa quæro pascere tigres.*) A feris cito devorari exoptans, unde & formosa illis cupit objici: forte & pœnas luere vult eam, quæ culpæ & turpi commisso ansam præbuerat, formam & pulcritudinem. Porro tigres ac leones memorat, quales omnino belluas Creta non habet aut nutrit: verum attonitæ idque citra notam ignoranti virgini non est indecorum.

57. *Pater urget absens.*) Conscia mens exprobrantem scelus patrem flagitiosæ mihi exhibet durum perinde ac justum vindicem: eaque me imago urget & torquet.

58. *Potes hac ab orno, &c.*) Vitam infamem potes finire laqueo & suspendio, vel præcipitio seu in mare seu in scopulos acutos.

63. *Nisi herile mavis carpere pensum.*) Nisi mavis servire, & lanam in fila ducere ab hera certo pondere traditam ad opus diurnum, tu regio sanguine prognata: nimirum Agenoris Phœnicum Regis filia: quæ mater fuit Minois ac Rhadamanti.

65. *Pellex.*) Mariti concubina.

*Aderat querenti perfidum ridens Venus.*) Dum in has querelas erumperet Europa, prope stans Venus ridebat virginem dolis quidem deceptam suis ac filii Cupidinis, qui cum sat vulnerum intulisset, arcum remiserat.

Digitized by Google

Mox ubi lusit satis, Abstineto
(Dixit) irarum, calidæque rixæ;
Cum tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis esse nescis?
Mitte singultus: bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus orbis
Nomina ducet.

INTERPRETATIO.

*Postquam vero satis ludificata est, ait: modum pone furori & ardenti jurgio, quando tibi juvencus odiosus cornua dabit frangenda. Ignoras te esse conjugem supremi Jovis? Omitte querimonias. Disce altam sortem sustinere, ut decet; divisus mundus tuam feret appellationem.*

ANNOTATIONES.

69. *Abstineto dixit irarum, &c.*) Tota hæc strophe ironiam complectitur salsissimam.

73. *Uxor invicti Jovis esse nescis?*) Apud Moschum ante cit. Jupiter ipse se Europæ qualis sit aperit, & consolationem adhibet, quamvis in tauro latens.

74. *Bene ferre magnam disce fortunam.*) Vel, tolerare gravem animi dolorem; vel regiam fortunam sustinere ac tueri. Nam scribunt quidam Jovem (alii dicunt, Xanthum) Cretæ Regem nave cui taurus appellatio & insigne fuit, Europam rapuisse, atque ex Phœnicia in Cretam abductam uxoris loco habuisse. Alii paulo aliter, a Cretensi Rege nomine Tauro, illatis in Phœniciam armis victorem Europam Regis filiam cum aliis puellis captivam esse transportatam. Vide Euseb. &c. Cœl. Rhodig. lib. 16. cap. 17. apud Lycophronem, inquit, tauros qui rapuit Europam, non aliud quam ταυρόμορφον τύπωμα, id est, tauri formâ præsigne navigium.

75. *Tua sectus orbis nomina ducet.*) Orbis in duas vel tres divisi portiones, (nam olim alii aliter senserunt) una pars de tuo nomine appellabitur Europa. Ea vulgata opinione. Nam alioquin Herod. lib. 4. scribit, *nemini mortalium constare unde Europa nomen adepta sit, nisi dicatur ab Europa Tyria (alias Syria) nomen accepisse regionem antea nomine carentem; illam porro ex Asia certe fuisse, in hanc vero minime commeasse terram, quæ nunc a Græcis vocatur Europa, sed a Phœnice tantum in Cretam, & a Creta in Africam.* Apud Moschum antea cit. Idyll. initio, refertur, dum adhuc virgo in Phœnicia versaretur Europa, in somnis sibi videre visa terras duas, Asiam, & alteram ei oppositam de se contendentes: muliebri formâ erant; harum altera peregrino vultu & habitu; altera similis erat indigenæ, atque ut filiam magis vindicabat, quod eam genuisset ac nutrivisset: verum altera validis contendens manibus trahebat non invitam, quod ea sibi fato destinata esset, &c.

*Sectus orbis.*) Fama fuit orbem quondam totum continentem exstitisse; at irrumpente subinde ad Herculis columnas Oceano sectum ac divisum: & hinc mare Mediterraneum esse. Plin. lib. 2. cap. 90. *Oceanus in totum abstulit terras. Primum omnium ubi Atlanticum mare est, si Platoni credimus: immenso spatio.* Et lib. 3. Proœm. *Africa Abyla, Calpe Europa claustra, laborum Herculis metæ. Quam ob causam columnas ejus Dei vocant indigenæ: creduntque perfossas exclusa antea admisisse maria, & rerum naturæ mutasse faciem.* Et cap. 1. rursum. *Oceanus*, inquit, *hoc quod dictum est spatio Atlanticum mare infundens, & avido meatu terras, quæcumque venientem expavere, demergens: resistentes quoque flexuoso litorum anfractu lambit, Europam vel maxime recessibus crebris excavans.*

*AD LYDEN.*

# ODE XXVIII.

*Diem Neptuno sacrum hilariter esse transigendum.*

Festo quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum,

INTERPRETATIO.

*Quid melius agam die Neptuno sacrâ? Profer,*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Festo quid potius die, &c.*) Quid aptius & convenientius diei festivo, quam genio indulgere?

2. *Neptuni.*) Hujus festum agebatur Romæ die Julii vigesima tertia. Meminit Plin. lib. 18. c. 33. Athenis autem dies octava cujuslibet mensis erat Neptuno sacra. Alex. ab Alex. l. 3. c. 18.

*Reconditum.*) Ideoque pretiosum & optimum.

Digitized by Google

Lyde strenua, Cæcubum,
Munitæque adhibe vim sapientiæ.
Inclinare meridiem
Sentis; ac veluti stet volucris dies,
Parcis deripere horreo
Cessantem Bibuli Consulis amphoram.
Nos cantabimus invicem
Neptunum, & virides Nereidum comas.
Tu curvâ recines lyrâ
Latonam, & celeris spicula Cynthiæ:
Summo carmine, quæ Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas, & Paphon
Junctis visit oloribus:
Dicetur meritâ nox quoque næniâ.

## INTERPRETATIO.

*Lide cita, Cæcubum remotum, atque severitati affirmatæ vim infer. Vides mediam diem recedere, & tamen cunctaris detrahere ex apotheca inutilem cadum Bibulo Consule* conditum; *quasi consistat tempus fugax*. Age, *alternis canemus Neptunum, & cæruleos Nereidum capillos. Tu cithatâ incurvâ sæpius cantabis Latonam, atque tela Dianæ velocis. Ultimo cantu* dicetur Venus, *quæ Cnidum obtinet & Cycladas emicantes, atque junctis cygnis adit Paphum. Nox etiam canetur apto carmine.*

## ANNOTATIONES.

3. *Lyde.*) Eadem forte quæ supra Od. 11. Stroph. 7. ibi quidem *obstinata*, hic vero facilis & amica.

*Cæcubum.*) Vinum eximium, de quo lib. 1. Ode 20. v. 9.

4. *Munitæque adhibe vim sapientiæ.*) Animo a natura serio & a nugis voluptatibusque alieno vim adhibe; remitte aliquid de tua indole severiori: mecum vaca hilaritati, vino, jocis.

5. *Inclinare meridiem sentis.*) Vide Solem jam descendere, & peracto medio cursu vergere ad occasum. Dies jam media abiit: cœnæ hora carpenda est.

7. *Horreo.*) Græce ἀπῶον. Ita vocatur locus rebus condendis & servandis idoneus. In superioribus apothecis condi solere vasa vinaria, jam dixi Od. 8. & 21. hujus libri.

8. *Cessantem amphoram.*) Satis veterem.

*Bibuli Consulis.*) Sub consulatu Bibuli ann. U. C. 694. in horreo conditam: quo quidem tempore Horatius puerulus erat. Vinum igitur illud debebat esse maturum. Jam notavi nec semel veteres consuevisse ætatem vini designare nomine Consulis tunc Rempublicam administrantis. Sunt qui Horatium velint hic jocari, ac per vocem *cessantem*, alludere ad Bibulum cum Julio Cæsare Consulem, nihil vero Consulis agentem; quemadmodum narrat Suetonius Jul. c. 20. vide locum, & in eam rem Epigramma ibi relatum.

10. *Neptunum.*) Quandoquidem ejus festo epulabimur, hunc sane celebrare æquum fuerit, Deum maris, marinasque Nymphas pariter. *Nereides*, Nerei filias. Harum nomina recenset ad triginta tria Homerus Iliad. Σ. non longe ab initio.

*Virides Nereidum comas.*) Ob maris colorem.

11. *Tu curvâ recines lyrâ, &c.*) Tu, Lyde, cantabis Deas partui præsidentes.

*Curvâ lyrâ.*) Vide lib. 1. Od. 10.

12. *Latonam.*) Dianæ & Apollinis matrem.

*Celeris spicula Cynthiæ.*) Celebrabis Dianam venatricem; spiculis feras configentem, & celeri cursu assequentem: quæ a Cyntho Deli insulæ monte, *Cynthia* dicta est. Lib. 1. Od. 21.

13. *Cnidon.*) Cariæ urbem, de qua lib. 1. Od. 30.

14. *Cycladas.*) Ægæi maris insulas, in orbem dispositas; unde nomen. Vide l. 1. Od. 14. v. ult.

*Paphon.*) De ea orbe Cypri clarissima lib. 1. Od. 30.

15. *Junctis oloribus.*) Trahere currum Veneris dicuntur aliquando Cycni; sic lib. 4. Od. 1. *purpureis ales oloribus:* alias columbæ: Propert. lib. 3. Eleg. 3. v. 31. & Apul. Metamorph. lib. 6. paulo post initium: interdum passeres. Ita Sappho, καλοὶ δὲ σ' ἄγον στρουθοί.

16. *Dicetur meritâ nox quoque næniâ.*) Nox etiam cantabitur *merita nænia*: vel quod in ea epulis, lætitiæ, voluptati operam dabimus; vel quod carmen erit lugubre, nocti tenebrosæ ac tristi idoneum. De *nænia* lib. 2. Od. 1.

AD

Digitized by Google

## AD MÆCENATEM.

## ODE XXIX.

*Invitat eum ad frugalem cœnam; & opum contemptum laudat.*

Tyrrhena Regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado
Cum flore, Mœcenas, rosarum, &
Pressa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me est. Eripe te moræ,
Non semper udum Tibur, & Esulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ.
Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis.
Omitte mirari beatæ
Fumum & opes strepitumque Romæ.

### INTERPRETATIO.

*O Mæcenas, proles Hetruscæ Regum, jampridem apud me tibi est dulce vinum in amphora nondum hactenus inversa, cum floribus rosarum, & balanus expressa tuis crinibus. Subtrahe te cunctationi: ne continuo spectes humidum Tibur, & pronos agros Esulæ, collesque Telegoni parricidæ. Relinque abundantiam fastidium afferentem, & ædes excelsas nubibus proximas. Intermitte admirari fumum, & potentiam, tumultusque Romæ felicis.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Tyrrhena Regum progenies.*) Inter eximias Poetæ nostri Odas hanc censebis, Lector, seu versus ac Poesin, seu res & materiam perpendas. Dictio grandis: Stoicæ mentis ac disciplinæ explicatio gravis. Tuum, Lector, ingenium, tua sagacitas tibi cætera non sine voluptate loquetur.

*Tyrrhena Regum progenies.*) Ab Hetruscis Regibus oriunde. Vide l. 1. Od. 1. & 10. ibique annotat.

2. *Non ante verso lene merum cado.*) Plenus vini cadus nec delibatus, nec resignatus, necdum suo loco motus.

3. *Cum flore rosarum.*) Serta & corollas e floribus, ad convivia semper adhibuisse veteres, fuse dixi lib. 1. Od. ult. & alibi.

4. *Pressa tuis balanus capillis.*) Et unguenta pertinuisse ad hilaritatem pompamque convivii notum est ex dictis ibid.

*Balanus.*) Myrobalanum; unguentum balaninum e glande unguentaria, non absimili nucis avellanæ, quam ferebat quædam arbuscula. Glans Latinis, *βαλανος* Græcis. Vide Plin. lib. 12. cap. 21. lib. 13. cap. 1. & 4. & alibi. Pers. Sat. 4. v. 37. *balanatum Gausape* nuncupat balano delibutum capillitium.

5. *Apud me est tibi.*) Tibi pridem destinata atque reservata.

*Eripe te moræ.*) Excute quælibet impedimenta; nihilque te remoretur, quominus apud me cœnatum venias.

6. *Ne semper udum, &c.*) Relinque tantisper ædes tuas excelsas, e quibus prospicis Tibur, Esulam, &c.

*Udum Tibur.*) Aquis abundans. Vide lib. 1. Od. 7. & 18. & lib. 2. Od. 6. init.

*Esula declive, &c.*) Vicinum Tiburi oppidum in declivi seu latere montis ædificatum.

8. *Telegoni juga parricidæ.*) Tusculum Latii urbem duodecim millibus passuum a Roma distantem, a Telegono Ulyssis e Circe filio, qui patrem imprudens occidit, conditam ad radices montis, ita tamen ut in ejus jugo amplissima eminerent ædificia: vulgo *Frascati*. Ibidem etiamnum extant magnificæ Procerum Villæ Romanorum, & palatia bene multa.

9. *Fastidiosa desere copiam.*) Ad modicum tempus desere rerum omnium copiam, quam domi habes. Abundantia satietatem parit, hæc autem fastidium generat.

10. *Molem propinquam nubibus arduis.*) Vel sublimes ædes, vel turrim, quam habebat Mæcenas in Esquilino monte, e qua Nero spectasse dicitur incendium urbis. Sueton. Neron. c. 38. *Incendium e turri Mæcenatiana prospectans, lætus flammæ, ut ajebat, pulcritudine.*

12. *Fumum.*) Auram popularem, ambitionem, honores, vanam gloriam.

Digitized by Google

Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo sub lare pauperum
Cœnæ, sine aulæis & ostro,
Sollicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedes pater
Ostendit ignem: jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Jam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quærit, & horridi
Dumeta Silvani: caretque
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu civitatem quis deceat status,
Curas; & urbi sollicitus times,
Quid Seres & regnata Cyro

## INTERPRETATIO.

*Non raro jucunda opulentis varietas, & nitida cœnæ in exigua domo pauperum, absque tapetibus & purpura, vultum anxium porrexerunt. Jam lucidus parens Andromedæ promit ardorem absconditum. Jam sævit Anticanis, ac sidus Leonis furiosi, Sole reducente dies aridos. Nunc pastor æstu fatigatus cum grege languente petit umbras, & amnes, atque densa nemora Silvani hirsuti: & litus silens nec leves habet auras. Tu laboras quis urbi status conveniat, ac metuis anxius quid adversus Rempublicam moliantur Seres, & Bactriani Cyro subjecti, atque*

## ANNOTATIONES.

13. *Plerumque gratæ divitibus vices.*) Natura diverso gaudet.

14. *Mundæque cœnæ.*) Paratum non ampliter sed munditer convivium; ut habet Comicus.

16. *Sollicitam explicuere frontem.*) Frontem scilicet mœstitia in rugas contrahit, hilaritas vero solvit & explicat.

17. *Jam clarus occultum, &c.*) Æstivos ardores adducit ac notat sidus Cephei, quod oritur 7. Id. Jul. ex Columell. lib. 11. Cepheus Æthiopum Rex inter sidera relatus cum Cassiope uxore, Andromede filia, & Perseo ejus liberatore ac sponso.

*Occultum ignem.*) Tum quod Cephei sidus pone minorem Ursam collocatum est: tum quia circulo Arctico magna ex parte obtegitur: Hygin. lib. 2. Apollodor. Arat. &c. vel potius, quod ante non apparebat, jamque ortum ostendit se.

18. *Procyon.*) Latine Anticanis, sidus quod ante Caniculam oritur, Idibus Julii. Columell. &c. ex Arato, Cicer. de Nat. Deor. 2.

*Geminis est ille sub ipsis*
*Anticanis Graio Procyon qui nomine fertur.*

19. *Stella vesani Leonis.*) Quintum est hoc Zodiaci signum, quod aggrediente Sole, incipit sævire Canicula *insana* dicta Persio Sat. 3. v. 5. forte & alludit Horatius ad stellam quæ in pectore Leonis oritur 9. Cal. Augusti. Columell. &c.

20. *Sole dies referente siccos.*) Scaliger offensus epitheto, *siccos*, in fine versûs, mallet: *Sole graves referente luces.* Age vir gravis; Æstivos dies & calores Poeta vult indicare: at hyemis graves perinde luces ac æstatis. O hypercritici conatus ingenii.

21. *Jam pastor umbras, &c.*) Priori strophe anni tempestatem æstivam; hac autem diei horam ferventissimam designat, nempe meridiem, quo solebant pastores & greges *umbras & frigora captare.* Virgil. Eclog. 2.

23. *Dumeta.*) Silvas sua densitate umbram & frigus suppeditantes.

*Silvani.*) Dei silvarum.

*Horridi.*) Caprinis pedibus, cornuto capite, corpore hirto & villoso. Vide supra Od. 18. v. 1. ibique annot.

*Caretque ripa vagis taciturna ventis.*) Nulla est aura, ne levis quidem spirat ventus ad ripas fluminum.

25. *Tu civitatem quis deceat status, &c.*) Dum quiescunt omnia, tu etiam laboras de statu Reipublicæ constabiliendo. Atqui otium carpe tantillum, o Mœcenas, urbis Præfecte. De hac Mœcenatis Præfectura Dio lib. 49. & 55. Vide & Vell. Paterc. lib. 2. Senec. Epist. 94. Cornel. Tacit. Annal. 6. Supra Noster Od. 8. v. 17.

*Mitte civiles super urbe curas.*

27. *Seres.*) Asiæ populi ultra Sinas, a Sera urbe dicti. Regio illorum Serica hodie *Catay*, serico opere inclyta. Vide lib. 1. Od. 12. sub fine.

Bactra parent, Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
Caliginosâ nocte premit Deus:
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere æquus. Cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etruscum
In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, & pecus, & domos
Volventis unà, non sine montium
Clamore, vicinæque silvæ,
Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes. Ille potens sui
Lætusque deget, cui licet in diem

## INTERPRETATIO.

*Tanais seditiosus. Dii sapientes obscuris tenebris involvunt ventori ævi sortem: deridentque si homo plus quam decet angatur. Satage bene moderari præsentia. Reliqua dilabuntur instar fluvii* Tiberis, *modo intra ripas quiete defluentis intra mare Thuscum, modo saxa corrosa evulsasque stirpes, & greges, atque ædificia simul abripientis, haud absque sonitu montium & silvæ proximæ; quando immanis eluvio sollicitat fluvios tranquillos. Is compos sui est vivetque hilaris, qui diebus singulis*

## ANNOTATIONES.

*Regnata Cyre Bactra.* ) Hæc urbs primaria Bactrianæ, regionis Asiæ, inter Parthiam ad Occasum & Indiam ad Ortum, Oxo flumine alluitur: pars olim erat Imperii Persarum.

*Cyro.* ) Hic filios Cambysis, Persarum ac Medorum, subindeque totius Orientis Rex, profanis imo & sacris literis celebratus, a Tomyri Scytharum Regina cum suo exercitu contrucidatus. Vide Justin. lib. 1. &c. Paralipomen. Esdr. Daniel. maxime vero Isaiæ cap. 45. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa Regum vertam ... Ego ante te ibo, . . . . Dabo tibi thesauros absconditos & arcana secretorum, ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel . . . accinxi te, & non cognovisti me, &c.*

28. *Tanaisque discors.* ) Populi ad Tanaim quietis impatientes, ad bellum proclives, inter se frequentius dimicantes, Parthi, Scythæ, Sarmatæ. De illo flumine Asiam ab Europa disterminante jam dixi. Vid. Od. 4. hujus lib. stroph. 9.

29. *Prudens futuri temporis, &c.* ) Sapienter Dii hominibus cognita esse futura noluerunt, sive ne malis ante tempus torquerentur; sive ut incertâ rerum exspectatione penduli ad ipsos recurrere ac vereri moneantur.

31. *Ridetque, si mortalis ultra fas trepidat.* ) Lib. 2. Od. 16.

*Lætus in præsens animus quod ultra est*
*Oderit curare.*

32. *Quod adest memento componere æquus.* ) Præsentibus utere prudenter, recte, juste:

33. *Cætera fluminis ritu feruntur.* ) Futurum tempus fluit, & sensim elabitur, rebus modo pacatis, modo turbidis.

36. *Nunc lapides adesos, stirpesque, &c.* ) Exundans rapit omnia, cursu rapidiori lapides arrodit & excavat, arbores exstirpat, &c. Vide Homer. Il. λ. Lucret. lib. 1.

*Fragmina dejiciens silvarum, arbustaque tota,*
*Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis*
*Grandia saxa, &c.*

Virgil. Æneid. 2.

*Rapidus montano flumine torrens*
*Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores:*
*Præcipitesque trahit silvas: stupet inscius alto*
*Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.*

40. *Cum fera diluvies quietos irritat amnes.* ) Amnes scilicet in Tiberim influentes, ipsumque augentes supra modum exundatione sua: illi sunt Tinia, hodie *Topino*, Nar, v. *Nera*, ex Apennino scaturientes? Anio v. *Teverone* flu. Sabinorum, Pelia flu. Hetruriæ, v. *Paglia*, Lege Plin. lib. 8. epist. 17. ubi de Tiberis frequentibus incrementis ita scribit. *Tiberis alveum excessit, & demissioribus ripis alte superfunditur, . . . . premit valles, innatat campis . . . Inde quæ solet flumina accipere & permista devehere, retro cogit, atque sic alienis aquis operit agros. Anio delicatissimus amnium: ideoque adjacentibus villis velut invitatus retentusque, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, & fregit & rapuit. Subruit montes, & decidentium mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quærit, impulit tecta, ac se super ruinas evenit atque extulit, &c.*



Digitized by Google

Dixisse, vixi: cras vel atrâ
Nube polum pater occupato,
Vel Sole puro: non tamen irritum
Quodcumque retro est, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, & meâ
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.
Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, & votis pacisci,
Ne Cypriæ Tyriæque merces

## INTERPRETATIO.

*dicere potest, vixi: crastinâ die Jupiter cælo producat vel obscura nubila vel serenam diem; at nequaquam rescindet quicquid actum est, neque mutabit ac destruet quod semel attulit fluxum tempus. Fors gaudens rebus adversis, & obstinata ludere ludum petulantem, subvertit dignitates caducas, jam mihi, mox alteri propitia. Laudo stantem: quod si leves alas movet, reddo quæ donavit; ac meâ me virtute protego; atque honestam paupertatem indotatam peto. Si navis gemat Africis tempestatibus, non ad me attinet confugere ad vota luctuosa, & precibus obtinere ne Cypriæ vel Tyriæ*

## ANNOTATIONES.

43. *Vixi.* ) Vox contemnentis mortem, inquit discerta non mora, Marcilius: sic Æneid. 4.

*Vixi: & quem dederat cursum natura peregi.* Posset etiam jungi cum vocibus præcedentibus *in diem*, eo sensu: is beatus semperque *lætus degit*, qui in diem vixerit, id est, qui præsenti tempore, hodiernoque die utetur, futuri & crastini minime anxius. *Sufficit diei malitia sua*, inquit Christus in Evangelio.

49. *Fortuna sævo læta negotio, &c.* ) Vid. l. 1. Od. 34. in fine. Juvenal. Sat. 3. v. 39.

*Quales ex humili magna ad fastigia rerum*
*Extollit, quoties voluit fortuna jocari.*

Et Sat. 7. v. 604.

*Stat fortuna improba, &c.*
*Secretumque sibi minimum parat, &c.*

53. *Laudo manentem.* ) Quamdiu stat & manet mecum fortuna, laudo: quod si recedat & aufugiet, minime indignor. Illâ instabili, firmus ego meâ virtute haud moveor; meâ tranquillitate non dejicior. Testibus oculis, exstant etiamnum Commodi Imperatoris (non autem Adriani, ut scripsit non nemo) nummismata ænea & argentea, quorum pars altera effigiem habet Fortunæ sedentis, dextrâ fugitivi frænum equi, lævâ copiæ cornu tenentis; cum hac epigraphe:

FORTUNÆ MANENTI.

Servantur in cimeliarchio Ludovici Magni.

55. *Probamque pauperiem sine dote quæro.* ) Vulgatum erat de bona conjuge inter probos effatum: satis dotata: si bene morata: sic Horatius paupertatem ait se expetere velut felicis vitæ ducem; sibique videri satis dotatam, utpote probam. Vide supra Oden 16. a medio ad finem.

57. *Non est meum si mugiat, &c.* ) Qui opes avide quærunt, ac paupertatem velut summum fugiunt malum, ii medio mari & naufragii discrimine cum Diis paciscantur, ne suæ pereant merces: at ego tametsi talibus in angustiis fuero, nec opum jacturam timebo, nec precibus redimere satagam: atque divitiarum neglectu, paupertatisque honestæ amplexu tutus ero ac lætus. Vide hujus libri Od. 3. init.

*Si mugiat Africis malus procellis.* ) Si navis malus vel quassatus vel excussus fuerit seu Africo vento, seu fluctibus maris Africam alluentis.

59. *Votis pacisci, ne Cypria Tyriaque merces, &c.* ) Diis vota nuncupare & dona polliceri, si salvas præstent merces, impediantque naufragium. Plin. lib. 8. cap. 16. *tunc præcipuus votorum locus est, cum spei nullus est.*

Pers. Sat. 2. v. 3.

*Non tu prece poscis emaci, &c.*

60. *Cypriæ Tyriæque merces.* ) Emporia scilicet erant orbe toto celeberrima, *Cyprus* insula ma-

Digitized by Google

Addant avaro divitias mari.
Tunc me biremis præsidio scaphæ
Tutum per Ægæos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.

INTERPRETATIO.

*merces mari avido spes adjungant. Tum etiam me securum vectas levis ac geminus Pollux per fluctus Ægæos vehet ope naviculæ duos remos habentis.*

ANNOTATIONES.

maris Mediterranei, de qua lib. 1. Od. 3: & *Tyrus* Syriæ urbs maritima, porto commoda, olim quidem probe monita & dives, claritate & magnitudine urbium Phœniciæ præstantissima; nunc in ruinis fere jacet, & paucos habet incolas. Insula pridem erat freto quatuor stadiorum divisa; ab Alexandro Magno continenti juncta est. Quint. Curt. lib. 4. Hujus populi navigarunt primi, ex Tibullo lib. 1. Eleg. 8.

*Prima ratem ventis credere docta Tyrus.*
Idem scribit Pompon. Mela.

62. *Tunc me biremis, &c.*) Tum ego fracta navi, perditisque omnibus, biremi tantummodo scaphâ vectus, nihilominus pacata mente constabo, perinde ac si Castor & Pollux duces affulgeant.

63. *Ægæos tumultus.*) Lib. 2. Od. 16. vers. 2.

64. *Geminusque Pollux.*) Separati dicuntur nocere fratres illi gemini: ambo vero simul propitia sunt & *lucida sidera*. Vide lib. 1. Od. 3. v. 2. & Od. 12. v. 25. Sunt qui allegorias hic comminiscantur, putentque Horatium alludere ad id, quod sibi contigerat: adeoque per *Ægæos tumultus* significare bella civilia, e quibus evaserat *biremi scaphâ*, id est, virtute & innocentiâ subnixus, aspirante *aura* & favore *gemini* sideris, Mæcenatis nimirum & Augusti.

---

# ODE XXX.

*Carminum suorum gloriam æternam fore.*

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius:

INTERPRETATIO.

*Absolvi opus ære stabilius, atque pyramidum constructione sublimius;*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 1. Lib. 1.

1. *Exegi monumentum, &c.*) Carminum volumen ingenii sui monumentum perenne jactat, quo posteritati æternæque memoriæ commendetur. Vide lib. 2. Oden ultimam: hanc cum illa confer, & eumdem utriusque scopum, eamdemque sententiam varia dictione tantum distractam animadverte. Sanctus Hieronymus Epitaphium Paulæ sic concludit: *exegi monumentum ære perennius: quod nulla destruere possit vetustas, &c.*

*Monumentum ære perennius.*) Ita durant monumenta literarum plus quam æreæ statuæ ad memoriam collocatæ. Nam Mariana de Cimbris trophæa potuit quidem abolere Sylla: Maronis autem & Livii scripta, quantumvis nixus sit, Cajus Princeps absumere ac delere non valuit.

2. *Regalique situ pyramidum altius.*) Ægyptiorum Regum opus & sepulcra fuere pyramides; quarum nonnullæ inter orbis miracula numeratæ. *Tres orbem terrarum implevere famâ: Regum Ægyptiorum pecunia otiosa stultaque ostentatio*, inquit Plin. lib. 36. cap. 12. prope Memphim erant sitæ, unde Martial. Epigr. 1.

*Barbara pyramidum sileat miracula Memphis.*
Herodot. lib. 2. eas describit accurate. Unam ait quinque stadiis longam, decem annis elaboratam; in alia vero annos viginti absumptos, &c. Ammian. Marcell. lib. 22. *pyramides ad miracula septem provectæ, quarum diuturnas surgendi difficultates scriptor Herodotus docet, ultra omnem omnium altitudinem, quæ humanis confici potest: erectæ sunt turres, ab imo latissimæ, in summitates acutissimas desinentes: quæ figura apud Geometras ideo sic appellatur, quod ad ignis speciem, τοῦ πυρὸς, ut nos dicimus, extenuatur in conum: quarum magnitudo quoniam in celsitudinem nimiam scandens gracilescit paulatim: umbras quoque mechanicâ ratione consumit.* Vide Strabonem lib. 17. & Diodor. Sicul. lib. 1. cap. 2. Hic pyramidem ait maximam a Chemmi Rege extructam artificio & opere mirabili, quæ quatuor

erat

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. Usque ego posterâ
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus,
Et qua pauper aquæ Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens

INTERPRETATIO.

*quod neque pluvia corrumpens, nec Boreas violentus destruere queat, vel temporum lapsus & longinquitas. Haud totus interibo: & portio mei plurima mortem effugiet. Ego semper novus posterorum laudationi augebor, quamdiu summus Sacerdos ascendet Capitolium cum silenti virgine.. Ubicumque rapidus Aufidus murmurat, vel Daunus aquarum egeni rusticis gentibus dominatus sit; ego clarus e senul memorabor*

ANNOTATIONES.

*erat laterum, quorum quodlibet, ab inferiori parte jugera septem continebat. Altitudo amplius quam jugera sex tolleret ... ferme annis mille, ut referunt quidàm; ut alii tradunt, amplius tribus millibus quadriagentis, ad nos usque ea moles integra permansit: in Arabia longe admodum itinere advectis lapidibus constructa.* Istam se vidisse adhuc stantem anno 1638. in suæ peregrinationis narratione, testatur Joannes Greaves Astronomiæ Professor Anglus; eamque tam interiorem quam exteriorem egregie describit qualem inspexit ac dimensus est, vix paululum deformatam; eltamque dicit pedes fere septingentos; & convenientem Diodori mensuram seu metiendi rationem asserit, &c.

3. *Quod non imber edax, &c.* ) Imitatio est Pindericæ dictionis, Pyth. Od. 6. ubi Xenocrati paratus dicitur laudum thesaurus, quem diruere seu auferre nequeat vel hybernus imber, aut ventus, aut horrisonæ tempestatis exercitus implacabilis.

6. *Non omnis moriar, &c.* ) Non tam animæ, quam sui nominis immortalitati & memoriæ vaticinatur Poeta noster.

7. *Vitabit Libitinam.* ) Superstes erit, æternum durabit. Libitina feretrum significat. Est etiam funerum Dea, in cujus æde vendebantur & locabantur quæcumque ad sepulturam pertinebant. A *libendo* dicta, ex Varrone: eadem quæ Proserpina nec etiam alia quam Venus antiquis existimata, ut eadem natalibus & morti Dea præsideret, atque principium finemque vitæ in potestate haberet: quo fragilitatis humanæ mortalium quisque admoneretur. Auctor Plutarchus in Numa & in Probl. Vide & Cœl. Rhodig. lib. 29. c. 28.

*Usque ego posterâ crescam laude recens.* ) Novis in dies laudibus cumulabor e posteris: sicque velut innovata mei memoria semper inclarescet, concidet nunquam aut senescet.

8. *Dum Capitolium scandet, &c.* ) Dum sacra Romæ fient in Capitolio, ac proinde quandiu stabit urbs illa æterna. Virgil. Æneid. 9. v. 448.

*Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum*
*Accolet, Imperiumque pater Romanus habebit.*

9. *Cum tacita virgine.* ) Quandiu & Vestales rite silentium observantes operabuntur sacris, æternumque ignem fovebunt. Quibus omnibus temporis diuturnitatem ac perpetuitatem indicat Horatius, quam sibi suoque spondet nomini. Comminiscuntur hic nonnulli Nympham illam, quam Numa colendam, Tacitamque appellandam sanxerat, teste Plutarcho; alii Idulia sacra efferunt, ad quæ singulis mensibus in Capitolinos procedebat Pontifex. Sed quid hæc ad rem? Sane quælibet sacra intelligi par est, in Capitolio peragi consueta; nec præ cæteris Angeronalia, quæ obtrudit Marcilius Angeronæ, silentii Deæ urbis etiam inter tutelaria numina, ex Macrob. lib. 3. cap. 9.

10. *Qua violens obstrepit Aufidus, &c.* ) In Apulia, sua nempe patria, maxime cupit celebrari Horatius. Est enim *Aufidus* Apuliæ amnis, hodie dicitur *Ofanto*, ex Apennino defluit in Adriaticum mare.

11. *Daunus.* ) Et hic Turni avus regnavit in Apulia, quæ & ab eo Daunia vocata est. Fuit etiam fluvius eo nomine appellatus.

*Pauper aquæ.* ) In Apulia nimirum fervet æstus & calor, hincque est arida valde regio, ac penuriâ aquæ laborat: unde *siticulosam Apuliam* vocat noster Epod. 3. Vide lib. 1. Od. 14.

12. *Regnavit populorum.* ) Phrasis Græce *ἐβασίλευσε τῶν λαῶν.* Legunt alii, ex Manuscriptis plerisque codicibus, *regnator populorum*. Quod referendum erit ad vocem *Daunus*.

*Ex humili potens.* ) Libertini scilicet generis Horatius, ex humili fortuna in summam famæ claritatem & nominis amplitudinem evasit, per ingenii opes ac *benignam venam*, de qua lib. 2. Od. 18.

Digitized by Google

Princeps, Æolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quæsitam meritis, & mihi Delphicâ
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

## INTERPRETATIO.

*Alcaicos versus primus transtulisse ad Latinum carmen. Age Melpomene, partam virtutibus magnitudinem assume: capillesque meos circumda ultro laureâ Delphicâ.*

## ANNOTATIONES.

13. *Princeps, Æolium carmen ad Italos deduxisse modos.*) Vel inde nominabor passim, quod primus Alcaicos versus Latina scripserim ad imitationem Alcæi e Lesbo insula, in qua regnavit Æolus. Vida lib. 2. Od. 13.

14. *Sume superbiam, &c.*) Suam alloquitur Musam Poeta: at semetipsum ostentat. Grandes assume spiritus, inquit; ostenda tuam nobilitatem: mihiqua texe & impona coronam a lauro sacrâ Apollini, qui culitur editque uracula apud Delphos urbem Achaiæ, ad Parnassum montem.

QUIN-

Digitized by Google

*****************************

# QUINTI
# HORATII FLACCI
# CARMINUM

## LIBER IV.

### AD VENEREM.

### ODE I.

*Ætate suâ se jam rebus Venereis haud esse idoneum.*

Intermissa Venus diu,
Rursus bella moves. Parce precor, precor.
Non sum qualis eram bonæ
Sub regno Cynaræ. Desine dulcium
Mater sæva cupidinum,

INTERPRETATIO.

*Interrupta dudum Venus, iterum prælia indicis. Abstine, oro obtestorque. Non sum qui eram sub dominio benignæ Cynaræ. Crudelis parens amorum suavium, parce me intractabilem subjicere*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Intermissa.*) Suetonius in vita Horatii ita scribit: *scripta quidem ejus usque adeo probavit, mansuraque perpetuo credit Augustus, ut non modo seculare carmen componendum injunxerit, sed & Vindelicum victoriam Tiberii Drusique privignorum, eumque coegerit propter hoc tribus carminum libris ex longo intervallo quartum addere.* In hoc tamen libro quarto nonnullæ sunt Odæ quas constat esse factas ante quasdam prioribus libris contentas: v. g. 12. hujus libri ante tertiam l. 1. intelligendos forte est Suetonius de editu in lucem potius quam de conscripto post alios tres quarto hoc libro.

2. *Parce precor.*) Per ætatem se excusat: abiisse juveniles nimisum ludos & artes, quibus pollebat dum amabat Cynaram meretricem speciosam in primis & ab ea diligebatur maxime. Illam vocat *protervam* lib. 1. Epist. 7. *rapacem* Epist. 14. Hic appellat *bonam*, vel significans formâ egregiam & perfectam; vel quia immunis ei placuerat, ut scribit ipse citato loco, id est, sine ullis præmiorum spe, cæterisque amatoribus antepositus fuerat.

5. *Mater sæva cupidinum.*) Hunc versiculum jam posuit lib. 1. Od. 19. Vide ibi annot.

Digitized by Google

Circa lustra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis. Abi
Quo blandæ juvenum te revocant preces.
Tempestivius in domo
Pauli, purpureis ales oloribus,
Comessabere Maximi,
Si torrere jecur quæris idoneum.
Namque & nobilis, & decens,
Et pro sollicitis non tacitus reis,
Et centum puer artium,
Late signa feret militiæ tuæ.
Et, quandoque potentior
Largis muneribus riserit æmuli;
Albanos prope, te, lacus
Ponet marmoream sub trabe citrea.

## INTERPRETATIO.

*dulcibus imperiis, circa decem lustra. Ite quo invitant te vota adolescentium amore plena. Opportunius lascivire in ædibus Pauli Maximi; illuc i velox cycnis purpureis, si cupis aptum hepar inflammare. Is enim juvenis & nobilis, & pulcher & pro reis anxiis haud mutus, ac multiplici industria* præditus, *longe portabit vexilla tuæ militiæ. Et cum rivalis donis amplis superbi victor gaudebis, prope lacus Albanos te e marmore effictam locabit sub trabe e citro.*

## ANNOTATIONES.

6. *Circa lustra decem.*) De lustro annot. lib. 2. Od. 4. in fine. Est spatium quinque annorum: hinc annum ætatis suæ quinquagesimum notat poeta. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 27. Just. Lips. Elect. lib. 1. cap. 27.

10. *Pauli Maximi.*) Paulus Fabius Maximus Consul Romæ fuit anno urbis conditæ 743. cum Julo Antonio, ad quem est inscripta sequens Ode. Vetus codex titulum quarto huic libro præfert: AD FABIUM MAXIMUM, Torrentio teste.

*Purpureis ales oloribus.*) Venus curru vecta ab oloribus tracto, atque alitis modo volans & celeriter decurrens. Vide lib. 3. Od. 28.

*Purpureis.*) Magna contentio de ista voce, cum cycni plane sint candidi, non purpurei. Vel, purpureus vocabatur omnis color valde nitens, qualis est cycnorum candor: unde & nix purpurea dicitur ab Albinovano. Vel, quod purpura etiam alba quædam erat. Plutarch. in Alexandro, refert Hermionicam purpuram annis ferme ducentis repositam suum adhuc colorem servasse: cujus hæc afferebatur ratio, quod rubræ tinctura melle, candidæ autem oleo albo confecta esset. Xenophon Pædiæ lib. 8. Cyro fuisse ait tunicam e purpura semi-albam vel albo distinctam: χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον. Forsitan & color purpureus attribuitur cycnis Venerem trahentibus, qui ipsius Veneris est; per hypallagen. Apud Anacreontem Ἀφροδίτη πορφυρῆ.

12. *Comessabere.*) Comessari proprie est post cœnam & epulas jocari, ludere, lascivire: quanquam & significat post cœnam luxuriose iterum epulari. Sueton. Vitell. cap. 13. *Epulas* quadrifariam dispertiebat, in jentacula, prandia, cœnas, comessationes.

12. *Jecur.*) In jecore sedes amoris ac libidinis. Vide lib. 1. Od. 13. & 25.

13. *Nobilis.*) Fabiæ gentis claritatem omnes fasti loquuntur: vel hoc fidem non modo facit, sed prope superat, quod plus trecenti ex eadem hac familia unâ die pro Republica ceciderint; cum sibi unis Veientium expugnationem demandari petiissent. Ovid. Fast. 2.

*Una dies Fabios ad bellum miserat omnes:*
*Ad bellum missos perdidit una dies.*

14. *Pro sollicitis non tacitus reis.*) In foro sese, ex laudabili nobilium adolescentium more, exercens agendis causis, defendendis reis, de bonis de vita periclitantibus adeoque sollicitis: diserte perorans, bonis artibus abunde instructus.

16. *Late signa feret militiæ tuæ.*) Ovid.

*Militiæ species amor est, . . . . . .*
*. . . . . . . . . sævique labores*
*Mollibus his castris & dolor omnis inest.*

17. *Et quandoque potentior, &c.*) Ille vero Paulus si quando per tuum, o Venus, favorem apud amicam plus valuerit, quam suus rivalis muneribus pugnans, tum eriget tibi statuam e marmore in æde constructâ e lignis pretiosis, *prope lacus Albanos*, ubi prædia ille habet.

19. *Lacus Albanos.*) Non procul erant urbe Româ civitas, mons, & lacus, Albani. Cic. de Divin. 1. v. 100. *Veienti bello cum lacus Albanus præter modum crevisset*, responsum est, dum is lacus redundaret, *et in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Veios. Inde admirabilis illa Albana aquæ facta deductio est.* Et de Divin. 2. v. 69. *ad utilitatem agri suburbani Albana aqua deducta est.*

20. *Sub trabe citrea.*) Duplex citrus arbor; altera humilis & fructifera: altera silvestris & infructuosa, sed grandis; e qua fiebant opera magni

Digitized by Google

Illic plurima naribus
  Duces thura: lyræque & Berecynthiæ
Delectabere tibiæ
  Mistis carminibus, non sine fistula.
Illic bis pueri die
  Numen cum teneris virginibus tuum
Laudantes, pede candido
  In morem Salium ter quatient humum.
Me nec fœmina, nec puer
  Jam, nec spes animi credula mutui,
Nec certare juvat mero,
  Nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur heu, Ligurine, cur
  Manat rara meas lacryma per genas?
Cur facunda parum decoro
  Inter verba cadit lingua silentio?
Nocturnis te ego somniis
  Jam captum teneo, jam volucrem sequor
Te per gramina Martii
  Campi, te per aquas, dure, volubiles.

## INTERPRETATIO.

*Ibi thus multum naso hauries, & recreaberis carminibus junctis cithara, & tibia Berecynthia & fistula. Ibi pueri cum puellis numen tuum bis in die collaudantes albis pedibus terram pulsabunt ter, ritu Saliorum. Modo me neque mulier, neque puer, neque facilis spes mutui amoris oblectat, nec vino contendere, neque floribus caput coronare. At quare, Ligurine, cheu quare per malas meas fluunt aliquot stillæ? quare lingua diserta in vocibus hæsitas silentio non decenti? Ego te nocte in somnis modo prehensum amplector, modo te per herbam campi Martii, te per undas fluentes, o crudelis, fugientem prosequor.*

## ANNOTATIONES.

gni pretii, lecti, mensæ trabes, &c. Vide Plin. lib. 33. c. 16. Pers. Sat. 1. v. 53. &c. Quidam legunt, *sub trabe Cypria*, quod multæ erant arbores faciendis operibus, navibus præsertim fabricandis, idoneæ, in Insula Cypro Veneri sacra, ut dictum est lib. 1. Od. 1. & 2.

21. *Illic plurima naribus duces thura.*) In eo templo quod tibi consecrabitur, thus plurimum incendetur tibi; hymnusque cantabitur musicis instrumentis Lib. 1. Od. 15. *copia narium*.

22. *Lyræque, &c.*) Lyra ab Apolline vel Mercurio, fistula a Pane, tibia a Marsya fertur inventa. In Berecyntho vero Phrygiæ monte matris Deûm sacra celebrabantur variis instrumentis, tibiâ præsertim, quæ inde cognomen habuit. Vide lib. 1. Od. 16. & 18. sub finem: & lib. 3. Od. 19. vers. 18. & seq.

25. *Bis die.*) Mane & vesperi tuas laudes canent *pueri cum teneris virginibus*. Vide l. 1. Od. 21. init.

28. *In morem Salium ter quatient humum.*) Choreas etiam in sacris adhibitas, annotavi tum alibi, tum lib. 1. Od. 36. ubi & de Saliis Martis Sacerdotibus.

29. *Me nec fœmina, nec, &c.*) Vergens ego ad senium, minus aptus sum amoribus, imo nec jocis & certaminibus poculorum. Sed neque juvat me floribus coronare inter epulandum, ex more, de quo lib. 1.

33. *Sed cur heu, Ligurine, &c.*) Me vero eâ ætate cur tamen amore tuo incendis, o Ligurine, puer formâ conspicue? Cur, o Venus, *rursus bella moves*, post acceptam rudem & vacationem a tua militia? siquidem annos quinquaginta natus sum, cur ad juvenilem me lasciviam revocas?

34. *Manat rara meas lacryma per genas.*) Amor elicit lacrymas, paucas tamen, præ pudore; nam ex Ovid. Amor. 1.

*Turpe senex miles, turpe senilis amor.*

35. *Cur facunda parum decoro, &c.*) Quod etiam indicium amoris est ardentissimi, lingua alioqui facunda jam titubat, verbaque intercepta præfocantur; quod sane indecorum mihi est. Virgil. Æneid. 4. v. 76.

*Incipit effari, mediâque in voce resistit.*

37. *Nocturnis te ego somniis, &c.*) Inter somniandum tu mente verso, modo mihi videor amplecti te, modo te fugientem persequi.

39. *Per gramina Martii campi, &c.*) In campo Martio exercebat se juventus cursu, luctâ, equitatione, deinde natatione in Tiberi proximo post exercitationem, ad pulverem sudoremque detergendum, ut annotavi fuse lib. 1. Od. 8.

# *AD ANTONIUM IULUM.*

## ODE II.

*Laudat Pindarum.*

Pindarum quisquis studet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore:
Laureâ donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos

### INTERPRETATIO.

*O Iule, quicumque vult imitari Pindarum, sublevatur alis cera compactis auxilio Dædali, & mari pellucido cognomen præbebis. Pindarus abundans alto sermone volvitur, & rapide fertur instar fluminis a monte labentis, quod pluviæ supra consuetas ripas extulerunt. Lauream Apollinis meretur, sive profert voces insolitas in dithyrambis*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Oda 2. Lib. 1.

1. *Pindarum, &c.* ) Laudaverat Horatium Iulus Antonius, æmulumque Pindari dixerat. Rescribit hanc Odem Horatius, qua mire Pindarum extollit supra se, pariterque facundiam & modestiam expromit suam.

*Pindarum.* ) Is Lysicorum antesignanus Thebis in Bœotia natus, *auris Bœotica*, idest, crassi, stupidi, insulsique Bœotiorum ingenii famam & proverbium abstersit. Floruit circa Olympiadem 75. seu annis ante Christum 476. Quo tempore Æschylus, & Anacreon. Dorica scripsit. Threnos ejus, Dithyrambos, & alia quædam subtraxit nobis injuria temporum: restant encomia, seu Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea. Ælianus lib. 12. refert idem Pindaro contigisse, quod Platoni; nimirum infantem expositum melle ab apibus nutritum: & alibi, quinquies in Poetarum commissionibus prælatam ei tamen Corinnam, auditorum quidem inscitiâ. Memoria porro ejus tam venerabilis, ut Lacedæmonii Bœotiam vastantes, propter Pindarum, Thebis pepercerint: Alexander vero Magnus, cum eam urbem expugnasset, domum Pindari intactam servari jusserit. Vide Valer. Maxim. Plin. lib. 7. cap. 29. Plutarch. in Alexand. Cœl. Rhodig. lib. 21. cap. 44. &c.

*Quisquis studet æmulari, &c.* ) Qui Pindarum contendit imitatione assequi, in eamdem habebit sortem cum Icaro Dædali filio, qui affixis cerâ pennis volare tentans, in mare decidit, ac de suo nomine Icarium fecit appellari. Vide lib. 1. Od. 3. lib. 2. Od. 20.

2. *Iule.* ) Dissyllabam alii faciunt istam vocem: alii cum Passeratio synalœpham ponunt ex prima vocali vel syllaba hujus nominis cum prima præcedentis versus; quemadmodum lib. 1. Od. 2. in voce *uxorius*. Vide infra ad vocem *Antoni*.

3. *Vitreo.* ) Non absurde interpreteris, cæruleo.

5. *Velut amnis.* ) Copiosa Pindari oratio similis est fluvio exundanti.

7. *Immensusque ruit profundo Pindarus ore.* ) Quintil. lib. 10. cap. 1. *novem Lyricorum Pindarus longe princeps, spiritûs magnificentiâ, sententiis, figuris, beatissimâ rerum verborumque copiâ, & velut quodam eloquentiæ flumine, propter quæ Horatius eum merito credidit nemini imitabilem.*

9. *Laureâ Apollinari.* ) Vide l. 3. Od. ult. in fine.

10. *Dithyrambos.* ) Hymnus seu carmen erat in honorem Bacchi, qui & ipse dictus est Dithyrambus, quasi [illegible], *bis vitæ portas transiens*, quia primum natus ex utero Semeles matris, deinde a Jovis femore, ut fabulantur. Alii alias etymologias afferunt. Apage qui Syriacam originem in mera Græca voce expiscantur. Ingeniose vero Moses, eruditis idem qui Bacchus, intelligitur hac appellatione Dithyrambi, utpote qui duas quasi matres habuerit, ab altera genitus, aquis & morti ereptus ab altera atque educatus, scilicet a filia Pharaonis. Vide Suidam. Scalig. Poet. lib. 1. c. 46. ubi etiam addit, Dithyrambici carminis stylum tumidum esse, plenumque Baccho, numeris, & vocibus compositis, quas vocant ampullas & sesquipedales voces: atque idcirco *audaces* ab Horatio dici dithyrambos: ab Æschylo vero carmen tumens, exultans, totum Bacchum. Ibidemque ille affert Hegesandri Epigramma adversus Philosophos, ejusmodi vocabulis inflatum; sic incipit:

Verba devolvit, numerisque fertur
Lege solutis:
Seu Deos, Regesque canit Deorum
Sanguinem; per quos cecidere justâ
Morte Centauri, cecidit tremendæ
Flamma Chimæræ:
Sive quos Elea domum reducit
Palma cælestes, pugilemve equumve
Dicit, & centum potiore signis
Munere donat:
Flebili sponsæ juvenemve raptum
Plorat, & vires animumque moresque
Aureos deducit in astra, nigroque
Invidet Orco.

## INTERPRETATIO.

*audacibus, scribitque metris liberis: sive canit Divos ac Reges Deorum filios, a quibus Centauri legitimâ cæde prostrati sunt, atque extinctus est ignis Chimæræ horrendæ: sive laudat eos, qui domum redeunt Eleâ victoriâ gloriosi, canitque vel pugilem vel equitem, & donum eis tribuit excellentius statuis centenis: sive deflet adolescentem morte ablatum nupta mœsta*, illiusque *virtutem animumque ac bonos mores extollit us*que *ad cælum, atrisque inferis eximit. O*

## ANNOTATIONES.

*[illegible]*, &c. Ex Athenæo lib. 14. cap. 6. non semper veteres cum libarent, usi sunt dithyrambis, versibus tumultuosis, vehementibus, concitatis; sed duntaxat vino madidi, & Liberum patrem si invocarent: sin Apollinem, placide canebant. Unde Epicharmus lepide ibid. [illegible], *nullus est dithyrambus, aquam si bibas*. Cic. 3. de orat. num 185. *inde ille licentior & divitior fluxit dithyrambus, cujus membra & pedes sunt in omni locuplete oratione diffusa*. Pindarus Olymp. Od. 13. Corinthiis tribuit dithyramborum inventionem.

11. *Numerisque fertur lege solutis.*) Non quod in dithyrambis nulla esset lex, aut mensura pedum, sed quia magna erat metrum variandi licentia & quod in his Poetæ vehementiam impetumque animi potissimum sequerentur, magisque attenderent modulationem carminis, quam pedum certam ubique legem. Vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. sub finem.

13. Pindarus enim pæanas cecinit, seu hymnos in honorem Apollinis. Porro notat hic Horatius præcipua Lyricorum argumenta, ut & ad Pisones Epist. vers. 83.

*Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum,*
*Et pugilem victorem, & equum certamine primum,*
*Et juvenum curas, & libera vina referre.*

*Regesque.*) Hieronem Syracusanum, Olymp. Od. 1. &c. *Deorum sanguinem*. Reges Deorum filii appellantur. Vel designat Poeta noster Herculem Jovis, & Theseum Neptuni filios, item Pirithoum a Marte genus trahentem: *per quos Centauri cecidere*. Vide lib. 2. Od. 12. lib. 3. Od. [illegible]

4. De *Chimæra* per Bellerophontem a Neptuno adjutum deleta, lib. 1. Od. 27. Pindarus autem Olymp. Od. 13.

17. *Sive quos Elea, &c.*) Quando laudat victores in certaminibus apud Elidem Peloponnesi regionem, seu pugilatu; Pindar. Olymp. Od. 7. 10. 11. seu equorum cursu, ibid. Od. 1. & alibi multis locis. Virg. Georg. 1. v. 59.

*Eliadum palmas mittit Epirus equarum.*

Georgic. 3. v. 202.

*Ad Elei metas & maxima campi*
*Sudabit spatia, & spumas aget ore cruentas.*

Elis, & Pisa, quæ & Olympia, urbes sunt Elidis regionis: ibidem fanum Jovis Olympii, & ludorum Olympicorum celebritas. Vide lib. 1. Od. 1. vers. 3. & seq. annot.

18. *Celestes.*) Od. 1. *Palmaque nobilis evehit ad Deos*. Gloriâ sublimes quasi cælum Deosque attingunt.

*Equumve.*) Equus ipse, qui velociore cursu ac pernicitate sua victoriam pepererat, coronabatur etiam, nec non carmine pariter et eques celebrari consueverat. Pindar. Olymp. Od. 1. Pyth. Od. 3.

19. *Potiore signis.*) Vide postea, Od. 8. hujus libri.

21. *Flebili sponsæ juvenemve raptum plorat.*) Seu cum struit & componit Epitaphium sponsi morte præmatura extincti, sponsæque luctum describit.

22. *Mores aureos.*) Castos, sanctos, antiquos, quales ætate aurea.

24. *Invidet Orco.*) Oblivioni præripit, immortali memoriæ consecrat.

Multa Dircæum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: ego apis Matinæ
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas, operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore poeta plectro
Cæsarem, quandoque trahet feroces
Per sacrum clivum, meritâ decorus
Fronde, Sicambros:
Quo nihil majus, meliusve terris
Fata donavere, bonique Divi,
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines lætosque dies, & urbis

INTERPRETATIO.

*Antoni, fortis volatus effert cycnum Thebanum, quotiescumque assurgit in superas cæli regiones. Ego exiguus, velut apis thyma dulcia in Matino monte maximâ sedulitate colligit, sic ingenti labore condo versus, prope silvas & fontes Tiburi. humidi. Tu vates eximius celebrabis Augustum carmine sublimiori, quoties debitâ insignis coronâ ducet Sicambros immanes per collem sacrum: quo Cæsare grandius aut pretiosius nihil fata & numina propitia terris donaverunt, aut donabunt, etiamsi revocetur sæculum vetus aureum. Cantabis festos dies & com-*

ANNOTATIONES.

25. *Multa Dircæum levat aura cycnum.*) Pindarum alte volantem & suave canentem instar cycni idem semper vigor, eademvis sublevat & sustinet.

*Cycnum.*) Vide lib. 2. Od. 20.

*Dircæum.*) Dirce fons Bœotiæ, item fluvius Thebas alluens in Ismenium devolvitur. Strabo, &c. Hinc Dircæus pro Thebano.

26. *Antoni.*) Julus hic Antonius M. Antonii Triumviri ex Fulviæ filius, post cæsum extinctumque patrem, Augusti gratiam nactus ejus etiam neptem duxit. Romæ consulatum gessit anno Urbis conditæ 743. cum Paulo Maximo, cui prior Ode est scripta. Dio lib. 54.

27. *Ego apis Matinæ more, &c.*) Ego Horatius non ita celsa peto, sed velut apis inferiora circumvolo, & flores humiles carpo. *Matinus* Calabriæ mons thymo abundat, e quo mel optimum apes conficiunt: Eam porro memorat Horatius regionem, quod non longe ab ea natus, ut dixi alibi.

30. *Uvidi Tiburis.*) Vide lib. 1. Od. 7. & 18. lib. 2. Od. 6. lib. 3. Od. 29. vero seq. *Tibur aqua perfluunt.*

31. *Operosa parvus carmina fingo.*) Scilicet opus accuratum absque magno labore nullum. Deterere multa ac recidere, imo & recudere, stylumque sæpius vertere oportet, sæpe caput etiam scabere, vivosque ungues rodere, ut plane docet noster lib. 1. Sat. 10. At poëtastri carmen contra, ut canit Pers. Sat. 1. vers. 106.

*Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.*

*Parvus.*) Animadverte, Lector, quam se deprimat istic Horatius, alias certe non-mediocriter extollens sese. Vide Od. ult. l. 2. & 3. Atenim præ Pindaro se parvum dicit; & operosa carmina vix fingere, forte quod inops Latinus sermo multoque inferior ubertate & copiâ cedit Græcæ linguæ tanquam locupletiori.

33. *Concines majore poeta plectro Cæsarem.*) Tu, Iule, scribes elogia Cæsaris grandiori stylo, carmine heroico. Julus Antonius heroicis versibus Diomedeas conscripsit duodecim libris.

34. *Quandoque trahet feroces, &c.*) Cum subactos hostes in triumpho ducens ascendet Capitolium per viam sacram clivo Capitolino adhærentem pergens, &c.

36. *Sicambros.*) Hos leviter si præteriero, piaculum admisisse videar, quippe quos majores agnoscimus, nosque Francos ab eis ortos. Illorum Regis Clodovæo enim ad sacrum baptisma accederet, Remigius Rhemensis Præsul sanctissimus ita locutus fertur: *Mitis depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti.* Gregor. Turon. Germaniæ Inferioris populi erant, Rheni accolæ, hodie *Gheldrenses*. Strabo lib. 7. &c. *Feroces* non sine ratione gravi Horatius vocat. Nam Dio refert exercitus Romanos ab eis fusos, tantumque terrorem incussum, ut adversus eos Augustus profectus sit, qui dare obsides, re composita, adegerit: unde seq. Od. 14.

*Te cæde gaudentes Sicambri*
*Compositis venerantur armis.*

Addunt præterea Centuriones Romanos ad exigenda tributa missos cruci ab eis suffixos: eorum vero mulieres, cum deessent lapides jaciendi, filios etiam parvulos humi allisos in hostium ora contorquere non veritas. Vide Oros. &c. Tendem

Si-

Digitized by Google

Publicum ludum, super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumque
Litibus orbum.
Tum meæ, si quid loquar audiendum,
Vocis accedet bona pars: & o Sol
Pulcher, o laudande, canam, recepto
Cæsare felix.
Tuque dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis: dabimusque Divis
Thura benignis.
Te decem tauri, totidemque vaccæ,
Me tener solvet vitulus relictâ
Matre, qui largis juvenescit herbis
In mea vota:
Fronte curvatos imitatus ignes
Tertium Lunæ referentis ortum,
Quà notam duxit, niveus videri,
Cætera fulvus.

INTERPRETATIO.

*munem lætitiam civitatis, forumque contentionibus vacuum, ob reditum invicti Augusti e* Diis *concessum. Tunc, si canam aliquid auditu dignum, cantûs mei maxima pars adjicietur: & beatus dicam, o læta, o celebris dies,* qua *Cæsar* nobis *est redditus. Dum vero progrederis, o triumphe, sæpius repetemus, Io, Io triumphe, omnisque urbs* pariter, *& adolebimus thura numinibus propitiis. Te decem tauri & vaccæ totidem* promissis *liberabunt; me juvencus matri subtractus, qui crescit* in *abundanti gramine, propter meum votum* exolvendum. *In fronte æmulatus Lunam incurvam tertiâ* ab *ortu* die *ardescentem: eâ* parte insuper *contraxit notam qua spectatur nive candidior, in reliquis rufus.*

ANNOTATIONES.

Sicambros tamen subegit Augustus, ac *dedentes se traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit.* Sueton. Octav. cap. 21. L. autem Florus cap. ult. sic testatur: *validissimas nationes Cheruscos, Suevos, Sicambros pariter aggressus est, qui viginti Centurionibus incrematis, hoc velut sacramento bellum sumpserant, adeo certâ victoria spe, ut prædam in antecessum dividerent. Cherusci equos, Suevi aurum & argentum, Sicambri captivos elegerant. Sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque in prædam divisit ac vendidit.*

42. *Augusti reditu.*) Ex Hispania, & ex bello Cantabrico, quod multis annis protractum fuerat. Lib. 2. Od. 12. sub finem. lib. 3. Od. 3. & 14. hujus etiam libri Od. 5. &c. reditum Augusti ex Gallia cum Sicambros profligasset, hic intelligunt alii. Sueton. cap. 20. Octav. *Reliqua bella per legatos administravit, ut tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret aut non longe abesset.*

*Forum litibus orbum.*) Ferias, Justitium, seu vacationem a litibus dirimendis & a forensi strepitu, mos erat indici in ludis, festis, triumphis, supplicationibus, adeoque in omni publica lætitia, vel etiam luctu.

45. *Tum meæ si quid, &c.*) Tum vero sublimibus tuis carminibus, o Antoni, meos etiam qualescumque versus adjungam, in tam solemni occasione, reverso incolumi e belli periculis Augusto, exoptato jam diu. Sueton. Octav. cap. 57. *revertentem ex provincia non solum faustis ominibus, sed & modulatis carminibus prosequebantur.*

49. *Tuque dum procedis, Io triumphe, &c.*) Hoc referunt alii ad Iulum Antonium vel Prætorem vel Consulem designatum, leguntque, *Duxque dum procedis*, sed absurde; alii ad Augustum triumphantem. Verum ipso duce contextu, sane referas, ingenuose lector, ad ipsum triumphum, quem sic interpellat Horatius procedentem: o triumphe, dum procedes, Io sæpius, Io repetemus, &c.

53. *Te decem tauri.*) Tu Antoni summe vir, pro Cæsaris felici reditu a Diis impetrando, vovisti grandes victimas, quas voti reus mactabis: ego vero tenuis immolato juvenco, quem promisi, voto solvar.

57. *Fronte curvatos, &c.*) Describit juvencum quem parat sacrificio quod vovit. Lunæ paulo post novilunium similem dicit ob parvula cornua. & in fronte notam habere candidam stellæ ad instar conspicuam. Sic Homerus Iliad. ψ. Diomedis equum toto rufum corpore, candidâ in fronte notâ ad modum Lunæ plenæ rotundâ, insignem exhibet. Et Moschus, in Idyll. quod Theocrito male ascribitur, ut alibi annotavi, Europæ taurum similiter flavum reliquo fuisse corpore, at in fronte mediâ orbem argenteum refulsisse commemorat.

AD

## AD MELPOMENEN.

## ODE III.

*Se poeticâ facultate ab ea donatum immortalem fore.*

Quem tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
Clarabit pugilem; non equus impiger
5 Curru ducet Achaico

### INTERPRETATIO.

*O Melpomene, quem tu nascentem aspexeris semel oculis benignis, eum non athletam nobilitabit Isthmium certamen, non equus acer victorem curru vehet Achaico, nec militare fa-*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Quem tu Melpomene, &c.* ) De hujus Odes eximio lepore insigne est Scaligeri judicium, quod retuli ad init. Od. 9. lib. 3. Vide ibi ann.

*Melpomene.* ) Pro qualibet Musarum hanc ponit. De eâ lib. 1. Od. 24. v. 3.

2. *Nascentem placido lumine videris, &c.* ) Desumpta ab Hesiodo aliisque Græcis sententia. *Placido lumine*, εὐμενέσιν ὄμμασιν. Sic & Tibull. lib. 2. Eleg. 4. in fine:

*Si modo me placido videat Nemesis mea vultu.*

Huc facit quod scribit Juvenalis Sat. 7. vers. 195.

*distat enim, quæ*
*Sidera te excipiant modo primos incipientem*
*Edere vagitus, &c.*

3. *Illum non labor Isthmius, &c.* ) Quem facili & benevolo Musa vultu nascentem viderit, is quidem non illustris erit pugilatu, quadrigali cursu, aut alio Isthmiorum ludorum certamine; non etiam bello clarus evadet: sed nobilis erit poeta, ubique celebrior quam sint illi Isthmicâ vel militari victoriâ. Eam vero sibi gloriam a Musis concessam prædicat Horatius.

*Labor Isthmius.* ) Certamen & victoria in ludis iis qui tertio quoque anno, totius Achaiæ concursu, fiebant in Isthmo prope Corinthum, de quo lib. 1. Od. 7. v. 2. Ibidem erat sacrum Neptuno fanum. Ludos illos instituit Sisyphus Rex Corinthiorum, ut scribunt aliqui, in honorem Melicertæ seu Palæmonis aut Portuni marini Dei; vel, ut alii referunt, Theseus in honorem Neptuni, æmulatione quidem Herculis, qui Olympia Jovi dicaverat. Vide Alex. ab Alex. lib. 5. cap. 8. Plutarch. in Thesei vita. Strabon. Geograph. lib. 8. Tit. Liv. lib. 33. cap. 32. *Isthmiorum*, inquit, *statum ludicrum aderat ... quo certamina omnis generis artium viriumque ac pernicitatis visuntur ... propter opportunitatem loci per duo diversa maria omnium Græcorum undique conventus erat.* In iis victores pinu coronabantur, ex Plin. lib. 15. cap. 10. Contra Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 10. Coronam Isthmiacam contexi ex apio consuesse scribit. Et l. 13. c. 17. in Olympicis cotino ( seu oleastro ) in Pythiis lauro, in Nemeis selino virenti, id est, apio, in Isthmiis selino item sed arescente solitos coronari. Archias Poeta Epigram. lib. 1. de quatuor Græciæ certaminibus ita canit:

ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

4. *Clarabit.* ) Pro, *declarabit*, inquiunt; nam voce præconis victorum nomina declarabantur & pronuntiabantur. Illud quoque verbum usurparunt, apud Tull. de Divin. 1. n. 21. Poeta,

*Jupiter excelsâ clarabat sceptra coronâ.*

Lucret. lib. 4.

Sic Virgil. Æneid. 11. 345, *crimen acerbat.*

*Pugilem.* ) Vide annot. Ode superiori, strophe 5.

*Non equus impiger curru ducet Achaico.* ) De curuli certamine lib. 1. Od. 1. v. 4. Non videtur facere ad rem quod nonnulli afferunt hic, in Achaia sacros agonas celebrari consuevisse, in quibus qui vicerant, hieronicæ dicti, in patriam reducebantur curru quasi triumphali equis albis quatuor tracto. Apud Diodor. Sicul. lib. 13. Exænetus Agrigentum invehitur, comites sunt bigæ curules trecentæ. Vitruv. lib. 9. proœm. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Nemea, Isthmia vicissent, Græcorum majores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma & coronâ ferant laudes, sed & cum revertantur in suas civitates, cum victoria triumphantes quadrigis in mœnia invehantur, eque Republica perpetuâ vitâ constitutis vectigalibus fruantur.* Sueton. Neron. cap. 22. *mox & ipse aurigare, atque etiam spectari voluit ... tum etiam in circo maximo ... nec contentus harum artium experimenta Romæ dedisse, Achaiam petiit.* cap. 23. *certamina deinceps obiit omnia.* cap. 24. *aurigavit plurifariam, Olympiis etiam decemjugem ... sed excussus curru .... nec eo minus coronatus est ... Judices donavit civitate Rom. & pecuniâ grandi, ac provinciam universam libertate. Quæ beneficia e medio stadio, Isthmiorum die, suâ ipse voce pronuntiavit.* cap. 25. *reversus e Græcia Neapolim ... albis equis introiit, disjectâ parte muri, ut mos hieronicarum est: simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam ... veste purpurea ...*

co-

Victorem : neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio :
Sed quæ Tibur aquæ fertile perfluunt,
Et spissæ nemorum comæ,
Fingent Æolio carmine nobilem.
Romæ principis urbium
Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros :
Et jam dente minus mordeor invido.
O, testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas!
O mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum!

## INTERPRETATIO.

*Nunc Imperatorem cantabit Capitolio frondibus Apollinaribus coronatum, eo quod superbas Regum minas fregerit. Verum aquæ fecundam Tibur irrigantes & silvarum densa folia Æoliis clarum versibus efficient. Proles Romæ civitatum Reginæ inter charos Poëtarum cœtus me collocare dignatur : jamque minus æmulorum morsibus vellicor. O Musa quæ suavem cithara lyræ meæ sonum moderaris, o quæ mutis etiam piscibus cycni cantum dare potes,*

## ANNOTATIONES.

*coronam capite gerens Olympiacam, dextrâ manu Pythiam, &c.*

6. *Neque res bellica Deliis ornatum foliis, &c.*) Nec fortiter in bello gestis triumphans coronabitur laureâ sacrâ Apollini apud Delum insulam nato & eximie culto. Vide lib. 1. Od. 21.

9. *Ostendet Capitolio.*) Triumphans quisque in aurato curru per viam sacram vehebatur ad Capitolium, seu arcem Roman. in monte Tarpejo extructam, ob inventum ibi caput humanum sic appellatam. Illic Jovi Diisque gratias referebat, spoliaque de hostibus relata consecrabat.

10. *Sed quæ Tibur aquæ, &c.*) Sed insignem eum facient carmina in amœno Tiburis secessu condita, vel ejus loci descriptionem & amœnitatem continentia. De Tiburte aquis udo lib. 1. Od. 7. lib. 3. Od. 29. Quod eo secedere amaret Poeta lib. 1. Od. 18. lib. 2. Od. 6.

12. *Æolio carmine*) Lib. 2. Od. 13. *Æoliis fidibus*. Vide ibi annot. Alcaicos versos designat latine primum a se factos, ad imitationem Alcæi, de quo lib. 1. Od. 32. & lib. 3. Od. 30.

13. *Romæ principis urbium dignatur soboles.*) Intelligunt volgo Romanorum proceres; vel Augusti privignos: sed eruditus non nemo sensit dictionem esse a Græcis Hebræisque ductam : ut enim hi filium hominis dicunt pro homine ; sic noster Romæ subolem dicit, pro Romæ, urbium & orbis dominâ, atque, ut Martialis ait, *Terrarum gentiumque Dea*.

*Amabiles vatum choros.*) Vel poetas excellentes & amari dignos, vel de rebus amabilibus carmine lyrico scribentes, puta de laudibus Divorum, de Heroum præclare gestis, de vita seu hilariter exigendâ, seu laudabiliter instituendâ, &c.

16. *Et jam dente minus mordeor invido.*) Ex quo me Roma universa judicio suo probavit valensque sanxit, jam mihi obtrectare æmuli desinunt : atque adeo virtute invidiam superasse mihi videor. Vide lib. 2. Od. ult.

17. *O testudinis aureæ, &c.*) O Musa, hoc beneficium cum aliis bene multis tibi acceptum refero.

18. *Pieri.*) Pierides Musæ dicuntur vel a Pierio Thessaliæ monte illis sacro, vel ob filias Pieri novem devictas, cum ausæ essent ad cantum Musas provocare; quapropter in picas mutatæ temeritatis pœnas exsolverunt.

19. *Mutis quoque piscibus.*) Utpote carentes vocalibus instrumentis, pulmone, arteria, guttore, muti sunt pisces. Aristot. de animal. Hinc Proverb. *pisce magis mutus* : ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων. Lucian. in Gallo, &c.

20. *Cycni sonum.*) Plato in Phædone testatur Cycnos mortis tempore esse maxime canoros : idem Aristoteles quoque refert. Hinc Ovid.

*Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ*
*Cantator cycnus funeris ipse sui.*

Plin. contra l. 10. cap. 23. *Olorum*, inquit, *morte narratur flebilis cantus, falso, ut arbitror, aliquot experimentis*. Vulgari pariter opinioni refragatur Athenæus lib. 6. cap. 11. Cœl. Rhodig. lib. 9. cap. 5. scribit hæc : *canentem cycnum paucos audivere, etiamsi vulgatior fama tenet ingruente*

Digitized by Google

Totum muneris hoc tui est,
  Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
  Quod spiro, & placeo, si placeo, tuum est.

INTERPRETATIO.

*si velis: illud omne ex dono tuo est, quod manu prætereuntium ostendor Latinæ lyræ auctor: quod vivo & probor, si tamen probor, a te est mihi datum.*

ANNOTATIONES.

*te fatali momento* ἀφιέντων τὴν ἀδικώτατην *voce cantuque in primis valere:* auctor tamen, variæ narrationis primo, Ælianus est, audisse quandoque se canentem cycnum. Sic enim ait: ἐγὼ δὲ ᾄδοντος κύκνου ἤκουσα. De cycnis jam l. 2. Od. ult.

22. *Quod monstror digito prætereuntium.*) Cicero Tusc. 5. n. 103. *Leviculus sane Demosthenes, qui illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculæ, ut mos in Græcia est, insusurrantisque alteri: hic est ille Demosthenes. Quid hoc levius?* Pers. Sat. 1. v. 28.

*At pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.*

Tertullianus huc alludens de velandis virginibus cap. 14. scribit, *periclitari virginitatem, cum digitis demonstrantium titillatur.*

23. *Romanæ fidicen lyræ.*) Lyrici apud Romanos carminis auctor atque princeps. lib. 3. Od. ultima jam est.

24. *Quod spiro, &c.*) Non tantum poeseos facultatem, sed & vitæ usuram Musis debere se profitetur. Vide lib. 6. Od. 4. strophe 7.

*Quod placeo.*) Quod Augusto & Mæcenati præcipue, tum etiam aliis probantur mea carmina, quod *invidia sim major*, l. 2. Od. 20. quod *usque ego postera crescam laude recens, &c.* lib. 3. Od. 30.

*Si placeo.*) Ita modestiæ velificatur Poeta, quasi subdubitans adeo posse se *Principibus placuisse viris*, quæ *laus est non ultima*.

---

## *DRUSI LAUDES.*

# ODE IV.

*Earum partem maximam Augusti institutioni attribuit.*

1 Qualem ministrum fulminis alitem,
  (Cui rex Deorum regnum in aves vagas
    Permisit, expertus fidelem
      Juppiter in Ganymede flavo)

INTERPRETATIO.

*Qualem volucrem fulminis administrum (cui summus Deorum Jupiter dedit principatum in vagabundas aves, probatâ ejus fide in Ganymede flavo)*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Qualem ministrum, &c.*) Drusi Neronis Augusti Cæsaris privigni celebrat victoriam de Rhœtis ac Vindelicis reportatam. Ejus autem virtutum gloriam fere totam derivat in Augustum, cujus educatione & institutione laus omnis ea Druso accesserit accreveritque. Ode perelegans, & regali mandato composita: stylus & dictio grandis, a capite ad calcem elaborata: initium eo sublimius, quo videtur aliquanto perturbatius. Ordo est: *Drusum sub Alpibus bella gerentem Rhæti & Vindelici* talem *videre*, *qualem ministrum fulminis . . . . Juventas & patrius vigor nido propulit . . . . mox in ovilia demisit hostem vividus impetus, &c. qualemve caprea leonem vidit, dente novo peritura, &c.* Sensus autem est: Rhœti ac Vindelici cum Druso bellantes talem eum conspexere juvenili ardore, ac paterno robore invictum ac formidabilem, qualis esse solet

Olim juventas & patrius vigor
Nido laborum propulit inscium;
Vernique, jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus
Venti paventem: mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus:
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnæ:
Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:
Videre Rhœti bella sub Alpibus
Drusum gerentem, & Vindelici; quibus

## INTERPRETATIO.

*aliquando juventus & paterna virtus ignarum laboris expulit nido, vernique venti jam transactis imbribus timidum docuere conatus insuetos; mox autem vis acerrima infestum in ovilia perpulit, deinde præda ac certaminis aviditas incitavit adversus dracones repugnantes: & qualem leonem jam a lacte & uberibus fulvæ parentis remotum capra amœnis occupata pascuis aspexit recenti dente laniandа: talem ad Alpes bella facientem Drusum viderunt Rhæti, atque*

## ANNOTATIONES.

let aquila rex avium, cum jam nido exire audet, primosque nisus ac impetus exercit, agnos mox & dracones rapiens & expugnans. Idem Princeps adolescens tantâ vi Rhætos & Vindelicos aggressus est atque oppressit, quantâ leo capram aggreditur pascentem & dilaniat.

*Ministrum fulminis alitem.*) Plin. lib. 2. c. 55. *solam e volucribus aquilam fulmen haud percutit: quæ ab hoc armigera hujus ceti fingitur.* Et lib. 10. cap. 3. in fine: *negant unquam solam hanc alitem fulmine exanimatam: ideo armigeram Jovis consuetudo judicavit.* De rapto Ganymede per aquilam, seu per ipsum Jovem aquilæ specie, ut quidam volunt, vide annot. lib. 3. Od. 20. in fine.

8. *Insolitos docuere nisus.*) Volatum docent venti *insolitum* hactenus & nondum tentatum: hinc ad primos illos *nisus*, auri se committere expavescit pullus aquilæ alitumque cæterorum.

9. *Mox in ovilia demisit hostem vividus impetus.*) Cum primum vires suas expertus est, in ovilia devolat, agnumque capit. Plin. mox cit. lib. 10. *adultos pullos aquila persequitur & longe fugat, æmulos scilicet rapinæ, & alioquin unum par aquilarum magno ad populandum tractu indiget, ut satietur... rapta non protinus ferunt; sed primo deponunt: expertaque pondus tunc demum abeunt.* Idem scribit Arist. Hist. animal. c. 32.

11. *Nunc in reluctantes dracones, &c.*) Plin. cit. lib. 10. cap. 4. *acrior est cum dracone pugna, multoque magis anceps, etiamsi in aere. Ova hic consectatur aquilæ aviditate maleficâ: at illa ob hoc rapit ubicumque visum. Ille multiplici nexu alas ligat, ita se implicans, ut simul decidant.* Plutarch. de Invid. & Od. ait tam grave esse aquilis & draconibus odium inter se, ut ne quidem interfectorum sanguis commisceatur; ac si confuderis, dissociet sese ac seorsum fluat. Ejusmodi certamen belle describit Homer. Iliad. μ. v. 201. Et Virgil. Æneid. 11. v. 751.

*Utque volans alte raptum cum fulva draconem*
*Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæsit:*
*Saucius at serpens sinuosa volumina versat,*
*Arrectisque horret squamis, & sibilat ore,*
*Arduus insurgens: illa haud minus urget adunco*
*Luctantem rostro, simul æthera verberat alis.*

17. *Videre Rhæti.*) Rhæti appetentem se armis infestis Drusum viderunt aquilæ instar pugnacem, ac leonis robore, audaciâ, ferocitate præditum.

*Rhæti.*) Hodie *les Grisons* vernac. Alpes Tridentinas occupant: Helvetiis & Boiis finitimi, ex Strabone lib. 4. qui & ibid. Drusi victoriam de illis prædicat. Vide Flor. lib. 4. cap. 12. & Dionem lib. 54.

18. *Vindelici.*) Hi Borealem Alpium regionem tenebant, sicut Australem Rhæti, utrique perinde bellicosi. Hodie Suevi, & Bavari Vindeliciam incolunt. Sunt qui Vindelicos Rhætis confundant: sed errorem manifeste ostendit Vell. Paterc. lib. 2. c. 79. & 89. ita referens: *Tib. Claudius Nero... innutritus cælestium præceptorum disciplinis, juvenis, genere, formâ, celsitudine corporis, optimis studiis maximoque ingenio instructissimus, qui protinus, quantus est sperari poterat, visusque prætulerit Principem: Quæstor undevicesimum annum agens capessere cœpit Rempu-*

Mos unde deductus per omne
Tempus Amazoniâ ſecuri
Dextras obarmet, quærere diſtuli:
Nec ſcire ſas eſt omnia. Sed diu
Lateque victrices catervæ
Conſiliis juvenis revictæ
Senſere quid mens rite, quid indoles
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſet, quid Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus & bonis.

## INTERPRETATIO.

*Vindelici, quibus mos omni ævo manus armandi securi Amazonum unde fluxerit, investigare omisi: neque omnia cognosci possunt. Verum diu lateque victrices turmæ adolescentis superatæ industriâ expertæ sunt quid ingenium, quid animus in felici domo institutus, quidque Cæsaris erga Nerones juvenes paterna mens valeat. Strenui gignuntur strenuis atque generosis.*

## ANNOTATIONES.

*publicam, &c.* Et paulo post, *Reversum ex Armenia, in potestatem Populi Romani redacta, Neronem Cæsar haud mediocris belli molem experiri statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso, quem intra Cæsaris penates enixa erat Livia. Quippe uterque divisis partibus Rhætos Vindelicosque aggressi, multis urbium & castellorum oppugnationibus, nec non directâ quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomuerunt.* Sueton. Octav. cap. 21. *Rhætiam & Vindelicos . . . gentes Inalpinas coercuit.*

*Drusum bella gerentem.*) Claudius Drusus Tiberii Neronis ac Liviæ filius annos 23. natus Rhætos, ac Vindelicos expugnabat an. U. C. 738. citatus Florus lib. 4. cap. 12. *Noricis animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non posset ascendere: sed omnes illius cardinis populos, Breunos, Senones, atque Vindelicos per privignum suum Claudium Drusum perpacavit.* De eo sic scribit Vell. Patercul. lib. 2. cit. *cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druso Claudio fratri Neronis, adolescenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria perficit: cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. Morum certe dulcedo & suavitas, atque adversus amicos æqua & par sui æstimatio inimitabilis fuisse dicitur. Pulcritudo oris proxima fraternæ fuit. Sed illum magna ex parte domitorem Germaniæ ... fatorum iniquitas Consulem, annum agentem tricesimum rapuit.*

19. *Mos unde deductus, &c.*) Hæc ironiam sane continent in quosdam eo tempore de nugis ejusmodi acriter & perperam disputantes. Nam alioqui non est obscurum aut valde incertum, Rhætos & Vindelicos ab Amazonibus oriundos, atque ab his Scythicis mulieribus accepisse morem illum pro armis securim habendi.



20. *Amazoniâ.*) Strabo lib. 2. de Amazonibus fide majora referri, ait. Vide Justin. lib. 2. Oros. lib. 1. cap. 15. nec non eruditam dissertationem seu disquisitionem de Amazonibus scriptam a Petro Petito, viro non Medicinæ solum, sed rerum omnium scientissimo, nuper editam.

*Securi.*) Hæc σάγαρις dicta proprie; Xenoph. πέλεκυς μονόστομος erat, seu unicum habens στόμα, unâ tantum parte secans; contra bipennis utrinque. Hesych.

22. *Diu lateque victrices catervæ.*) Rhæti sæpius antea victores. Strabo lib. 4. Luc. Flor. & Vell. Paterc. ante citati.

24. *Juvenis.*) Claudii Drusi, de quo ante.

25. *Sensere quid, &c.*) Intellexere quid & quantum valeret institutio & educatio Augusti Cæsaris, qui *paternum* exhibuit *animum* & affectum erga pueros *Nerones* Tiberium ac Drusum, quos adoptaverat, & bonis artibus erudire curaverat. Nam Tiberius Nero Liviâ Drusillâ uxore suâ tum etiam prægnante Augusto petenti concessâ, paulo post e vivis excessit: eumdem vero Augustum scripserat tutorem filiorum suorum, nempe Tiberii quatuor fere annos nati, ac Drusi quem enixa est Livia, mensibus tribus post suum cum Augusto conjugium. Hinc ergo *paternus Augusti animus in pueros Nerones;* tum quod eorum matrem duxerat; tum quod eorum tutor est a Tiberio nuncupatus. Sueton. Octav. cap. 62. & 63. Vell. Patercul. jam cit. Cornel. Tacit. Annal. 1. &c.

29. *Fortes creantur fortibus.*) ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοί. Arist. Contrarium tamen evenit non raro: nam & *filii heroum noxa* interdum. Sic degeneres extitere filii Samuelis Prophetæ, Alcibiadis, *Dionysii*, Periclis, *Socratis*, Ciceronis, &c.



Pot-

Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, o Roma, Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen, & Aſdrubal
Devictus, & pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus almâ riſit adoreâ;
Dirus per urbes Afer ut Italas.

INTERPRETATIO.

*In juvencis & in equis patrum virtus reſidet. Nec aquilæ producunt columbam minime bellicoſam. At eruditio virtutem ingenitam prevehit, & bona diſciplina reddit animum fortem: quandocumque diſciplina deeſt, vitia deturpant naturæ bonitatem.* *O Roma, quantum debeas Neronibus teſtantur Metaurus fluvius, atque Aſdrubal profligatus, & dies ille Italiæ caligine depulsâ lætus, qui primus victoriæ gloriosâ reſplenduit, quando crudelis Africanus per Italiæ civitates diſcurrebat*

ANNOTATIONES.

Porro vice verſa a malis & ignavis aliquando exorti ſunt boni & fortes, teſtibus hiſtoricorum monumentis. Vide Valer. Maxim. lib. 3. c. 4. & 5.

*Et bonis.* ) Hæc aliqui jungunt cum ſequentibus, nec abſurde.

33. *Doctrina ſed vim promovet inſitam.* ) Bona educatio & ſtudioſa inſtitutio promovet *vim inſitam*, ſeu naturæ bonitatem; ſuſtinet, excolit, auget.

35. *Utcunque defecere mores, &c.* ) Si quando non adeſt bona diſciplina & morum inſtitutio, tum corrumpitur optima quælibet indoles; continuo perit, & in pravitatem defluit. Cic. Tuscul. 3. cap. 2. *natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat. Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem ſimul ac in lucem editi ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſamur . . . tum variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat, &c.*

37. *Quid debeas, o Roma, Neronibus.* ) Scilicet *Claudius Nero adventantem ex Hiſpania cum ingentibus copiis Aſdrubalem, priuſquam Annibali fratri conjungeretur, oppreſſit.* Suetun. Tiber. 2. 2. opportune quidam: nam actum erat de Imperio Romano, ſi cum Annibale fratre novum ac integrum exercitum Aſdrubal junxiſſet.

*Nero.* ) Sabina vox ſignificans ſtrenuum ac fortem.

38. *Metaurum flumen, &c.* ) Hoc Umbriæ flumen, hodie *Metro*, labitur in Adriaticum mare. Strabo lib. 6. Plin. lib. 3. illic vero Claud. Nero Conſul junctis celeriter copiis cum ſuo collega M. Livio Salinatore, ivit obviam Aſdrubali, cum millibus hominum quinquaginta ſex adventanti, ut dictum eſt, ac devicit; an. U. C. 546. ejuſque caput præciſum ad Annibalis caſtra perlatum & ad pedes cum eſſet projectum, hunc tanto pavore ac ſtupore concuſſit, ut infelicitatem Carthaginis agnoſcens incuſanſque de fuga deinceps tantummodo cogitaverit. Valer. Maxim. lib. 4. c. 1. Oros. lib. 4. c. 18. Tit. Liv. lib. 27. 28. Luc. Flor. l. 2. c. 6. &c. Adverte Druſum ac Tiberium oriundos ab illis Conſulibus, & paternum genus duxiſſe a Claudio Nerone, maternum autem a Livio Salinatore.

*Aſdrubal devictus.* ) Is nimirum qui Scipiones in Hiſpania prodigarat.

39. *Pulcher fugatis ille dies Latio tenebris.* ) Tit. Liv. lib. 28. cap. 9. *omni multitudine obviam effuſâ . . . non ſalutabant modo univerſi circumfuſi,* ( circa Claudium & Salinatorem Conſ. ) *ſed & contingere pro ſe quiſque victrices dextras Conſulum cupientes, alii gratulabantur, alii gratias agebant, quod eorum operâ incolumis Reipublica eſſet. In Senatu quoque, &c.*

41. *Adoreâ.* ) Victoria, laude, gloriâ, Faſt. adoream laudem ſeu gloriam dicebant, quia glorioſum putabant eum qui farris copiâ abundaret: melius alii, quia ſtrenuis & iis qui fortiter dimicaſſent militibus farris menſura diſtribui ſolita erat. Unde & *adorea* pro laude bellica. Nam far ſeu frumentum appellatum eſt *ador*, ab edendo, vel adurendo. Plaut. Amphitr. Act. 3. *Qui multa prædâ atque adoreâ affecit populares ſuos.* Plin. lib. 18. cap. 3. *gloriam denique ipſam a farris honore adoream appellabant.* Apuleius l. 3. *poteſtam iſtam virtutis adoream mihi numerare.*

42. *Afer.* ) Annibal, de quo lib. 2. Od. 12.

Digitized by Google

Ceu flamma per tædas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, & impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos.
Dixitque tandem perfidus Annibal:
Cervi, luporum præda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere & effugere est triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio
Jactata Tuscis æquoribus, sacra,
Natosque, maturosque patres
Pertulit Ausonias ad urbes:
Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,

INTERPRETATIO.

*velut ignis per tædas, vel Eurus per mare Siciliæ. Exinde Romana juventus semper felicibus expeditionibus inclaruit; & templa scelerato Carthaginensium bello diruta stantes habuerunt Deos. Tandemque perfidus Annibal dixit:* nos tanquam *cervi, præda luporum rapacium, sponte sequimur* Romanos, *quos declinare & evitare insignis est triumphus.* Illa *natio, quæ ab incensa Troia ad Italiæ civitates, Etrusco exagitata mari, fortiter transportavit sacra, liberos, & senes grandævos; sicut ilex durâ securi attensa in Algido umbrosarum frondium fertili,*

ANNOTATIONES.

43. *Ceu flamma.*) Omnia igni ferroque vastans.
*Tædas.*) Arbores ignem facile concipientes, ob resinam quam continent: e genere sunt pinuum. De iis Plin. lib. 16. cap. 10. & seq.
*Eurus.*) Ventus ab ortu flans, pro quolibet vento: & *unda Sicula*, pro quolibet mari. Synecdoch.
45. *Post hoc secundis usque laboribus, &c.*) Cæso Asdrubale, Annibale victo & Pœnis ex Italia exterminatis, in dies magis ac magis prospera gessere bella Romani; increvit inclaruitque *pubes* & virtus *Rom.* imo belli incendia in Africam & Carthaginem ipsam transmissa sunt. Vide Flor. lib. 2. c. 6.
48. *Fana Deos habuere rectos.*) Quidam explicant *rectos*, æquos & vindices in impium Annibalem: alii, stantes, ac in suo loco restitutos Deorum imagines, quas impie deturbarant Pœni, absque ulla Numinum reverentia. Tit. Liv. lib. 26. c. 11. *Ad lucum Feroniæ . . . templum eâ tempestate inclytum divitiis . . . his omnibus spoliatum est.*
49. *Perfidus Annibal.*) Tit. Liv. l. 21. c. 4. vivam Annibalis imaginem graphice delineatam exhibet. *Plurimum audaciæ ... plurimum consilii ... nullo labore corpus fatigari, aut animus vinci poterat ... Inhumana crudelitas, perfidia plusquam Punica; nihil veri, nihil sancti, nullus Deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio.*
*Dixit: cervi, luporum præda, &c.*) Bella hæc laus ex hostium ore profecta. Aristoteles eum asserit vere bonum, quem perinde inimici & improbi adeoque universi laudent.
50. *Cervi, luporum præda, &c.*) Nos Carthaginenses tanquam *cervi* imbelles *ultro sectamur* Romanos, quorum veluti *luporum rapacium* futuri sumus *præda*; quosque potius *fallere*, seu evitare contra debemus: nam hos *effugere opimus* nobis *est triumphus*. Scilicet fortiorem declinare hostem species est quædam victoriæ.
53. *Gens quæ cremato, &c.*) Romana gens a Troianis oriunda. Vide Justin. lib. 43. item Carmen Sæculare post Epodos.
54. *Sacra, natosque, &c.*) Æneid. 1. v. 10.
*Inferretque Deos Latio.*
Et Æneid. 9. v. 747.
*Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates.*
55. *Maturos.*) Ætate & virtute.
56. *Ausonias.*) Synecdoch. pars pro tota Italia. Nam Ausonia regio est Campaniæ.
57. *Duris ut ilex, &c.*) Sicut ilex & alia quælibet arbor resectis ramis uberius pullulat & crescit: ita Romani adversis casibus attriti invalescunt magis ac magis. Certe quando Annibal maxime Romanos, deletis eorum exercitibus, premebat; tum copias tamen summittebant in Hispaniam, Siciliam, Sardiniam: adeoque locis quatuor uno eodemque tempore depugnabant. Vide Æneid. 2.
58. *Algido.*) Hic mons agri Tusculani pro quolibet alio ponitur. De eo lib. 1. Od. 21.

Digitized by Google

Per damna, per cædes ab ipso
Ducit opes animumque ferro.
Non Hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve summisere Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.
Merses profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multâ proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prœlia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuntios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis, & fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interempto.
Nil Claudiæ non efficient manus:
Quas & benigno numine Jupiter
Defendit, & curæ sagaces
Expediunt per acuta belli.

## INTERPRETATIO.

*jacturas inter & cædes potentiam ac virtutem depromit ab ipso ferro. Non hydra amputato corpore vegetior repullulavit contra Herculem superari haud æquo animo ferentem, neque gravius portentum invexere Colchi, vel Thebæ Echionis opus. Si mari demergas, clarior redit: si oppugnes, cum summa gloria debellavit victorem integrum, ac certamina matronis prædicanda conficiet. Non ultra ego nuntios arrogantes mittam ad Carthaginem. Certe spes omnis & fortuna nostræ gentis interiit, Asdrubale interfecto. Claudiæ stirpis potentia quidlibet molietur. Hanc & tuetur Jupiter numine propitio, & liberat solers consilium inter militiæ difficultates.*

## ANNOTATIONES.

61. *Hydra.*) Portentosa serpens, pluribus horrida capitibus, quorum uno absciso, aliud renascebatur, imo septem alia succrescebant. Ita fabulatores. At constat Hydram fuisse locum aquas evomentem copiosiores, in intimo sinûs Argolici recessu, & quod uno meatu obstructo, multis aliis erumpebant, totam regionem circumvastantes: tamen adhibito incendio Hercules exsiccavit eam paludem, Lernam nomine: unde Lernæum monstrum ab illo domitum inter alia celebratur. Paleph. Hygin. Diod. Sicul. lib. 5. c. 2. Virgil. Æneid. 8. v. 300.

*Lernæus turbâ capitum circumstetit anguis.*

*Firmior.*) Supple, quam fuit Romana gens, & excrevit invaluitque in nos Pœnos: sicut hydra adversus Herculem ubique vincere assuetum, proindeque nec semel vinci patientem.

62. *Monstrumve summisere Colchi.*) Loquitur de dracone insomni ac terribili velleris aurei custode, cujus e dentibus seminatis armati homines exorti Medeæ carminibus ad mutuam internecionem incitati periere: vel de ipsis illis prodigiosis hominibus. Vide Metamorph. lib. 7.

*Colchi.*) Hi populi Asiæ ad Euxinum Pontum, ubi nunc Mengrelia, pars Georgiæ regionis.

*Echioniæve Thebæ.*) Cadmus Rex Thebarum seminatis pariter, ut de Iasone supra dictum, draconis dentibus, repente nasci vidit exercitum ad arma mutuamque cædem paratum. Inde vero superfuit Echion, postea Cadmi gener, atque in ædificandis Thebis adjutor.

65. *Merses.*) Ab inusitato *merso, as.*

68. *Conjugibus loquenda.*) Inter conjuges & quaslibet mulieres sermone celebranda prœlia; seu viri illarum aut filii vel cognati victi victoresve fuissent.

69. *Carthagini non ego nuntios mittam, &c.*) Non deinceps mittam Carthaginem superbos victoriarum mearum nuntios, inquit Annibal, quales post Cannensem cladem, &c. Vide Tit. Liv. l. 25. cap. 11. & 12.

73. *Claudiæ manus, &c.*) Vires, consilia, solers industria Neronum Claudiâ gente oriundorum. Sueton.

76. *Acuta belli.*) Belli subita pericula, doli, insidiæ, stratagemata.

## AD AUGUSTUM.

## ODE V.

*Ut suum in urbem reditum acceleret.*

Divis orte bonis, optime Romulæ
Custos gentis, abes jam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus patrum
  Sancto concilio, redi.
Lucem redde tuæ, dux bone, patriæ:
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo, gratior it dies,
  Et soles melius nitent.
Ut mater juvenem, quem Notus invido
Flatu Carpathii trans maris æquora
Cunctantem spatio longius annuo
  Dulci distinet a domo,
Votis omnibus hunc & precibus vocat,
Curvo nec faciem litore demovet:
Sic desideriis icta fidelibus.
  Quærit patria Cæsarem.
Tutus bos etenim rura perambulat:

### INTERPRETATIO.

*O Populi Romani tutor præstantissime, ominibus propitiis nate, jam nimis diu absens fuisti: revertere qui promisisti sacro Senatorum cœtui celerem reditum. Optime Princeps restitue lumen patriæ tuæ. Nam quando facies tua tanquam vernum tempus apparuit, jucundiores fluunt horæ, & dies clarius fulgent. Sicut mater crebris votis ac precibus expetit filium, quem Auster adversis flatibus removet a dulci domo, plus anno intervallo morantem ultra mare Carpathium, neque vultum avertit ab incurva ripâ: Ita patria desideriis accensa fidelibus exoptat Augustum. Nam bos securus per campos vagatur:*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 6. Lib. 1.

1. *Divis orte, &c.*) Senatûs Populique Romani amorem erga Cæsarem Augustum vivis pingit coloribus.

2. *Abes jam nimium diu.*) Tribus annis Româ Cæsar abfuit, in Gallias profectus an. U. C. 737.

3. *Maturum reditum pollicitus, &c.*) Seu antequam abiret, seu per litteras, seu legationibus, a Senatu populoque Romano ad Augustum missis. Cunctanti vero hanc Oden scripsit Poeta.

9. *Ut mater.*) Nil suavius ista comparatione.

10. *Carpathii.*) De eo mari lib. 1. Od. 35. v. 8.

13. *Votis omnibus hunc.*) Legunt plerique, *votis ominibusque*, hoc sensu: mater socia non tantum vota precesque Diis nuncupat pro filii reditu & incolumitate, sed & omina quævis accipit, quasi totidem præsagitiones.

14. *Nec faciem litore demovet.*) Observans adventantes undequaque naves, præ desiderio filii absentis, quem singulis horis redeuntem exspectat & exoptat. Sic Tobiæ mater *quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem... Et sedebat secus viam quotidie, in supercilio montis, unde respicere poterat de longinquo. Et dum specularetur adventum filii* jam dudum absentis, *vidit a longe, & illum agnovit venientem, currensque nuntiavit viro suo, &c.* cap. 10. & 11. Tob.

16. *Quærit patria Cæsarem.*) Vota publice suscepta pro reditu Augusti, refert Dio lib. 54. Vide Sueton. Octav. c. 57. Huc & referri potest cusum numisma ex una parte continens Epigraphen, *S. P. Q. R. Cæsari Augusto:* ex altera vero: *Vota publ. suscepta pro salute & reditu.*

17. *Tutus bos etenim, &c.*) Rationes affert ob quas Romani tantopere Augustum diligant: nimirum tot acceptis per eum muneribus ac beneficiis non poterant non vehementer amare. Per Augustum ubique firmata pax, terrâ marique securitas, leges constitutæ, nefas quodvis edomitum, re-

Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas:
Pacatum volitant per mare navitæ:
  Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos & lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperæ:
  Culpam pœna premit comes.
Quis Parthum paveat? Quis gelidum Scythen?
Quis Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæsare? Quis feræ
  Bellum curet Iberiæ?
Condit quisque diem collibus in suis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina redit lætus, & alteris
  Te mensis adhibet Deum.
Te multâ prece, te prosequitur mero
Defuso pateris; & Laribus tuum

INTERPRETATIO.

*agros fovet Ceres & abundans felicitas, nautæ mari tranquillo navigant: fidelitas cavet vituperari: nullis flagitiis contaminantur familiæ pudicæ: disciplina & leges vicerunt turpe crimen: matres laudantur ob filios similes: pœna sequitur & plectit scelus. Augusto salvo quis timeat Parthos? Quis Scythas frigidos? Quis homines, quos gignit immanis Germania? Quis expavescat bella Hispaniæ ferocis? Unusquisque diem finit in suis collibus, atque vitem maritat viduis arboribus: inde hilaris revertitur ad cœnam: teque numen invocat mensis secundis: de pluribus votis, te vino de crateribus fuso colit, & numen tuum adjungit Laribus,*

ANNOTATIONES.

repressi hostes, &c. Vide Od. 14. & 15. hujus lib.

22. *Mos & lex.*) Lib. 3. Od. 24. *Quid leges sine moribus vanæ proficiunt?* Vide Sueton. Octav. cap. 34. ubi mentio legis Juliæ *de coercendis adulteriis & de pudicitia, &c. . . . . cumque vim legis eludi sentiret crebrâ matrimoniorum mutatione, &c. tempus sponsas habendi coarctavit: divortiis modum imposuit.*

23. *Laudantur simili prole puerpera.*) Martial. lib. 6. Epigram. 27.

*Est tibi quæ patrii signatur imagine vultus*
  *Testis maternæ nata pudicitiæ.*

Catull. in Nupt. Juliæ & Manlii Torquati, Carm. 62.

*Torquatus volo parvulus*
. . . . . . . . . . . .
*Sit suo similis patri*
*Manlio, & facile insciis*
*Noscitur ab omnibus:*
*Et pudicitiam suæ*
*Matris indicet ore.*

24. *Culpam pœna premit comes.*) Frustra lex vetat scelus, nisi in sceleratos animadvertetur. At *pœna comes* coercet peccandi libidinem. Plato de leg. 5. τιμωρία ἀκολουθεῖ ἀνάγκη.

25. *Quis Parthum paveat, &c.*) Vide lib. 1. Od. 21. sub finem. Od. 19. v. 12. lib. 3. Od. 5.

*Quis gelidum Scythen.*) Lib. 1. Od. 19. & 35. Lib. 2. Od. 9. in fine. Lib. 3. Od. 24. v. 9.

26. *Quis Germania quos, &c.*) Vide Flor. lib. 4. cap. 12. *domuit Usipetes, Tenctheres, Cattos . . . inde validissimas nationes, Cheruscos, Suevos, Sicambros, &c. ... Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra viderentur.*

*Horrida.*) Sive ob mores barbaros, sive ob prægrandes viros, & ingentia corpora Germanorum. Cæsar Comment. Cornel. Tacit. de moribus Germanorum. Plutarch. &c.

28. *Iberia.*) Ab Ibero flu. Iberia dicta: est Hispaniæ pars: & per synecd. tota sic vocatur. Vide lib. 2. Od. ult. v. 20. Flor. mox cit. *pacata fere omnis Hispania, &c.* Et postea: *hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit: idem rebellandi finis Hispaniæ, &c.*

29. *Condit quisque diem, &c.*) Arat colitque agros suos quisque, & operi vacat rustico, e mane ad vesperam, sine ullo metu hostili. Virgil. Ecl. 9.

*Cantando puerum memini me condere soles.*

31. *Alteris te mensis adhibet Deum.*) Ex Senatusconsulto cautum fuit ut in conviviis tum publicis tum privatis Augusto ab omnibus libaretur. Dio lib. 50. is nempe mos apud veteres, ut remota prima mensa, quæ ciborum seu carnium erat, secunda adhiberetur fructibus & bellariis onusta, cum exquisitissimo vino, e quo fiebant libationes, adjunctis precibus, in honorem Deorum. Vid. Virgil. Æneid. 1. v. 727. & 735. & Æneid. 8. v. 283. nec non Georgic. 2. v. 101.

34. *Laribus.*) Diis imperii Tutelaribus perinde ac ædium privatarum.

*Tuum miscet numen.*) Teque adeo veneratur,

Miscet numen, uti Græcia Castoris
Et magni memor Herculis.
Longas o utinam, Dux bone, ferias
Præstes Hesperiæ, dicimus integro
Sicci mane die: dicimus uvidi,
Cum Sol Oceano subest.

INTERPRETATIO.

*quemadmodum Græcia Castoris & magni Herculis, erga illos grata. O utinam, bone Princeps, Italiæ dones festos diuturnos.* Hoc precamur *sobrii primo diluculo:* hoc & repetimus *bene poti, quando Sol occidit sub Oceano.*

ANNOTATIONES.

tur, ut numen aliquod Romanis rebus propitium. Non absurde legunt quidam, *nomen*.

36. *Memor.*) Acceptorum videlicet ab eis beneficiorum. Hercules enim a monstris & aliis incommodis vindicavit multas ac diversas Græciæ regiones. Castor autem & Pollux mari pirates exegerunt, navigationemque ideo juvare tanquam numina quædam benigna existimati sunt; imo velut maris Dii coluntur, &c.

37. *Ferias.*) Dies festus lætosque, diuturnum otium, securitatem perpetuam.

38. *Hesperiæ.*) Italia sic appellata. Vide lib. 1. Od. 28. ubi, *fluctibus Hesperiis*. Et lib. 2. Od. 1. sub finem, ubi, *Hesperiæ sonitum ruinæ*. Nec non lib. 1. Od. 36. v. 4.

*Integro.*) Vixdum incœpto.

39. *Sicci.*) Sobrii, abstemii, jejuni.

*Uvidi.*) Vino perfusi, cœnati.

40. *Cum Sol Oceano subest.*) Nam veteres cœnam producebant ad multam noctem.

# ODE VI.

## *AD APOLLINEM ET DIANAM.*

Dive, quem proles Niobæa magnæ
Vindicem linguæ, Tityosque raptor
Sensit, & Troiæ prope victor altæ
Phthius Achilles;
Cæteris major, tibi miles impar,

INTERPRETATIO.

O *Deus, quem superbi sermonis ultorem experti sunt filii Niobes, ac Tityus raptor, atque Phthius Achilles famosæ Troiæ propemodum expugnator: aliis* quidem *fortior, te vero inferior miles;*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 2. Lib. 1.

1. *Dive, &c.*) Carmen hoc, ut & 21. l. 1. Seculare inscribi solet, ut annotavi ibidem: neutrum tamen proprie titulum hunc meretur, sed illud tantum quod habetur post Epodos. Vide ibi annot.

*Quem proles Niobæa, &c.*) Apollo, qui honorem Latonæ matris tuæ vindicasti adversus arrogantiam Niobes, quæ se ausa est jactare fœcundiorem ac feliciorem partubus ac sobole, præ ipsa Latona duos tantum enixa, cum ipsa numerosam pulchramque genuisset prolem. Gell. lib. 20. c. 6. *Mira, inquit, & prope adeo ridicula diversitas fabulæ apud Græcos Poetas deprehenditur super numerum Niobæ filiorum. Nam Homerus pueros puellasque ejus senos fuisse dicit, Euripides bis septenos, Bacchilides & Pindarus bis denos. Quidam alii tres fuisse solos scripserunt.* Porro filios Niobæ omnes Apollo, filias Diana sagittis confixos peremerunt: Niobe vero in saxum mutata fertur. Homer. Iliad. ult. Ovid. Metamorph. 6. cap. 3. Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 12. Juvenal. Sat. 6. v. 173. & seq. Auson. Epitaph. 27. de Niobe:

*Bis septem natis genitrix læta atque superba,*
*Tot dunt mater funera quot genui.*
*Nec satis hoc Divis; duro circumdata saxo*
*Amisi humani corporis effigiem, &c.*

Niobe Tantali filia, uxor vero Amphionis Thebarum regis.

2. *Tityosque raptor.*) Vide l. 2. Od. 14. l. 3. Od. 4.

4. *Phthius Achilles, &c.*) Oriundus e Phthia urbe Thessaliæ.

*Troiæ prope victor.*) Qui interfecto Hectore Troiæ defensore præcipuo, ejus urbis expugnationem reddidit facilem: quam certe accelerasset, nisi a Paride fuisset interemptus, ut mox dicetur.

5. *Impar tibi.*) Achilles Græcorum fortissimus, Troianorum terror, haud vero par tibi, Phœbe, qui sub figura Paridis latens eum occidisti. Hygin. &c. alit, quod scribit Virgil. Æneid. 6. v. 57.

*Dardana qui Paridis direxti tela manusque*
*Corpus in Æacidæ.*

Digitized by Google

Filius quamvis Thetidos marinæ
Dardanas turres quateret tremendâ
Cuspide pugnax.
Ille, mordaci velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,
Procidit late, posuitque collum in
Pulvere Teucro.
Ille non inclusus equo Minervæ
Sacra mentito, male feriatos
Troas & lætam Priami choreis
Falleret aulam:
Sed palam captis gravis, heu nefas, heu!
Nescios fari pueros Achivis
Ureret flammis, etiam latentes

## INTERPRETATIO.

*quanquam Thetidis marinæ filius Trojanas arces impugnaret hastâ tremendâ vertans. Is sicuti pinus rdasr securi percussa, vel cupressus Euro dejecta, late procubuit, cervicemque demisit in pulvere Trojano. Ille non clausus equo sacra Palladis simulante decepisset Trojanes perperam otiantes, & aulam Priami saltationibus gaudentem: sed aperte in expugnatos immitis, heu nefas, heu! Infantes cremasset igoibus Græcis, nec non*

## ANNOTATIONES.

6. *Thetides marina.*) Achillis erat mater Thetis, filia Nerei Dei marini. lib. 1. Od. 8.

7. *Dardanas turres.* Dardanus Jovis filius ex Electrâ Atlantis filiâ ab Africa venit in Asiam, conseditque in regione Hellesponto vicinâ. Ibi Dardanum urbem condidit, quæ postea Troia a rege Troe dicta. Virgil. Æneid. 8. v. 134.

*Dardanus Iliacæ primus pater urbis & auctor.*

*Tremendâ cuspide.*) Ex Homer. Iliad. 19. sub finem; hastam Achilles paternam gerebat gravem & ingentem, quam crispare aut vibrare solus noverat; a Chirone incisam, ad eundem heroum.

9. *Ille mordaci velut, &c.*) Casus Achillis gravis & magnus, quemadmodum corpus & animus magna fuerunt. Sic de Entello Virgil. Æneid. 5. v. 447.

*Ipse gravis, graviterque ad terram pondere vasta*
*Concidit: ut quondam cava concidit, aut Erymantho*
*Aut Idâ in magnâ radicitus eruta pinus.*

10. *Impulsa cupressus Euro.*) Velut ingens arbos vi ventorum prostrata.

11. *Posuitque collum in pulvere Teucro.*) Lib. 4. Od. 7. v. 12. similem dictionem vide ibique annot. Hic noster indicat Achillem cecidisse in Troiano campo & certamine: quod idem scribit Ovid. Metamorph. 12. c. ult. ubi Apollo Paridi

*. . . Ostendens sternentem Troica ferro*
*Corpora Peliden, arcus obvertit in illum,*
*Certaque lethiferâ direxit spicula dextrâ.*

Itaque non indecoro pulvere sordidus occubuisset. Alii vero, eum ad nuptias Polyxenæ contenderet, in templo Apollinis sagittâ in calce percussum a Paride post illius Dei simulacrum latente.

12. *Teucro.*) Pro *Teucrio*. Teucri dicti sunt Troiani, & Troas ac Troia Teucria, a Teucro (Non illo Græco, Ajacis fratre) Phrygiæ rege, cujus filiam duxit Dardanus, eique in regnum successit.

13. *Ille non inclusus, &c.*) Adverte quam extollat Achillis fortitudinem, ut eo majorem pareret gloriam victori ejus Phœbo. Quod si, inquit Poeta noster, vixisset Achilles, nequaquam opus Græcis fuisset machina illâ, seu equo ligneo, quem placandæ Minervæ causâ fabricatum illi mentiti sunt: sed aperto Marte, absque dolis aut insidiis, Troiam ac Troianos debellasset. Vide Virg. Æneid. 2.

*Votum pro reditu simulant.*

14. *Male feriatos.*) Impudenter ac intempestive abjectis armis festa celebrantes, dum sola adhuc cervicibus incubaret hostis. Virgil. Æneid. 2. v. 25.

*Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas.*
*Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu:*
*Panduntur portæ, &c.*

15. *Lætam choreis, &c.*) Aulam regis totamque urbem choreis & lætitiæ vacante, cum tamen extrema instarent fata. Virgil. Æneid. 2. v. 234.

*Dividimus muros & mœnia pandimus urbis.*
*. . . . . Scandit fatalis machina muros*
*Fœta armis: circum pueri innuptæque puellæ*
*Sacra canunt, &c.*

v. 248.

*Nos delubra Deûm miseri, quibus ultimus esset*
*Ille dies, festâ velamus fronde per urbem.*

17. *Sed palam captis, &c.*) Sic belle exprimit Horatius indolem Achillis, ut & Epist. ad Pisones, v. 122.

*Si forte reponis Achillem;*
*Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,*
*Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.*

19. *Etiam latentes matris in alvo.*) Apud Homer.

Digitized by Google

Matris in alvo:
Ni tuis victus Venerisque gratæ
Vocibus, Divûm pater annuisset
Rebus Æneæ potiore ductos
Alite muros.
Doctor argutæ fidicen Thaliæ,
Phœbe, qui Xantho lavis amne crines,
Dauniæ defende decus Camœnæ
Levis Agyieu.
Spiritum Phœbus mihi, Phœbus artem
Carminis, nomenque dedit poetæ.

## INTERPRETATIO.

*ventre materno inclusos; nisi Deorum pater tuis ac Veneris jucundæ precibus exoratus concessisset Æneæ laboribus mœnia felicioribus auspiciis extructa. O Apollo citharista, Thaliæ bene canentis eruditor, qui Xantho flumine lavas capillos; imberbis Agyieu, tuere gloriam Musæ Appulæ. Apollo mihi ingenium, Apollo facultatem poeseos & vatis appellationem tribuit.*

## ANNOTATIONES.

mer. Iliad. Agamemnon præcipit Menelao ne parcat cuiquam Troianorum, neque ipsis infantibus materno utero inclusis.

21. *Ni tuis victus, &c.*) Apollo & Venus Trojanis faventes apud Jovem supplicarunt, ut quoniam in fatis erat Troiam exscindi, saltem perempto inexorabili Achille, liceret Æneæ ac sociis aliquot e Græcorum evadere manibus, atque novam gentem urbemque feliciori augurio condere in Italia. Vide Æneid. 1. v. 233. & seq. v. 260. & seq.

23. *Potiore alite.*) Ex alitum aspectu captari auspicia, alibi notavi. Huc vero spectat quod æternam fore Romam credebant Romani, & apud Virgil. cit. ita spondet Jupiter:

*Imperium sine fine dedi.*

25. *Doctor argutæ, &c.*) Placet quibusdam *ductor*, ut reddatur illud Græcorum μουσηγέτης. Verumtamen nihil mutabit lector sagax.

*Thaliæ.*) Pro qualibet Musarum hæc ponitur, quæ dicta ἀπὸ τοῦ θάλλειν, *florere*; quod Poetas faciat gloriâ & famâ florentes.

26. *Qui Xantho lavis amne crines.*) Sic lib. 3. Od. 4.

*Qui rore puro Castaliæ lavit*
*Crines solutos.*

Capillos antiqui in fluviis aut fontibus lavabant, seu munditiei seu nitoris augendi causa. Sensus itaque est, qui dominaris iis regionibus, quas rigat Xanthus. Porro Xanthus duplex: alter in Troade, ex Ida monte in Hellespontum defluens, qui & Scamander appellatur a nonnullis. Neque hunc intelligere istic licet: siquidem in ea regione Apollo non colebatur. Alter ejusdem nominis fluvius est in Lycia, e monte Cadmo scaturiens, Xanthumque orbem interluens, Glaucus Plinio, Straboni Sirbis dictus, vulgo etiam *Sirbi*; quem sane designat hic Horatius, qui loco supra citato, de eodem Apolline dixit: *qui Lyciæ tenet dumeta*. Sunt qui alludi putant ad vocem ξανθὸς *flavus*, eo quod Apollinis flava cæsaries celebretur.

27. *Dauniæ defende decus Camœnæ.*) Mihi patrocinare: cui *spiritum & carminis artem dedisti*, *nomen & decus* tribue, defende, amplifica; pariterque gloriam Latinæ poeseos.

*Dauniæ.*) Vel, per synecdochen, intellige totam Italiam, cujus pars est Daunia, sive Apulia a Dauno rege appellata; hodie, *la Capitanata*. De ea jam lib. 1. Od. 22. & lib. 2. Od. 1. vel respexit noster Poeta suam patriam, adeoque suam Musam Apollini commendat. Sic *Calabras Pierides* pro Enniana poesi; *Ceam Camœnam* pro Simonidea: *Teiam Musam* pro Anacreontica, ante dixit. Ergo & hic *Dauniam Camœnam* pro Venusina; quia Venusium in finibus est Apuliæ sive Dauniæ, qua in urbe natus Horatius.

28. *Levis.*) Sive *lævis*, λεῖος, *politus*, *imberbis*, utpote juventute florens perpetuâ. Talis enim colitur Apollo.

*Agyieu.*) Ἀγυιὰ, *vicus*, *via*. Hinc Apollo Ἀγυιεὺς, eo quod in viis coleretur, & columnæ Apollini sacræ pro foribus starent. Eustath. Sive Dorico isto vocabulo significantur columnæ in coni formam desinentes, Apollini vel Baccho sacræ, quas ante fores ædium pridem erigebant. P. Bembus ex Suida. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 9. *Apud Græcos Apollo* ἀγυιεὺς *nuncupatur, quasi viis præpositus urbanis: illi enim vias quæ intra pomarium sunt, ἀγυιὰς appellant.*

29. *Spiritum Phœbus, &c.*) Hactenus Poeta laudat invocatque Apollinem: jam quæ ab illo afflatus condit carmina, prædicat, ac rite & religiose canenda præcipit. *Spiritum*, venam divitem. Epist. ad Pisones: *artem carminis*, ingenium non rude sed arte excultum, ibid. vocat.



Digitized by Google

Virginum primæ, puerique claris
Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ, fugaces
Lyncas & cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum:
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite crescentem face noctilucam;
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menses.
Nupta jam dices: Ego Diis amicum,
Seculo festas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horati.

## INTERPRETATIO.

*O puella primaria, & pueri illustribus parentibus nati, clientes Deæ Deliæ, quæ timidos lyncas & cervos arcu prosternit, custodite mensuram Sapphicam & pollicis mei sonum: rite celebrantes filium Latonæ, rite Dianam lumine augescentem, frugibus propitiam, fluxis mensibus evolvendis promptam. Aliquando connubio juncta dices: Ego poeta Horatii versibus erudita cecini carmen gratum Numinibus, quando sæculum reduxit dies solemnes.*

## ANNOTATIONES.

32. *Virginum primæ, &c.* ) Julia Augusti filia, Marcellæ Marcelli & Octaviæ sororis Augusti filiæ: vel Julia & Agrippina neptes ex Agrippa & Julia.

*Puerique, &c.* ) C. L. nepotes Augusti. Hæc Lambinus certe dormitans. Imo compellat Horatius virgines quasque nobiles, ac pueros prætextatos, a quibus ex more carmen seculare concinendum erat: ut amplius deinde suo loco dicam, nimirum in Carmine Seculari, post Epodos.

33. *Deliæ tutela Deæ.* ) Hujus enim erant in clientela seu tutela, ejusque laudes celebrare consueverant. Vide lib. 1. Od. 21.

*Deliæ.* ) A Delo insula, ubi nata & præcipue observata Diana. Vide lib. 3. Od. 4. v. 64. Catull.

*Dianæ sumus in fide*
*Puellæ & pueri integri.*

34. *Lyncas & cervos cohibentis arcu.* ) Venatione gaudentis, ferasque sagittis & arcu vulnerantis occidentisque. *Lynx*, acutissimi visûs animal, instar leopardi distinctum maculis, vernacule *once*, vel, *lonce* vocatur. Lupum cervarium aliqui dicunt; jure, an injuria? Vide Gesner. de quadruped. Plin. lib. 28. &c. De iis jam lib. 2. Od. 13. v. ult.

35. *Lesbium servate pedem, &c.* ) Sapphici mei carminis observate mensuram, & ad meæ lyræ sonum voces & cantus vestros aptate diligenter. Sappho e Lesbo insula, nomen dedit & originem Sapphico carmini. Vide lib. 2. Od. 13. cit. ibique annot.

*Meique pollicis ictum.* ) Quasi pulsat ipse citharam, hæc ait, ac veluti chorodidascalus, exemplo Græciæ Lyricorum. Theod. Marcil.

37. *Rite.* ) Ex ritu antiquo & solemni.

*Crescentem face noctilucam.* ) Diana eadem ac Luna, nocte lucens, νυκτιλαμπὴς Simonidi apud Dionys. Halic. Incrementa lucis ac decrementa singulis mensibus habere cognoscitur; orbem suum conficit diebus circiter 28. unde *menses pronos celeriter volvere* dicitur mox. Cic. de Nat. Deor. 2. num. 68. *Luna a lucendo nominata, eadem Lucina: ut apud Græcos Diana, eaque Lucifera invocatur a parentibus, sic apud nostras Juno Lucina. Eadem Diana omnivaga dicitur, non a venando, sed quod in septem numeratur quasi vagantibus. Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod ii maturescunt aut septem nonnunquam, aut plerumque novem Lunæ cursibus: qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur.*

39. *Prosperam frugum.* ) Frugibus vegetandis vim humore suo impertit Luna.

41. *Nupta jam dices, &c.* ) Cum nupta olim eris, tum non sine gaudio dices: ego pridem adolescentula & virgo, carmen seculare ab Horatio compositum recitavi cum meis æqualibus. Hoc ideo ait, quod ea veteribus opinio insederat, connubium celerius ac felicius iis provenire, a quibus seculare carmen, in honorem scilicet Apollinis ac Dianæ, decantatum fuisset in ludis secularibus.

42. *Seculo festas referente luces.* ) Quanto apparatu, quantâ lætitiâ celebrarentur ludi seculares, dicam in carmine seculari. Tunc feriati omnes, & hilaritati sacrisque operam dare jubebantur.

## *AD TORQUATUM.*

# ODE VII.

*Vita bilariter ducenda, quia res omnes diffluunt.*

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comæ.
Mutat terra vices, & decrescentia ripas
Flumina prætereunt.
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris: ver proterit æstas
Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit: & mox
Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant cælestia Lunæ:
Nos ubi decidimus

### INTERPRETATIO.

*Abierunt nives: jam agris herba renaseuntar, & frendes arberibus. Terra mutat randitionem: atque fluvii imminuti labuntur juxta ripas. Gratia cum Nymphis ac benis sororibus aeu veretur nuda thoreas celebrare. Annus & hora qua gratum diem aufert, immortalitatem sperare vetat. Hyems temperatur Zephyris: vernam tempestatrm absumit æstiva similitas peritura, posteaquam Autumnus fruges prodaxrrit: statimque pigra redeunt frigora. Luna tamen cito resarciunt detrimenta cali: at nos simul ac devenimus eo*

### ANNOTATIONES.

Hæa Ode est dicolus distrophos. Primus quisqua versus est hexametar heroiaus, alter est dactyliaus arahilochius dimeter, aonstans duobus dactylis & una syllabe.

1. *Diffugere nives.*) Hæa Ode simile prorsus argumentum habat atque quarta lib. 1. dictinnes pares, ingeoil tamen Horatiani fœcunditeta gratam varietatem indutas. Scripta ast ad Manlium Torqoctum, qui fuit Consul anno urbis 689. atque sub eo natum volunt poetam nostrum.

3. *Mutat terra vices.*) Terra priue hyemali aonstricta gelo mœstaque, jam *solvitur gratâ vice veris & Favonii*, jucundamque experitur amœnitatem.

*Decrescentia ripas flumina prætereunt.*) Salmasius legit *recrescentia*: alii *decrescentia* expliaent, valde crescentia, sciliaet liquatis nivibus: sicque ripas suas transiliunt ac superant: quoniam, inquiunt, hyemis nivas inaunte vare liquascuot & fluvios augent. Pane tamen tentorum virorum eliter interpretari placuit, hoc verius quo simpliaios, nec lectoa retragabitur, ut spes est. Sensus ast: flumina ante nivium aquis aocta & ripas supargressa, jam ed eas radierunt, euotque & fluunt præter, id est secundum ripas, nec ultra suum alveum feruntur aut exundant.

5. *Gratia cum geminis sororibus.*) Gratiæ tres, Aglaie, Thelia, Euphrosyne.

6. *Nuda.*) Ob caloram varis, val ob rationes alibi allates. Vide l. 1. Od. 4. & 30. Itam l. 3. Od. 19.

7. *Monet annus, &c.*) Tempus fluxum vitam nustram pariter effluere & absumi docet. lib. 2. Od. 18.

*Truditur dies die.*

9. *Zephyris.*) Ventis tepidis, *veris comitibus*. Vide l. 3. Od. 1. v. 24. & infra Od. 12. hujus libri 4.

13. *Damna tamen celeres, &c.*) Luna qoidem suum orbem novo aorricuio remetiens reperatur, fitque iterum plene quæ intarieret: alt. lib. 2. Od. 18. *novæque pergunt interire Lunæ*. At nos mortales cum semel interimus, heud amplius reparamur aut raviviscimus. Moschus Eidyll. 3. Bionis deflens interitum, hei, hei, *malva in hortis, apium, anethum, cum interierr, tamen rena-*

Digitized by Google

Quo pius Æneas, quo Tullus dives & Ancus;
Pulvis & umbra sumus.
Quis scit an adjiciant hodiernæ craſtina ſummæ
Tempora Dii ſuperi?
Cuncta manus avidas fugient hæredis, amico
Quæ dederis animo.
Cum ſemel occideris, & de te ſplendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Reſtituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum:
Nec lethæa valet Theſeus abrumpere charo
Vincula Pirithoo.

## INTERPRETATIO.

*quo bonus Æneas, Tullus opulentus atque Ancus deciderunt, sumus* duntaxat *cinis & umbra. Quis novit utrum cœlestia Numina diem craſtinam hodiernæ sint additura? Quæ genio benigne indulseris,* hæc *avaras manus hæredis effugient. Poſtquam interieris, & Minos de te judicium ultimum pronunciaverit; nec stirpe* nobilia, *nec eloquentia, nec pietas reparabit te, o Torquate. Enimvero neque Diana castum Hippolytum eximit Inferorum caligine: nec Theseus dilecti Pirithoi catenas infernales poteſt ſolvere.*

## ANNOTATIONES.

*naſcuntur poſtea*, inquit; *nos vere qui magni, fortes, sapientes, ubi primum mortui sumus, obscuri in terra somnum dormimus longum, infinitum*, μάλα μακρὸν, ἀτέρμονα, νήγρετον ὕπνον, &c.

15. *Quo pius Æneas.* ) Ad inferos nempe. Senſus eſt, non pietas Æneam, non opes Tullum Hoſtilium, non Ancum Martium virtus ac fortitudo a morte vindicarunt: quis ergo ſibi ſpondeat immortalitatem? *Æneas* famâ ſuper æthera per Virgilium notus. *Tullus*, & *Ancus*, ille tertius, hic quartus Rex Rom. T. Liv. lib. 1. Diony. Halicarn. lib. 3. &c.

16 *Pulvis & umbra sumus.* ) Euripid. ἄνθρωπος ἐστὶ πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον, *homo est flatus & umbra tantum.* Sophocles in Ajace, εἴδωλα καὶ κούφην σκιὰν, *simulacra & levem umbram* homines appellat: Anacreon ὀλίγη κόνις, *exiguum pulverem.* Jacob. Apoſt. Epiſt. cap. 4. vers. 15. ἀτμὶς ἐστὶν ὀλίγον φαινομένη, καὶ ἔπειτα ἀφανιζομένη. *vita est vapor modico apparens & mox evaneſcens.*

17. *Summæ.* ) Numero dierum, quos viximus. Quidam cod. leg. *vitæ.*

21. *Splendida arbitria.* ) Non male Heinſius interpretator; gravia, majeſtatis plena: veteres interpretes æque bene, vera & manifeſta.

*Minos.* ) Apud Inferos judex. Vide lib. 1. Od. 28. lib. 2. Od. 13.

25. *Infernis neque enim, &c.* ) Morte nec liberant Dii ſibi dilectos. Diana non inferis eripit Hippolytum, caſtitatis famâ inclytum. Vide Ovid. Metam. 15. Senec. Trag. Hippolyt. &c. Hic Theſei & Hippolytæ Amazonis filius, cœlibem vitam ac venationis ſtudium colens, & hinc Dianæ charus, interpellantem de ſtupro Phædram novercam ſtrenue repulit. Hæc illum apud Theſeum detulit, quaſi ipſe ad flagitium pellexiſſet. Hippolytus fugiens iratum patrem currum conſcendit: at equi phocis exterriti currum & ipſum aurigam per devia trahentes diſcerpſerunt, nomenque fecerunt Hippolyti, ab ἵππος, *equus*, λύω, *diſſolvo*. Extinctum tamen Dianæ precibus incolumitati priſtinæ reſtituit Æſculapius: unde Virbium ſe voluit appellari, quaſi bis virum. At demum fato omnibus communi functus deceſſit. Quapropter ab Inferis minime liberatum dicit Horatius. Vide Gell. lib. 10. cap. 16.

27. *Lethæa.* ) Lethe fluvius Inferorum pro ipſis Inferis ponitur frequenter.

*Theſeus.* ) Hic filius Ægæi regis Athenarum tot egregiis facinoribus inſignis, ut pro Hercule habitus ſit: Pirithoum præcipuâ coluit amicitiâ, comitemque aſſumpſit ad Inferos profectus rapiendæ Proſerpinæ cauſa. Porro ab Hercule ex Inferis ereptus ſecum voluit Pirithoum attrahere. Hic vero ſuperveniente terræ motu ab eo diſtractus ac diremptus ibidem vinculis conſtrictus manſit. Plutarch. in vita Theſei. Diodor. Sicul. lib. 5. c. 5. &c.

28. *Pirithoo.* ) Ixionis ille filius, ope Theſei Centauros vicit, &c. Vide lib. 3. Od. 4. in fine, ibique annot.



Digitized by Google

## *AD MARTIUM CENSORINUM.*

# ODE VIII.

*Nihil se præter carmina dare posse: at illa rebus omnibus esse præferenda.*

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis æra sodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Graiorum: neque tu pessima munerum
Ferres; divite me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius protulit, aut Scopas;
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non hæc mihi vis, non tibi talium

### INTERPRETATIO.

*O Censorine, crateras & jucunda ex ære vasa ultro darem sociis meis; darem tripodas, Græcorum strenuorum munera. Tu vero non minima acciperes, si opulentus forem artibus, quas provexit vel Parrhasius vel Scopas; alter lapide, coloribus alter peritus effingere modo virum, modo Deum. At mihi facultas ista non adest;*

### ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod Ode 3. Lib. 1.

1. *Donarem pateras, &c.*) Non abs re Theodorus Marcilius existimat Oden hanc munus esse Saturnalitium sive Saturnalibus, quo tempore amici munera invicem missitabant, missam Censorino. C. Martius ille Censorinus Consul fuit cum Asinio Gallo ann. U. C. 746.

*Pateras.*) Varro 4. de Ling. Lat. *in poculis sunt patera*, inquit, *a patendo dicta*. Gallice *une coupe*. Ejusmodi pocula argentea in sacris adhibebantur: dono etiam dabantur. Plaut. Amphitr. Scen. 1.

*Post ob virtutem heru Amphitruoni patera donata aurea est,*
*Qui Pterela potitare rex solitus est.*

2. *Æra.*) Vasa ex ære capacia, lebetes, Gallice *cuvettes*, quæ multiplici erant usui.

*Commodus.*) Benignus, facilis, liberalis. Quidam legunt, *commodis*, sed perperam.

3. *Tripodas.*) Mensas vel sellas aliqui dicunt fuisse; alii, ansatas ollas: tripodas certe appellarunt, quod ternis pedibus infima pars sustineatur, inquit Athen. mox citand. Cæterum apud priscos tripodum genera duo fuere, quæ ambo lebetes aliquando nominantur: alterum caldarium, quod igni admovebatur, ideoque dicebatur ἐμπυριβήτης, & λοετροχόος quo utebantur ad calefaciendam aquam loturis: alterum fuit genus tripodis poculum, de quo Homerus:

Ἐντ' ἀπύρους τρίποδας.

In his miscebatur vinum ac temperabatur. Utiles erant etiam adornandis ædibus: & quia non igni adhibebantur, ἄπυροι dicti: atque horum auriti quidam exstitere. Athen. lib. 2. c. 2. ubi & ait, in Bacchi certaminibus præmium victoris tripodem fuisse. Tripodas apud Græcos mercedem datam rei fortiter gestæ ac virtutis, constat ex Homero variis locis: forte quia, velut symbolum, firmitudinem animi ac robur corporis stabilitate sua tripus exhibebat. Virgil. Æneid. 9.

*Bina dabo argento perfecta atque aspera signis*
*Pocula* . . . . . . . . .
*Et tripodas geminos.*

Vide Cœl. Rhodig. lib. 8. cap. 15.

6. *Parrhasius.*) Floruit hic anno ante Christum 400. Pictor insignis Zeuxidi coætaneus, *qui eram prior luminum umbrarumque invenisse rationem, secundus examinasse subtilius lineas traditur*, inquit Fab. Quintil. lib. 12. cap. 10. Plinius autem lib. 35. cap. 10. *Parrhasius descendisse in certamen cum Zeuxide traditur. Et cum ille detulisset uvas pictas tanto successu, ut in scenam aves advolarent: ipse detulisse linteum pictum ita veritate repræsentatâ, ut Zeuxis alitum judicio tumens flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore, palmam concederet, ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefellisset, Parrhasius autem se artificem ... Parrhasius Ephesi natus primus symmetriam picturæ dedit: primus argutias vultûs, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum, in lineis extremis palmam adeptus, &c.* Vide Athenæum lib. 12. c. 11. & lib. 15. c. 10.

*Scopas.*) Eximius ille statuarius vixit anno ante Christum 430. aut circiter. Pausanias in Corinth. ait Parium fuisse Scopam, & sacri Herculis meminit ab eo cælati. Ejus quoque celebrantur Venus & Phaeton, quæ imagines apud Samothraciam religiose servatæ. Plin. lib. 36. cap. 5. multa alia ab eo signa egregie facta memorat.

9. *Non tibi talium res est aut animus deliciarum egens.*) Domus tua non eget, imo abundat talibus ornamentis, nec plurium cupidus est tuus animus. Tabulas pictas & signa apud Romanos

In

Digitized by Google

Res est aut animus deliciarum egens,
Gaudes carminibus: carmina possumus
Donare, & pretium dicere muneris.
Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus, & vita redit bonis
Post mortem ducibus: non celeres fugæ,
Rejectæque retrorsum Annibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus qui domitâ nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides: neque

## INTERPRETATIO.

*nec res tua familiaris, vel animus tuus indigent istis deliciis. Versibus delectaris: versus dare possumus, & doni æstimationem eloqui. Non statuæ marmoreæ publicis inscriptionibus insculptæ, per quas bonis Imperatoribus fata functis redditur spiritus & vita, non Annibalis fuga præceps minæque retro pulsæ; non scelerata Carthaginis incendia magis declarant virtutes illius qui reversus est adeptus titulum ab Africa provictâ, quam Musa Calabra:*

## ANNOTATIONES.

In daliciis fuisse, nemo nescit. Cicero in Versem testis locupletissimus, &c.

12. *Pretium dicere muneris.*) Eruditus quisque legit *muneri*; atque interpretantur, pretium facere, ponere, constituere. Quod hic facit Poeta, cum carmen rebus omnibus antefert: dicitque plus valere ad memoriam viri magni propagandam, quam tabulas, signa, statuas, & publica monumenta.

13. *Incisa notis marmora publicis.*) Imagines ære vel marmore incisæ, cum epigraphe honorifica in basi, quæ breviter & compendiose elogia contineat.

*Publicis.*) Quia loco publico & publicâ auctoritate erectæ & positæ.

*Notis.*) διὰ σημείων: prioribus duntaxat & majusculis literis ascriptis, ut S. P. Q. R. P. Scipioni Africano P. C. Senatus Populusque Romanus &c. poni vel ponendum curavit. Observa intelligendas hic statuas mortuo Scipioni erectas. Nam vivus repudiaverat, & ex Africa reversus Populo Romano erigere volenti obstitit ipse per modestiam.

14. *Per quæ spiritus & vita redit bonis, &c.*) Cic. de Harusp. resp. *statuæ & imagines non animorum simulacra sunt, sed corporum.* At carmen animi virtutes exhibet & repræsentat. Hinc Ovid.

*Scindentur vestes, gemmæ frangentur & aurum.*
*Carmina quam tribuent fama perennis erit.*

Et noster infra lib. 2. Epistol. ad Augustum:

*Nec magis expressi vultus per ahenea signa*
*Quam per vatis opus mores animique virorum*
*Clarorum apparent.*

15. *Celeres fugæ, rejectæque retrorsum Annibalis, &c.*) Quando Annibal *incubans Italiæ*, ejusque *visceribus inhærens*, *summotus* tandem & coactus est cito in Africam redire ad opem ferendam Carthagini, cujus portas quatiebat Scipio; qui sic ad hostes traduxit *rejecitque minas* & belli mala atque incommoda, quibus sui cives antea vexabantur. Vide Tit. Liv. lib. 28. 29. 30. Flor. lib. 2. cap. 6.

16. *Incendia Carthaginis impiæ.*) Pub. Scipio Africanus id nominis prior est adeptus; quod Annibale devicto Carthaginem tributariam fecisset. Fuit postea Scipio *Paulo Macedonico procreatus*, *Africani illius magni filius, in decus gentis assumptus, hoc scilicet fata ut quam urbem concusserat avus, nepos ejus everteret ... per continuos decem & septem dies vix potuit incendium exstingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant, &c.* Flor. l. 2. c. 15. Porro, ut vides lector, utrumque hic per licentiam poeticam Horatius confundit, ob affinitatem rerum ac nominum.

*Carthaginis impiæ.*) Quæ scilicet contra jus & fas bellum renovarat. *Pudebat nobilem populum* (*ablatum mare, capta insula*) *dare tributa, quæ jubere consueverat. Hinc ... Annibal causas novorum motuum quærens, Saguntum Hispaniæ civitatem opulentam, fidei erga Romanos magnum sed triste monumentum evertit; ut Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio est, &c.* Flor. cit. lib. 2. cap. 6.

18. *Ejus qui domitâ nomen ab Africa lucratus rediit.*) Vide Cicer. lib. 3. de Offic. initium.

20. *Calabræ Pierides.*) Versus Ennii e Calabria oriundi, Rudiis nimirum nati. *Ennio cive nobiles Rudiæ*; ait Mela: Is natus Q. Valerio & C. Manilio Consulibus, inquit Gellius ex Varrone, atque septimum & sexagesimum annum agens scripsit duodecimum annalem. Ex Eusebio Tarenti natus, a Catone Quæstore Romam translatus, habitavit in monte Aventino, parco admodum sumptu atque unius ancillæ ministerio contentus, septuagenario major articulari morbo periit; sepultusque est in Scipionis monumento, via Appia, intra primum ab urbe milliarium. De eo Quint. lib. 10. c. 1. *Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia & antiqua robora jam non tantam speciem habent quàm religionem.* Cic. pro Archia Poeta sic habet: *Charus fuit Africano superiori noster Ennius. Itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore ... Rudinum hominem majores nostri in civitatem receperunt.* Is Annalium libris celebravit laudes Scipionis Majoris, Catonis, Fabii Maximi, M. Marcelli, Fulvii, non sine Populi Romani decore, famâ, gloriâ, ut asserit ibid. Tullius.

Digitized by Google

Si chartæ sileant quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliæ
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus, & favor, & lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa vetat mori:
Cælo Musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

INTERPRETATIO.

*At si taceant scripta nihil præmii haberes ex eo quod laudabiliter gesseris. Quid esset filius Iliæ & Martis, si invidiosum silentium obrueret laudes Romuli? Vis & gratia & facundia Poetarum valuit Æacum liberare Infernorum fluminibus, & consecrare beatis insulis. Viro laude digno Musa confert immortalitatem; Musa cælis inserit. Ita Jovis convivio accumbit fortis Hercules. Ita filii Tyndari lucida sidera e mari profundo vindicant naves labefactas. Ita Bacchus pampino virenti coronatum* habens *caput: felicem dat eventum precibus* mortalium.

ANNOTATIONES.

*Calabræ.* ) Calabria est hodie ampla regio regni Neapolitani versus Austrum ac Siciliam. De ea jam lib. 1. Od. 31. Martialis lib. 5. Epigram. 31. Horatianam *lyram Calabram* appellat, quia Venusium Horatii patria, Calabriæ vicinum. *Pierides* unde dictæ disserui supra, Od. 3.

*Quid foret Iliæ Mavortisque puer, &c.* ) Ipse Gentis Romanæ conditor Romulus, vix hodie notus esset, *si chartæ sileant*, si nemo scripsisset quæ ad illum pertinent; quasi invidens ejus laudi, famæ, memoriæ. Singularia ipsius merita *jacerent in tenebris, nisi litterarum lumen accessisset:* quod ait Tullius. Videtur Horatius Theocriti sententiam expressisse, scribentis; *quis Priami filios nosset, nisi bella superiora cecinissent Poetæ?* Vide Eidyll. 16. & Pindar. Od. 7. Nem. ait *maximas virtutes tenebris obscurari, si hymnis & præconibus destituantur*, &c. *laborum vere & præclare gestorum summam remunerationem esse inclytos carminum cantus.*

22. *Iliæ Mavortisque puer.* ) De *Ilia*, matre Romuli, lib. 1. Od. 2. stroph. 5. de Romulo, eod. lib. Od. 12. stroph. 9. *Mavors* quasi *magna vertens* dicitur Mars; ex Cic. de Natur. Deorum, 3. Græcis μάμερτος Sabinis *Mamers*, ex Varrone.

25. *Ereptum Stygiis fluctibus Æacum, &c.* ) Per carmina Poetarum Æacus oblivioni adeoque Inferis ereptus ad posteros memoriam transmisit suam. De Æaco lib. 2. Od. 13. De *Styge*, lib. 2. Od. 14. v. 10.

27. *Divitibus consecrat insulis.* ) μακάρων νήσους *beatorum insulas* Græci vocant; insulas fortunatas, ex Strabone, sitas ad finem Mauritaniæ, Latini dicunt; & in iis quidam statuunt Campos Elysios, quos describit Virgil. Æneid. 6. v. 640. *Lætas sedes* Horatius appellat lib. 2. Od. 20. infra, Epod. 16.

*arva, beata*
*Petamus arva, divites & insulas.*

Insula dicitur quasi in salo posita. Fest. Isid. &c.

28. *Dignum laude virum Musa vetat mori.* ) Theocrit. Eidyll. cit. 16. *a Musis illustrem venire famam*, asserit.

Ovid. 4. de Ponto, Eleg. 8.

*Carmine fit vivax virtus, expersque sepulcri*
*Notitiam seræ posteritatis habet.*
*Scripta ferunt annos. Scriptis Agamemnona nosti, &c.*

Non mirum ergo, quod Alexander ille Magnus, cum ad Achillis sepulcrum devenisset, beatum eum pronuntiavit, cui rerum gestarum contigisset eximius præco, scilicet Homerus.

29. *Sic Jovis interest optatis epulis impiger Hercules.* ) A Poetis & carminibus habet Hercules quod inter cælites credatur Jovis mensæ & epulis adesse & accumbere, nectareque & ambrosia vesci. Vide lib. 3. Od. 3. stroph. 3. Homer. Odyss. λ. Pindar. Nem. Eidyll. 1. Ovid. loco mox cit.

*Dii quoque carminibus (si fas est dicere) fiunt;*
*Tantaque majestas ore canentis eget.*

31. *Clarum Tyndaridæ sidus, &c.* ) Sic etiam Castor & Pollux habentur Dii, putanturque periclitantes in mari juvare. Lib. 1. Od. 3. v. 2. & Od. 12. stroph. 7.

33. *Ornatus viridi, &c.* ) Hac denique ratione Bacchus inter Deos numeratur, crediturque hominum vota suscipere, & optata largiri. Vide lib. 3. Od. 25. ibique annot.

Quanta demum varietate longam narrationem Poeta distinguat & exornet, observa lector studiose.

*AD*

## AD LOLLIUM.

# ODE IX.

*Res ab eo gestas suis carminibus ab oblivione se vindicaturum.*

Ne forte credas interitura, quæ
Longe sonantem natus ad Aufidum
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor socianda chordis.
Non, si priores Mæonius tenet
Sedes Homerus, Pindaricæ latent,
Ceæque, & Alcæi minaces,
Stesichorique graves Camœnæ.

### INTERPRETATIO.

*Ne fortasse existimes perituras sermones, quos ego natus ad Aufidum late resonantem loquor per artes novas fidibus jungendos. Etsi Homerus Mæonius primas obtinet partes, haud obscura est Musa Pindari, Simonidis, Alcæi minacis, ac Stesichori gravis.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 9. Lib. 1.

1. *Ne forte, &c.*) Artificium singulare exhibet hæc Ode, argumentum vero par cum superiori.

2. *Natus ad Aufidum.*) Natus in Apuliæ finibus, ubi fluvius Aufidus alte strep, & murmurat. Vide lib. 3. Od. ult.

3. *Non ante vulgatas per artes.*) Lyricis versibus a me primo latine compositis. lib. 3. Od. ult. & lib. 4. Od. 3. in fine.

4. *Socianda chordis.*) Lyræ aptanda, voce pariter & fidibus canenda.

5. *Non, si priores, &c.*) Etsi primas obtinet Homerus, non alii tamen inglorii qui post illum scripsere. Vide Gell. lib. 3. c. 11. ubi refert dubitatum a multis uter ætate prior, Hesiodusne an Homerus: & lib. 17. cap. 21. asserit eos ætatem simul egisse, vel Homerum aliquanto esse antiquiorem.

*Mæonius.*) Mæonis filius: vel natus in Mæonia seu Lydia, scilicet e Smyrna urbe: quanquam?
*Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri:*
*Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chios,*
*Argos, Athenæ.*

6. *Homerus.*) Hic ingeniorum & omnis doctrinæ fons dictus. De quo vide Suidam &c. Plutarchus scribit nomen a cæcitate Homero inditum, quoniam a Cumæis & Ionibus ὅμηροι vocantur qui oculis capti sunt, eo quod egeant ductoribus, ὁμηρεύοντων: aliam quoque etymologiam ibidem profert. Herodot. lib. 2. ait Homerum annis ante se quadringentis extitisse. Corn. Nepos Chron. & Gell. lib. 17. c. 21. aliique, annis ante Romam conditam centum & sexaginta: pariter vet. Schol. Juvenal. ad Sat. 7. v. 39. Alii aliter. Ad verum accedere propius videntur, qui scribunt, floruisse circiter annos centum quadraginta post bellum Trojanum. Apollodor. &c. Cic. de clar. Orator. *etsi Homeri incerta sunt tempora, tamen annis multis fuit ante Romulum.* & de Orat. num. 135. *Pisistratus*, inquit, *Homeri libros antea confusos sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus.* Quintil. lib. 10. cap. 1. ut fluviis & fontibus initium dat Oceanus, sic omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit Homerus. *Nemo*, inquit, *magnis in rebus sublimitate, in parvis proprietate illum superavit. Idem lætus ac pressus, jucundus & gravis, tum copiâ tum brevitate mirabilis, &c.* Quanti faceret Homeri opera Alexander Magnus, egregie Plinius explicat lib. 7. c. 29. Vide & Cœl. Rhodig. lib. 14. c. 1. obi inter mulieres doctrinâ celebres numerat Daphnem Tiresiæ filiam apud Delphos condendis versibus præcellentem, unde multa ad sui poematis cultum Homerus transtulisse creditur. Cæterum velut numini cuidam etiam fana & sacella Homero fuisse erecta multis in locis constat, ut Smyrnæ, Alexandriæ, & alibi.

*Pindaricæ.*) De Pindaro fuse supra, Od. 2. hujus libri.

7. *Ceæque.*) Simonides Ceius Pausaniæ Lacedæmonum Principi valde honoratus, perinde ac Hieroni Siciliæ Tyranno, floruit circa Olympiad. 65. Aliter alii; sed non mirum; vixit enim ille perdiu. Divinum hunc Poetam nuncupare divinus ipse Plato, & aliquot ejus versus afferre non dubitavit. Præclarum ex illius Threnis fragmentum exhibet Dionysius Halicarn. ubi Danae ab Acrisio fluctibus maris ad certum naufragium exposita suum deflet infortunium. Vide quæ de eo jam annotavi lib. 2. Od. 1. in fine. Valer. Maxim. l. 1. c. 7. & 8. Suidam, &c.

*Alcæi minaces.*) Scilicet in Tyrannis infestus, quosdam etiam suis versibus exterminari fecit. De eo non semel antea. lib. 1. Od. 32. & lib. 2. Od. 13.

8. *Stesichorique graves camœnæ.*) Quintil. cit. *Stesichorum, quam sit ingenio validus, materiæ quoque ostendunt, maxima bella & clarissimos*

ra-

Nec, si quid olim lusit Anacreon,
Delevit ætas: spirat adhuc amor,
Vivuntque commissi calores
Æoliæ fidibus puellæ.
Non sola comptos arsit adulteri
Crines, & aurum vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,
Et comites, Helene Lacæna:
Primusve Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata: non pugnavit ingens
Idomeneus Sthenelusve solus
Dicenda Musis prœlia: non ferox

## INTERPRETATIO.

*Neque tempus abolevit id quod Anacreon olim cecinit. Vivit etiamnum amor, ac spirant ardores mandati chordis Æolia virginis. Non una Helene Spartana adamavit pexos mœchi capillos, admirata vestes auro distinctas, ornatum regium, ingentemque comitatum. Nec Teucer primus sagittas contorsit arcu Cretensi. Haud unâ vice Troja fuit expugnata. Non solus audax Idomeneus, aut Sthenelus pugnas confecit a Musis cani dignas. Non primus*

## ANNOTATIONES.

*canentem duces, atque Epiri carminis onera lyrâ sustinentem. Reddit enim personis in agendo simul & loquendo debitam dignitatem: ac si tenuisset modum, videtur æmulari proximus Homerum potuisse: sed redundat atque effunditur: quod ut est reprehendendum, ita copiæ vitium est.* Is erat ex Himera urbe Siciliæ. Florebat Olympiade 42. ante Christum annis decem & sexcentis. Ejus pauculi admodum versus ad nos usque pervenerunt. Non prætermittam quod ajunt, proscissâ carmine Helenâ, immissam ob iratis ejus fratribus Castore & Polluce Stesichoro cæcitatem, ablatam vero palinodiam canenti. Dictus quod ἔστασε χορὸν πρῶτος ἐν κιθαρῳδίᾳ, *statueris chorum primus in citharæ cantu:* nam antea Tisias vocabatur. Suidas. Ei statuam elegantem fuisse positam, quæ summo fuerit propter ingenium honore & nomine, testis Cicero in Verrem. Vide Plin. lib. 10. c. 29. ubi ait, *suavitatem præmonstratam efficaci auspicio, cum in ore Stesichori infantis luscinia cecinit.*

9. *Anacreon.*) *Lusit*, inquit proprie Horatius, is enim amatoria præcipue scripsit: Ionicum secutus dialectum, quippe in media natus Ioniâ, Teo civitate. Floruit ante Christum annis prope quingentis. Ex Suida, scripsit vitiosa carmina, Iambos, item quosdam versus metri peculiaris, qui ab eo Anacreontici nuncupati sunt. Hos venustos, dulces, ac lepidissimos appellat Gellius lib. 19. cap. 9. De eo jam lib. 1. Od. 17. stroph. 5. ad hæc voces, *fide Teiâ*. Vide Epod. 14.

12. *Æoliæ puellæ.*) De Sappho Æoliâ sive Lesbiâ, lib. 2. Od. 13.

13. *Non sola comptos arsit, &c.*) Exemplis conglobatis probat, si desit Poeta, res quasque laudabiliter confectas interire: ante Helenam, inquit, fuerunt & aliæ mulieres bellorum causæ, quæ tamen ignorantur, quia nullus scriptor ea literis commendavit. Vide Athen. lib. 13. c. 1. ubi multa præter Trojanum bella propter mulieres exarsisse adductis exemplis ostendit.

16. *Helene Lacæna.*) De hac, ejusque adultero Paride, lib. 1. Od. 15. & lib. 3. Od. 3. *Mirata aurum*, &c. Insolitus nempe Spartanis cultus & luxus. At contra Phrygii acu vestes pingere auroque exornare primi instituerunt. Hinc Helena corporis neglectui & parsimoniæ innutrita Paridis ejusque comitum regalem pompam demiratur. Ovid. Epist. Paridis ad Helenam:

*O quoties dices: quam pauper Achaia nostra est?*
. . . . . . . . . . .
*Parca sed est Sparte: tu cultu divite digna.*
*Ad talem formam non facit iste locus.*
*Cum videas cultus nostra de gente virorum,*
*Quales Dardanias credis habere nurus?*

17. *Primusve Teucer, &c.*) Telamonis ille filius, Ajacis frater, ab Homero tam celebratus ob artem & peritiam jaculandi, non tamen fuit primus eâ solertiâ insignis: eximii exstitere ante illum jaculatores. At hi minime sunt clari, quia præcone & vate caruerunt. Homer. Iliad. θ. primos quosque Trojanorum arcu Teucer perdit, ibique octo nominantur ejus sagittis prostrati. Vide & lib. 2. Od. 7. sub finem.

*Cydonio arcu.*) Apud Cydonem Cretæ insulæ civitatem arcus vel inventi, vel optimi fiebant: aptæ quoque ibidem ad sagittas cannæ. Meminit Virgil. Ecl. 10. v. 59.

18. *Non semel Ilios vexata.*) Arx illa Trojæ sæpius pro ipsa urbe usurpatur. Expugnata fuit Troja primo ab Hercule, deinde ab Amazonibus, denique a Græcis. Priora tamen ea bella & excidia vix nota sunt: posterius vero quam celebre per Homeri carmen? Vide lib. 3. Od. 3. stroph. 6.

20. *Idomeneus.*) Filius Deucalionis ille, Rex

Hector, vel acer Deiphobus graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: sed omnes illacrymabiles
Urgentur, ignotique longâ
Nocte, carent quia vate sacro.
Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus. Non ego te meis
Chartis inornatum silebo,
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas

## INTERPRETATIO.

*Hector acer, aut strenuus Deiphobus ingentes plagas tulit pro castis uxoribus ac filiis. Ante Agamemnonem generosi fuere complures. Verum cuncti indefleti & obscuri premuntur oblivione sempiternâ, quoniam sanctum Vatem non habuere. Virtus incognita parum differt ab ignavia despecta. O Lolli, ego te non relinquam sine meorum carminum ornatu; neque tantas virtutes tuas sinam injuste sepeliri invidâ*

## ANNOTATIONES.

Cretensium, Minois nepos: armatus fulguri, pugnans apro comparatur ab Homero, Iliad. v.

*Sthenelus.* ) Is *impavidus & pugnæ sciens* dicitur lib. 1. Od. 15. Vide ibi annot.

22. *Hector.* ) Hunc Troianorum fortissimum Homerus Marti & *igni* cuncta devastanti similem dicit. De eo jam lib. 3. Od. 3. stroph. 7. frater ejus fuit *Deiphobus* post illum virtute præcipuus. De his, deque tota excidii Troiani serie multiplicique historiâ, consule Dictyn Cretensem, & Daretem Phrygium. Hic refert, *Priamum regem Troianorum* ( patrem Hectoris, Deiphobi, Paridis, aliorumque plurium, ex Cic. Tusc. 1. ) *vultu pulcro; magnum, voce suavi, aquilino corpore. Hectorem blæsum, candidum, crispum, strabonem, pernicibus membris, vultu venerabili, barbatum, decentem, bellicosum, animo magnum, civibus clementem, dignum & amori aptum. Deiphobum similem patri, dissimilem natura, fortem. Alexandrum, sive Paridem, candidum, longum, fortem, oculis pulcherrimis, capillo molli & flavo, ore venusto, voce suavi, velocem, cupidum imperii.*

*Graves excepit ictus, &c.* ) *Hector* enim diris plagis tandem ab Achille confectus circa muros Troiæ ter ab eo raptatus est. Homer. Iliad. 23. Virgil. Æneid. 1.

*Deiphobus.* ) Helenâ post mortem Paridis in uxorem assumpta, ejus dolo Græcis proditur est, atque ab his crudeliter necatus, truncatis manibus, pedibus, naribus, auribus, oculis evulsis, &c. Virgil. Æneid. 6. v. 495.

25. *Vixere fortes ante Agamemnona multi.* ) Ut apud Troianos præter Hectorem, Deiphobum, aliosque aliquot; sic etiam apud Græcos præter & ante Agamemnonem & quosdam alios, multi fortissime dimicarunt, laudeque bellicâ inclaruerunt, omnes tamen illi ignorantur, quorum non celebravit virtutes Homerus, aut alius vates.

*Agamemnon.* ) Exercitus Græcorum Princeps & coryphæus, a Darete supra cit. describitur, *albo corpore, magnus, membris valentibus, facundus, prudens, nobilis.*

28. *Vate sacro.* ) Seu quod instinctu divino afflatur Poeta, *sacer* vocatur: seu quia *Musarum* mysta, & *Sacerdos*. l. 3. Od. 1. init. seu quod *poetæ veluti Deorum aliquo dono & munere commendati nobis esse videantur:* quod ait Cic. de Harusp. Resp. 10. ex Ennio. Ovid. 3. de Arte:

*Est Deus in nobis, sunt & commercia cœli.*
*Sedibus æthereis spiritus ille venit.*

Et alibi:

*At sacri vates & Divum cura vocantur.*
*Sunt etiam qui nos numen habere putant.*

29. *Paulum sepultæ distat inertiæ celata virtus.* ) Virtus quæ non est conspicua, nihilo felicior est quam inertia & desidia, quam omnes aspernantur.

32. *Totve tuos patiar labores.* ) Lollius gravia gessit bella, in Germania, Thraciâ, Galatiâ. Vide Dion. lib. 54.

33. *Lolli.* ) M. Lollius consul fuit cum Q. Æmilio Lepido, ann. U. C. 732. Horatio annum ætatis agente 44. Quod ipse indicat lib. 1. Epist. ult. in fine, ubi scribit:

*Forte meum si quis te percontabitur ævum,*
*Me quater undenos sciat implevisse Decembres,*
*Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.*

Ad hunc binæ sunt Horatii Epistolæ, 2. & 18. l. 1. in quarum priore *Maximum* eum appellat.

Digitized by Google

Obliviones. Est animus tibi
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus dubiisque rectus;
Vindex avaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ:
Consulque non unius anni,
Sed quoties bonus atque fidus
Judex honestum prætulit utili, &
Rejecit alto dona nocentium
Vultu; & per obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non possidentem multa vocaveris
Recte beatum. Rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet pauperiem pati,
Pejusque letho flagitium timet:
Non ille pro charis amicis,
Aut patriâ timidus perire.

## INTERPRETATIO.

*oblivione. Mens tibi est rerum sciens, æqua in prosperis & adversis, avaritiæ dolis inimica & spernens pecuniam ad se omnia trahentem: non unius anni Consul; sed quotiescumque judex innocens & fidelis honestum utili anteposuit, atque fronte excelsâ repudiavit munera improborum, suaque arma triumphans protulit per turmas impedire* volentes. *Non recte appellaveris felicem eum qui multa habet: rectius autem felicis titulum meretur qui scit bene uti donis Deorum, molestamque egestatem ferre; & plus horret scelus quam mortem. Is pro familiaribus & patriâ occumbere non veretur.*

## ANNOTATIONES.

34. *Est animus tibi rerum prudens.*) Philosophiæ nutritiâ, vel usu & prudentiâ instructus, sagax, judicii & consilii vim habens. Non ergo mirum si Augustus Caio Cæsari filio in Armeniam proficiscenti moderatorem custodemque Lollium dedit.

35. *Secundis temporibus dubiisque rectus.*) Æquam servas mentem arduis in rebus, non secus ac in bonis temperatam, lib. 2. Od. 3.

37. *Vindex avaræ fraudis, & abstinens.*) Laus hæc minime Lollio idonea, quem pecuniæ quam recte faciendi in omnia cupidiorem testatur Velleius Paterculus. Ergo vel tunc latebat adhuc, cum scriberet hæc Horatius, Lollii avaritia, quæ postea innotuit: vel huc facit Symmachianum illud, quod habet Sidon. Apollinar. lib. 8. Epist. 10. *ut vera laus ornat, ita falsa castigat.* Constat subinde Cæsarem Lollio offensum, seu quod Orientis provincias expilasset, seu aliâ de causa. Velleius lib. 2. Sueton. Tiber. cap. 13. Plin. lib. 9. cap. 35. &c.

39. *Consulque non unius anni.*) Reipublicæ consuluisti quidem anno uno, ut alii Consules: at ipse tibi semper dominaris, cupiditatesque frænas & coerces, imo passim de illis triumphas exerens arma tua ubique victricia, scilicet abstinentiam, justitiam, &c. optima certe allegoria, per quam Stoæ dogmata luculenter venditat Horatius.

49. *Duramque callet pauperiem pati.*) Vide l. 3. Od. 2.

40. *Pejusque letho flagitium timet.*) Juvenal.
*Summum crede nefas animam præferre pudori,*
*Et propter vitam vivendi perdere causas.*

51. *Non ille pro charis amicis, &c.*) Lib. 1. Od. 2. & 19.

ODE

# ODE X.

## *AD LIGURINUM.*

O crudelis adhuc, & Veneris muneribus potens,
Insperata tuæ cum veniet pluma superbiæ,
Et, quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ,
Nunc & qui color est puniceæ flore prior rosæ,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam;
Dices: heu (quoties te in speculo videris alterum)
Quæ mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel cur his animis incolumes non redeunt genæ?

### INTERPRETATIO.

*O dure hactenus, & Veneris donis superbe, quando inexspectata penna accesserit tuæ arrogantiæ, atque defluxerint capilli, qui modo per humeros diffunduntur, & qui modo rosâ purpureâ micantior est color deperditus Ligurinum mutaverit in vultum hirsutum; tunc quandocunque te diversum aspexeris in speculo, dices: Eheu, qui nunc adest animus, quare idem non adfuit juveni mihi? vel quare huic menti non revertuntur integræ malæ?*

### INTERPRETATIO.

Metrum est idem quod Ode 1. Lib. v.

*O crudelis adhuc, &c.*) Speciosi istius pueri amore captum se declarat Horatius hujus lib. Od. 1. v. 33. Hic patet vel constantiam in tuenda pudicitiâ Ligurinum castitisse; vel Poetæ nostro non respondisse.

*Veneris muneribus potens.*) Pulchritudine, gratiâ, ætatis flore spectabilis.

2. *Insperata tuæ cum veniet, &c.*) Cum juventutis ac pueritiæ flos abierit, quod modo non cogitas.

*Pluma.*) Barba, lanugo, pili. Marcilius tamen contendit non de crescente barbâ, sed de senescente Ligurino locum hunc intelligendum. Citatque Ovid. Trist. 4. Eleg. 18.

*Jam mea cycneas imitantur tempora plumas.* Novus Interpres sane audacior veteres omnes proscindens, imo, inquit, Horatius Græcorum ritu locutus est, qui alas venisse rei alicui dicunt ad significandum illam periisse ac velut avolasse: sensusque est: cum superbia Ligurini abscesserit, vel perierit forma qua superbus erat, tum demum fore ut prioris arrogantiæ pœniteat. Acuta sane interpretatio, cui non dubitarim refragari, & ab omnium antiquorum partibus stare.

3. *Deciderint comæ.*) Hæc verba stabiliunt opinionem Marcilii, quam modo retuli. Id est, cum jam pauci per tempora capilli cani superfuerint, cumque *μεσοπόλιος*, vel *σπαρτοπόλιος* erit Ligurinus, qui nunc spissâ gloriatur cæsarie. Vid. lib. 1. Od. 5. in fine: & lib. 3. Od. 20. sub finem. Alii tamen explicant de pubertate: eo quod apud veteres comam tondendi mos esset puberibus saltem honestis & castis, qui sic ab effeminatis & delicatis distinguebantur. Alioquin enim impuberes quilibet comam studiose nutriebant: unde comati & capillati nuncupabantur. De more præcisam ea ætate cæsariem Diis præsertimque Apollini qui comatus fingebatur, consecrandi, dixi alibi.

5. *Ligurinum.*) Quidam legunt *Ligurine*, voluntque verbum *vertere* absolute poni, ut apud Virgil. Æneid. 1. *Tum prora avertit.* Sed vulgatam lectionem præferendam censeo.

6. *Speculo.*) Velut effeminato quod feminæ est tribuit speculum. Sic Juvenalis Othonem Imperatorem vellicat etiam in castris speculum circumferentem: Sat. 2. v. 99. & 103. *Consilium formæ* speculum belle vocat Martialis.

*Alterum.*) Longe mutatum, e levi & polito hispidum, pilosum, horridum.

7. *Quæ mens est hodie, &c.*) Dum annis & pulchritudine florebam, cur non ego quæstum meretricium feci?

8. *Vel cur his animis, &c.*) Aut quare non redeunt mihi imberbes genæ, cum jam tempore didici, ætatem labi & formam perire.

*Incolumes.*) Colore & juventute nitentes, nullis tum rugis deformatæ, ætatis vigore florentes.

## AD PHYLLIDEM.

# ODE XI.

*Die natali Mœcenatis invitat eam ad convivium.*

Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus: est in horto,
Phylli, nectendis apium coronis:
Est hederæ vis
Multa, quâ crines religata fulges:
Ridet argento domus: ara castis
Vincta verbenis avet immolato
Spargier agno.
Cuncta festinat manus: huc & illuc
Cursitant mistæ pueris Puellæ:
Sordidum flammæ trepidant rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris, quibus advoceris

### INTERPRETATIO.

O *Phylli, amphoram habeo plenam Albani* vini *nonum annum transgressi: habeo in horto apium ad corollas texendas: habeo magnam hederæ copiam, quâ vinctis capillis resplendes. Nitent ædes* argenteis vasis: *ara verbenis puris coronata optat respergi* cruore *agni mactati. Manus omnium strenue laborant: famulæ servis junctæ huc illuc discurrunt. Ignis tremit atrum fumum circumvolvens in apicem. Attamen ut scias ad quam*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 2. Lib. 1.

1. *Est mihi, &c.* ) Natalem Mæcenatis celebraturus Poeta noster Phyllidem ad epulas invitat, lautaque spondet fore omnia; ne vero illa Telephi amore retineatur, multis conatur efficere. Virgil. Eclog. 3.

*Phyllida mitte mihi: meus est natalis, Iola.*

*Nonum superantis annum plenus Albani cadus.* ) Cadus vini ante novem annos conditi, proindeque majori & boni.

2. *Albani.* ) Quod ex Italicis suavissimum & gratissimum asserit Athenæus, lib. 1. cap. 25. Idem testatur Plin. lib. 14. cap. 2. & 6. & alibi. Martial. lib. 13. Epigramm. 109.

3. *Phylli.* ) De ea jam lib. 2. Od. 4.

*Apium.* ) Hoc arceri ebrietatem, bonumque corpori odorem conferri ajunt: hinc ex eo coronæ. Vide Plin. lib. 20. c. 11. & lib. 19. c. 8. sub finem. Vide & lib. 1. Od. 36. & lib. 2. Od. 7. v. 24. annot.

4. *Hederæ.* ) Hæc Baccho sacra, atque ebrietatis antipharmacum. Apud Theocrit. Idyll. 3. pastor coronam ex hedera & apio implexam gestat Amaryllidis suæ gratiâ.

6. *Ridet argento domus.* ) Non displicet novi interpretis mens locum istum sic explicantis: ædes meæ nitent quasi argentum; munda passim omnia sunt; nec enim tantæ Horatii opes, ut argento revera domus colluceret; ut erudite & sagaciter, more quidem suo, ait ibidem Dacerius, quem honoris causâ nomino.

*Ara castis vincta, &c.* ) E vivo cespite structa ara puris ex more herbis coronata mox imbuetur mactati agni sanguine.

7. *Verbenis.* ) Vide l. 1. Od. 19. annot. ad v. 14.

*Immolato.* ) Cædendæ victimæ caput aspergebatur molâ salsâ, id est farre tosto & sale commixtis: hinc vox, *immolare*.

9. *Cuncta festinat manus, &c.* ) Cuncti allaborant, ancillæ famulique simul diligenter parant quæcumque sunt ad convivium necessaria.

11. *Sordidum flammæ, &c.* ) Culinæ meæ focus plurimum habet ignis, e quo flammæ sursum feruntur in verticem, & rotæ modo contorquentur ac trepidant, aguntque fumum densum ac sordidum.

13. *Ut tamen noris, &c.* ) Ut intelligas quale sit gaudium hodiernum, quanta sit hilaritatis causa, ad quam te voco: Idus sunt Apriles, in quibus natalem celebro Mæcenatis, meo natali jure mihi potiorem.

14. *Idus.* ) Macrob. lib. 1. Saturn. c. 15. *Nonnullis placet Idus vocatas ἀπὸ τοῦ εἴδειν quod eâ die plenam speciem Luna demonstret. Sunt qui existiment Idus ab ove iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci, & omnibus Idibus ovis immolatur a flamine. Nobis illa ratio nominis vera propior exi-*

sti-

Digitized by Google

Gaudiis: Idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit Aprilem:
Jure solennis mihi, sanctiorque
Pene natali proprio, quod ex hac
Luce Mœcenas meus affluentes
Ordinat annos.
Telephum, quem tu petis, occupavit
Non tuæ sortis juvenem puella
Dives & lasciva, tenetque gratâ
Compede vinctum.
Terret ambustus Phaeton avaras
Spes; & exemplum grave præbet ales

## INTERPRETATIO.

*lætitiam invitaris, celebranda tibi sunt Idus, qui dies Aprilem dividit Veneri maritimæ* sacrum: *merito mihi festivus, atque sacratior fere meo natali; quoniam ab ea die Mæcenas amicus accrescentes annos computat. Telephum* porro *nequaquam tuæ conditionis adolescentem, quem concupiscis, cepit virgo opulenta & protervæ, retinetque jucundis vinculis astrictum.* Cæterum *Phaetsa consrematus desideria cupida comprimit: volucris autem*

## ANNOTATIONES.

*stimatur, ut Idus vocemus diem, qui mensem dividit; Iduare enim Hetruscâ linguâ dividere est: unde & vidua, quasi valde idua, id est, valde divisa, vel a viro divisa.* Hinc patet cur Aprilem findere, id est, quasi medium secare ab Horatio dicantur. Idus enim sunt decimâ quintâ die mensium Martii, Maii, Julii, Octobris: in reliquis autem mensibus sunt die decimâ tertiâ.

15. *Mensem Veneris marinæ, &c.*) Aprilis secundus anni Romanorum mensis ab aperiendo dictus quasi aperilis, quod eo tempore arbores & plantæ aperire se in germen incipiant. Alii dictum putant quasi Aphrilem, cum aspiratione, ab ἀφρῶ maris spuma, e qua Venus orta creditur, quæ & Ἀφροδίτη inde Græcis appellata. Porro ut primum mensem a patre suo Marte, ita secundum ab Æneæ matre Venere nominavit Romulus: & in eo Veneri sacrum fieri a matronis, postea constitutum. Hæc Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 12. & ejusdem lib. cap. 21. *cum Sol vernalis Æquinoctii transgreditur fines, augendo diem; tunc & Venus læta, & pulchra virent arva segetibus, prata herbis, arbores foliis. Ideo majores nostri Aprilem mensem Veneri dicaverant.* Lege ibid. alia quædam scitu non indigna. Vide & supra lib. 3. Od. 26. n. 5. annot.

18. *Quod ex hac luce Mæcenas, &c.*) Idibus Aprilis natus Mœcenas prodiit in lucem, Mœcenas, inquam, *præsidium ac dulce decus meum*, n dies natali proprio mihi sanctior? Nam & ejus vitam meæ longe antepono.

19. *Affluentes ordinat annos.*) Exinde venientes annos vitæ numerat, ætatemque ordinat. Ut a Consulibus publice, sic privatim a natali suo quisque annos computabat, inquit Torrentius.

21. *Telephum.*) De eo jam lib. 1. Od. 13. & lib. 3. Od. 19. hic *spissâ nitidus comâ puroque simills vespero* commendator: illic *rosea cervix & cerea brachia* laudantur.

22. *Non tuæ sortis.*) O Phylli, ne differ ad me proficisci tui percupidum: nec te remoretur Telephi amor. Hunc enim omnino excutere animo tuo debes, tum quod tibi est is dispar valde, tum quia occupatus est puellâ suæ sortis, divite scilicet, ut ipse, & ingenuâ, non meretriciæ conditionis, ut tu.

23. *Puella dives & lasciva.*) An illa Chloe, de qua lib. 3. Od. 19.

*Tenetque gratâ compede vinctum.*) Suis amoribus suæque velut servituti prorsus addictum habet.

25. *Terret ambustus Phaeton avaras spes.*) Exemplis probat Horatius non esse id appetendum quod est supra nos, quodque vix sperari aut assequi fas videatur. Nota est cuilibet historia & casus Phaetontis, qui cum Solis currum equosque regere cupiisset, *currus auriga paterni temerarius, magnis excidit ausis;* in Eridanum Jovis fulmine dejectus. Vide Platon. in Timæo, Ovid. Metam. 2. Lucret. lib. 5. &c.

26. *Ales Pegasus terrenum equitem gravatus, &c.*) De Pegaso alato equo, inter sidera relato, dixi lib. 1. Od. 27. *Terrenum equitem*, mortalem, nempe *Bellerophontem*, qui a Bellero Corinthi rege interfectu vocabulum sortitus est, Hipponomus antea dictus. Quod vero pertinet ad rem præsentem, dicitur is post occisam auxilio Pegasi Chimæram secundis rebus elatus, tentasse in cælum etiam ejusdem Pegasi ope ascendere, ut quid ageret illic Jupiter perspiceret. At œstro a Jove immisso Pegasus fatigatus sessorem excussit, qui membris confractis decidens curiosæ ambitionis pœnas exsolvit. Vide l. 1. Od. 27. cit. & lib. 3. Od. 7. & 12.

Pegasus, terrenum equitem gravatus
Bellerophontem,
Semper ut te digna sequare: & ultra
Quam licet sperare, nefas putando,
Disparem vites. Age jam meorum
Finis amorum:
(Non enim posthac aliâ calebo
Fœminâ) condisce modos, amanda
Voce quos reddas. Minuentur atræ
Carmine curæ.

### INTERPRETATIO.

*Pegasus graviter ferens Bellerophontem equitem terrestrem, insigne documentum præstat, ut nunquamnon seltere tibi convenientia, fugiasque dissimilem, nefas existimando petere plus quam decet.* *Heus amorum terminus meorum deinceps, (nam in posterum alteram mulierem non amabo) disce numeros quos suavi moduleris voce. Cantu mulcebuntur ægritudines importunæ.*

### ANNOTATIONES.

29. *Ut te digna sequare.*) Ut virum conditione tibi similem sequare: qualis Horatius: disparem vero, qualis Telephus, non tantum non speres aut sequaris, sed vites. Aliàs male tibi cedet; quemadmodum cessit pessime Phaetonti ac Bellerophonti altiora se quærentibus.

31. *Meorum finis amorum.*) Age Phylli quam constanter amare constitui, Telephi oblita confer te ad me. Propert. lib. 2. Eleg. 12.
*Me neque amare aliam, neque ab hac desistere fas est.*
*Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.*

34. *Condisce modos, &c.*) Vel disce cantilenas, quas in convivio amabili voce decantes ad diei jucunditatem & hilaritatem: vel, e Lyricis meis carminibus disce aliquid, quo in amorem meum alliciaris, cavendo apud me inter epulas.

35. *Minuentur atræ carmine curæ.*) Meos etiam modulando versus, pelles ægritudinem illam curasque illas, quas Telephi tibi amor invexit.

## *AD VIRGILIUM.*

## ODE XII.

*Vernam tempestatem describit: tum invitat eum ad epulas & ad hilaritatem.*

Jam veris comites, quæ mare temperant,
Impellunt animæ lintea Thraciæ:

### INTERPRETATIO.

*Nunc auræ Thraciæ vernum tempus comitantes & mare tranquillum reddentes vela pulsant.*

### ANNOTATIONES.

Metrum est idem quod Ode 6. Lib. 1.

1. *Jam veris, &c.*) Egregie Parthenius more suo, in hac eleganti Ode, notat verba lectissima, & dictiones haud vulgares: atque merito dignam videri, quæ ad Virgilium mitteretur; nec enim vel ipsum tot coloribus, tot florum varietatibus efflorescere. Valeant ergo qui adulterinum nescio quem titulum huic Ode præfixum e veteribus nonnullis codicibus eruunt perperam, quasi Horatius scripserit ad Virgilium quemdam myropolam seu unguentarium. Certe enim intelligendus hic est Virgilius Poeta, qui recte *cliens nobilium juvenum*, non alter quisquam censeatur. Vide infra annot.

*Veris comites &c.*) Zephyri procul dubio, quicquid alii sentiant; hi enim ver comitari dontaxat & maria temperare dici possunt. At cur *Thraciæ animæ* vocantur; nam proprie Boreas e Thracia in Italiam spirat? Ita lib. 1. Od. 25. v. 11. Scilicet Thracia ventorum quorumlibet sedes & officina est, teste Eustathio ad Iliad. 9. vel potius noster Homerum, ut alibi sæpe, insecutus minus accurate locutus est. Bene citato loco Homerus Boream & Zephyrum e Thracia flantes pariter exhibet: at non item Horatius. Hic siquidem Italus, ille vero e partibus Minoris Asiæ. Atqui diversi plane venti e Thracia Italiam Asiamque per-

Digitized by Google

Jam nec prata rigent, nec fluvii strepunt
Hybernâ nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix avis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistulâ,
Delectantque Deum, cui pecus & nigri
Colles Arcadiæ placent.
Adduxere sitim tempora, Virgili:
Sed pressum Calibus ducere Liberum
Si gestis, juvenum nobilium cliens,
Nardo vina merebere,

## INTERPRETATIO.

*Jam neque prata sunt gelu constricta, nec flumina murmurant hyemis nivibus inflata. Nidum struit avis infortunata Ityn lugens miserabiliter, ac sempiterna ignominia Atheniensis familiæ, quia scelerate vindicavit immanem regis lasciviam. Pastores ovium in herba molli cantilenas resonant fistulâ, atque recreant numen, quod gregibus gaudet & umbrosis collibus Arcadiæ. O Virgili, tempus advexit sitim: at si cupis bibere vinum Calibus expressum, tu cliens illustrium adolescentum, accipies vinum* dato *unguento.*

## ANNOTATIONES.

perflant, inter hanc & illam fere mediâ.

*Quæ mare temperant.*) De Zephyris maria solventibus ac ver parientibus, l. 3. Od. 7. initio.

*Animæ.*) Allusio ad Græcam vocem, *ἄνεμος*, *ventus*. Virgil. Æneid. 8.

*Quantum ignes animæque valent.*

Lucret.

*Aurarumque leves animas.*

*Impellunt lintea.*) Ad navigandum utiles sunt.

3. *Nec fluvii strepunt.*) Qui nivibus liquefactis intumuerant paulo ante, ac vehementiore cursu strepitum edebant, jam nunc imminuti haud amplius strepunt.

5. *Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens, &c.*) Hirundo jam nidificat.

*Ityn.*) Homero *Itylum*.

6. *Infelix avis.*) Progne & Philomela Pandionis Atheniensium regis filiæ erant: illa Tereo regi Thraciæ nupta, Ityn communem filium marito epulandum apposuit; altera sororem suam ab eo constupratam. Tereus utramque stricto pugione ad necem persequitur. Ecce vero Progne in hirundinem, Philomela in lusciniam, Itys in phasianum, vel, ut alii volunt, in carduelem, Tereus denique in upupam transmutantur. Ita fabulatores. Vid. Ov. 6. Metamorph. Fab. 7. &c.

*Cecropiæ domus æternum opprobrium, &c.*) A Cecrope Atheniensium primo rege denominatur quicquid ad Athenas vel reges Athenarum pertinet. Significatur itaque hic Pandionis familia etsi minime Cecropi vel Cecropidis cognata. *Opprobrium*, quia *male* & injuste mactato Ity filio, *libidinem* ejus patris Terei ulcisci voluit ipsa mater Progne.

9. *Dicunt in tenero, &c.*) Pastores ludunt fistulâ in gramina sedentes, canuntque laudes Panos gregibus præsidentis & collibus Arcadiæ. Vide lib. 3. Od. 18. Virg. Eclog. 2.

*Pan primus calamos cerâ conjungere plures*
*Instituit, Pan curat oves, oviumque magistros.*

Et Eclog. 4. & 10.

*Pan Deus Arcadiæ.*

11. *Nigri colles.*) Vel umbriferi ob sylvas, vel fertiles, nam Virg. Georg. 2. v. 203.

*Nigra fere & presso pinguis sub vomere terra*
*Optima frumentis.*

12. *Arcadiæ.*) Peloponnesi regio est mediterranea ab Arcade Jovis & Callistûs filio nuncupata, montanis pascuis amœna, & hinc gregibus educandis, colendoque Pani devota: Poetis passim decantatissima.

13. *Adduxere sitim tempora.*) Adultum ver ac jam provectum (in Italia videlicet calidius quam apud nos Francos) adduxit æstum ac *sitim* proinde, suadetque pocula. Quidam putant notnes horam diei cœnæ destinatam, puta nonam vel octavam. quo sensu Virg. Georgic. 3. v. 327.

*Inde ubi quarta sitim cœli collegerit hora.*

14. *Pressum Calibus Liberum.*) Cur Liber nominetur Bacchus, & quod pro vino ponatur, vel scienis compertum. De *Calibus* urbe Campaniæ, deque vini Caleni bonitate dixi lib. 1. Od. 20. v. 9. ubi *prelo domitam Caleno uvam*: item Od. 31. *premant Calenâ falce vitem, &c.*

*Liberum.*) Seneca de Tranquill. c. 15. *non ob linguæ licentiam dictus Liber, sed quia liberat servitio curarum animum, vegetioremque & audaciorem in omnes conatus facit Bacchus inventor vini.*

15. *Juvenum nobilium cliens.*) O tuBis Virgili Maro, qui colis Tiberium Drusumque Nerones Liviæ filios, Marcellum Augusti generum atque adoptione filium, aliosque Romanæ juventutis ac nobilitatis Principes.

16. *Nardo vina merebere.*) Affer unguentum e nar-

Digitized by Google

Nardi parvus onyx eliciet cadum,
Qui nunc Sulpitiis accubat horreis,
Spes donare novas largus, amaraque
Curarum eluere efficax.
Ad quæ si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni. Non ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plenâ dives ut in domo.
Verum pone moras, & studium lucri:
Nigrorumqoe memor, dum licet, ignium,
Misce stoltitiam consiliis brevem.
Dulce est desipere in loco.

## INTERPRETATIO.

*Exiguum vas ungenti ampheram trahet quæ modo conditur apothecis Sulpitiis, spem novam dare liberalis, & molestiam ægritudinum discutere idonea. Quod si ad istam hilaritatem festinas, accede pretinus cum tua merce. Scyphis ego meis rigare te nihil conferentem nolo, quasi opulentus in ædibus refertis. Sed abjice retardationem & quæstûs curam: atque dum potes recordatus atri rogi brevem insaniam admisce sapientiæ. Tempestive insanire suave est.*

## ANNOTATIONES.

nerdo, ego vina conferam. De nardini unguenti pretlo & natura, lib. 2. Od. 11. v. 16. annot. Catullus e contrariu Od. 13. ita præscribit ed Febullum:

*Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me,*
*Si tecum attuleris bonam atque magnam*
*Cœnam,* . . . . . . .
*Sed contra accipies meros amores,*
*Seu quid suavius elegantiusve.*
*Nam unguentum dabo, &c.*

17. *Nardi parvus onyx eliciet cadum, &c.*) Modicum ungnenti a te collatum a me cumpensabitur integro vini uptimi cedu, quod ego petam & mecebor ea horreie publicis.

*Onyx.*) Greca vox unguem significans, pariter & alebeetriten, id est lapidem coiure similem humano ungui. De eo Plin. lib. 36. c. 7. *Onychem etiamnum in Arabiæ montibus nec alibi usquam nasci putavere nostri veteres.* Et c. seq. *hunc aliqui lapidem alabastriten vocant, quem cavant ad vasa unguentaria, quoniam optime servare incorrupta dicitur.* Addit & elia quædam lib. 37. c. 6. in fine. Dioscorid. lib. 5. c. 153. meminit etiam ejus lapidie, e quo facta vasa ὄνυχες dicebantur. Isidor. lib. 16. c. 15. *alabastrites,* inquit, *lapis candidus, intertinctus variis coloribus, e quo fuit vasculum unguenti evangelici. Cavant enim hunc ad vasa unguentaria.* Martiel. lib. 7. Epigram. 93.

*Unguentum fueras quod onyx modo parva gerebat.*

18. *Sulpitiis accubat horreis.*) Quædam erent horree seu apothecæ in urbis regionibus variis, in quibus venelie seu vina seu fruges cendebantur donec emerentur. Inter alia erant quæ edificarat Sulpitius Galba: & de ejus nomine appellabantur: de qua his luquitur Horetius.

19. *Spes donare novas largus, &c.*) Hæc vini est virtus & proprietas, ut eudaciam timidis donet, anxiie sollicitudines eximat, &c. Vide l. 3. Od. 21. str. 5. Hinc & l. 2. Od. 7. *Massicum* vocat *obliviosum*, id est, curarum obliviunem inducens.

21. *Ad quæ si properas gaudia, cum tua, &c.*) Ergo si cupis mecum jucunde epuleri, etque e meu vino bibere, quasi mercator accede, & affer quod commutes, redones, remuneres. Ne asymbolus aut immunis venias: para nimirum quæstiones erudites, lepidesque argutiolas florentem vino animum lacessentes, quæ sint veluti secundarum mensarum tragemate sue beliarie: de quibus Aul. Gell. l. 6. c. 13. & hac quidem merce instructus jubetur venire ab Horatio Virgilius.

23. *Immunem.*) Apud Erasmum proverbium est, *immunem venire.* Quædam olim eret cœne ex commum collecta, in qua suem quisque symbolem efferebet. Vide lib 3. Od. 21. v. 27.

24. *Plena dives ut in domo.*) Ut facere possct divis rebus omnibus abundens, nihilque opus habens remunerationis.

25. *Studium lucri.*) Jocus admodum facetus, quo Virgilium ebstrahit a museu, & a condendis assidue carminibus ipsi prufectu quæstuosis: nam pro iis sat liberaliter donatus eb Augusto aliisque proceribus jam fuerat.

26. *Nigrorumque memor, dum licet, ignium, &c.*) Mortis memor, tristisque ac funebris rugi in quo cremantur cadavera: quandiu licet, ac vivis, gaudia hujus vitæ carpere festine.

27. *Misce stultitiam consiliis brevem.*) Severitatem aliquantulâ hileritete tempere, intermitte seria, jocis pauluinm vaca. Qui relaxandi enimi gretiâ ludendo lasciviunt, quesi insenire videntur. Hinc Poeta *brevem stultitiam* appellat: Anacreon vero εὔφρονα λύσσαν *sapientem furorem.*

28. *Dulce est desipere in loco.*) Congruo tempore & loco enimi severitatem abjicere expedit. Senec. de Tranquill. lib. 1. c. ult. *Si Græco Poeta credimus,* inquit, *interdum & insanire jucundum est.* Menander in Comœdia, cui titulus πωλούμενοι *venales.* οὐ πανταχοῦ τὸ φρόνιμον ἁρμόττει παρεῖν· & συμμανῆναι δ' ἔνια δεῖ. *non semper sapientiam decet adesse, & insanire cum aliis quandoque oportet.* Ubi vulgo συμβῆναι legi perperam, sententiæ & prosodiæ ratio luculenter evincit.



ODE

Digitized by Google

# ODE XIII.

## IN LYCEN VETULAM.

Audivere, Lyce, Dii mea vota; Dii
Audivere, Lyce. Fis anus, & tamen
Vis formoſa videri:
Ludiſque, & bibis impudens:
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum ſollicitas. Ille virentis, &
Doctæ pſallere Chiæ,
Pulchris excubat in genis.
Importunus enim tranſvolat aridas
Quercus; & refugit te, quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant, & capitis nives.
Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ,

### INTERPRETATIO.

*O Lyce, Dii exaudiverunt meas preces; Lyce, Dii exaudiverunt. Jam vetula es, ac nihilominus cupis apparere ſpecioſa; & jocaris & potas abſque pudore; atque trementi voce amorem tardum excitas ebria. At ille vigilat in malis formoſis Chiæ ætate florentis & ſcientis pſallere. Nam quercus areſcentes deſerit inquietus, avolatque; quoniam te dentes lividi, te rugæ & canities capillorum fœdant. Neque vero purpureæ veſtes Coæ,*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Ode 5. Lib. 1.

1. *Lyce.*) Hujus olim juventute & forma ſplendidæ amores arrogantiamque perſecutus fuerat Horatius, lib. 3. Od. 10. Eidem nunc ſenio deturpatæ inſultat. Sic & Lydiæ quondam pulchræ jam vero deformatæ illudit lib. 1. Od. 25.

4. *Ludiſque.*) *Vous faites l'enjouée.*

*Bibis impudens.*) Vinoſas ſemper fuiſſe mulieres impudicas, notum eſt: contra pudicæ vino abſtinebant. Vide l. 3. Od. 15. in fine: ibique annot.

5. *Cantu tremulo.*) Hoc referunt quidam ad vitium ingraveſcentis ætatis, ſed melius alii ad animum libidinoſum, vocemque ad mollitiem inflexam. Sic Perſicus Sat. 1. v. 21.

*cum carmina lumbum*
*Intrant, & tremulo ſcalpuntur ubi intima verſu.*

7. *Doctæ pſallere Chiæ.*) Meretrices ut plurimum pſaltriæ erant, id eſt, cantare ſimul & citharam pulſare noverant. Hæc nomen habebat ex inſula maris Ægæi, Chio dicta hodie *Scio*, an. 1565. a Turcis per nefas & contra fidem occupata: vino optimo celebrata quondam. Vide lib. 3. Od. 19. v. 5.

8. *Excubat.*) Viget, agit in juvenili facie, in ſenili vero quaſi ſopitus elangueſcit, ſegnis, emortuus.

9. *Importunus.*) Levis, mobilis, inconſtans: alii perperam, non bene conveniens.

*Aridas quercus.*) Sic lib. 1. Od. 25. de Lydia, *aridas frondes*, id eſt, meretrices vetuſtate deformes, in quibus nec ſuccus, nec color, nec ſpecies, ut olim.

12. *Capitis nives.*) Velut durioſculam hanc tranſlationem ac metaphoram, atque a longinqua ductam ſimilitudine notat Quintilianus lib. 8. c. 6. Verum talia Poetis quidem, non ita vero proſæ convenire ibid. ſubjungit.

13. *Nec Coæ referunt, &c.*) Præteritos annos, formam priſtinam non reducunt ſeu veſtes pretioſæ ſeu gemmæ & lapilli, nec quivis corporis cultus & ornatus. Auſon.

*Dicebam tibi, Galla, ſeneſcimus: effugit ætas:*
*Nec revocare potes qui periere dies.*

*Coæ purpuræ.*) Cos Aſiæ inſula verſus oram Cariæ littoralem, hodie *Lango*: valde ferax, ut proverbio diceretur, *quem Cos non nutrit, hunc neque Ægyptus*, in eos quibus vix magna ſatisfaciunt. Euſtath. Iliad. 14. Apellis eximii illius pictoris patria fuit. In ea texebantur panni ſubtiliſſimi e bombyce: non procul autem purpura fiebat exquiſita. Ergo vel de purpureis reipſa veſtibus intellige locum hunc, vel de bombycinis candore eximio nitentibus. Vide annot. ad

v.

Nec clari lapides tempora, quæ semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.
Quo fugit Venus, heu? Quove color decens?
Quo motus? Quid habes illius, illius,
Quæ spirabat amores,
Quæ me surpuerat mihi,
Felix post Cynaram, notaque & artium
Gratarum facies? Sed Cynaræ breves
Annos fata dederunt,
Servatura diu parem
Cornicis vetulæ temporibus Lycen:
Possent ut juvenes visere fervidi,
Multo non sine risu,
Dilapsam in cineres facem.

## INTERPRETATIO.

*nec lapilli splendentes nunc reddunt tibi annos, quos fluxum tempus condidit inclusos annalibus publicis. Eheu quo venustas, quo nitor, quo agilitas abiit? Ecquid tibi restat ejus, ejus inquam, quæ amores exhalabat, quæ mihi me abstulerat, post Cynaram felix, & famosa vultu artificiose & belle* composito? *At Cynaræ non longam vitam sors indulsit, diu conservatura Lycen longævæ cornici ætate æqualem, ut adolescentes calidi queant videre facem in favillas redactam, haud absque ludibrio.*

## ANNOTATIONES.

v. 10. Od. 1. hujus libri. Lege & Plin. lib. 11. cap. 22. ubi, *telas araneorum modo texunt ad vestem luxumque feminarum, quæ bombycina appellatur. Prima eas redordiri rursusque texere invenit in Co mulier Pamphila, &c.* & c. 23. *Bombyces & in Co insula nasci tradunt, ... fieri autem primo papiliones parvos nudosque, mox frigorum impatientiâ villis inhorrescere, & adversum hyemem tunicas sibi instaurare densas, pedum asperitate radentes foliorum lanuginem in vellera: hanc ab his cogi subigique unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuarique ceu pectine, &c.* falli porro Plinium constat: nec enim e foliis quibus insidet papilio, sed ex alvo suâ promit tenuem istam lanuginem, filaque ac totum opus.

15. *Notis condita fastis.*) In fastis perscribebantur nomina, anni, facta magnorum virorum: seu, fasti libri erant, in quibus cujusque diei annique gesta notabantur, ad memoriam posterorum. Cic. Epist. *Decrevi ut in fastis ad eum diem Bruti nomen ascriberetur .... Quod cum ego dabam Bruto, notam esse in fastis gratissimæ victoriæ memoriam volebam.* Sensus Horatii est: sicut non redeunt anni consulum aliorumque in fastis & annalibus scripti; sic prior ætas Lyces famose transacta non redibit. Juventus, forma, gratia dudum abierunt, nunquam reparabuntur aut redibunt.

18. *Quo motus?*) Ubi decorus ille pridem incessus, gestus, & in saltando agilitas, quæ te spectabilem faciebant?

*Quid habes illius, &c.*) Quid jam habes residuum e pristina tua pulcritudine, qua fueram captus & mihimet ereptus?
Virgil. Eclog. 4.
*Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.*

16. *Spirabat amores.*) Anacreon. scripserat παῖδα Κύπριν πνέουσαν. *puellam quæ Venerem spirat.* Act. Apost. cap. 9. ὁ δὲ Σαῦλος ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου. *Saulus spirans minarum & cædis.*

21. *Felix post Cynaram.*) Uni cedens Cynaræ, elegantiâ scilicet & venustate: post Cynaram secunda. Vel, post mortuam Cynaram mihi tum demum adamata. Vide supra hujus lib. Od 1. v. 4.

*Notaque & artium gratarum facies.*) Artificiose composita, fucis exornata: vel iis a natura dotibus instructa, quæ amorem excitant & pelliciunt, quales frons hilaris, & aperta, oculorum fulgor, superciliorum motus, genarum candor aliquo rubore distinctus. Quidam legunt *faciei*; nec male.

24. *Parem cornicis vetulæ, &c.*) Cornicis ætas diuturna, hinc dicta annosa lib. 3. Od. 17. vide ibi annot.

26. *Possent ut juvenes, &c.*) Ad hoc, o Lyce, protraxisti vitam usque ad senectutem, ut esses ludibrio juvenibus, te videntibus mutatam & depravatam senio, ac velut exstinctam & in viles *cineres dilapsam*; instar facis, postquam ingens lumen splendoremque emisit, tempore consumptæ & in favillas tenues & siccas redactæ.

AD

Digitized by Google

## AD AUGUSTUM,

# ODE XIV.

*Sat magnos honores ei tribui non posse.*

Quæ cura patrum, quæve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in ævum
Per titulos, memoresque fastos
Æternet? O quà Sol habitabiles
Illustrat oras, maxime Principum;
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper,
Quid Marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Brennosque veloces, & arces
Alpibus impositas tremendis
Dejecit acer plus vice simplici.
Major Neronum mox grave prœlium

### INTERPRETATIO.

*Quod Senatorum, vel quod Populi Romani studium amplis honorum donis tuas, Auguste, virtutes in sempiternum propaget per inscriptiones & fastos memoriam custodientes? o maxime Principum, quacumque Sol habitabiles terras illuminat, quem Vindelici Imperio Romano nondum subditi senserunt quantum re militari valeas? Tuis enim exercitibus Drusus non semel strenue profligavit Genaunos immanem gentem, & Breunos celeres, castellaque Alpibus horrificis exstructa. Deinde Neronum major natu acriter depugnavit,*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Oda 9. Lib. 1.

1. *Quæ cura, &c.*) Præclarum & luminosum ex abrupto exordium hujus Odes, quæ ut elegantiâ dictionum & sublimitate materiæ, sic & arte & ingenio par omnino est quartæ hujus libri. Hic Tiberii sicut illic Drusi virtutes celebrat Poeta, utrobique vero gloriam omnem in Augustum confert, singulari prorsus industriâ & artificio.

2. *Honorum muneribus.*) Publicis monumentis: statuis, inscriptionibus honorificis, &c.

4. *Memores fastos.*) Commentarios publicos, quibus virorum illustrium nomina & facinora inscribuntur cum laude, ac posteritati commendantur, rebus per annos & tempora digestis & consignatis.

5. *Æternet.*) Non. Marcell. ex Varrone, Rer. human. lib. 2. *litterisque ac laudibus æternare.*

*O quà Sol habitabiles, &c.*) Auguste, maxime Principum, qui habitabili terrâ quæcunque sunt ac dominantur.

8. *Vindelici.*) Supra Od. 4.

9. *Milite nam tuo, &c.*) Tuis nimirum auspiciis, tuâ felicitate hostes devicit Drusus.

10. *Genaunos, Brennos.*) Alii frustra, *Geraunos, Tenaunos*; item *Breunos, Brencas, &c.* ex Strabone, diserte Genauni & Breuni partem Alpium exteriorem cum Noricis & Vindelicis habitabant. Unde noster mox, *arces Alpibus impositas*. Vide Flor. lib. 4. & Vell. Patercul. antea cit. Od. 4. hujus libri.

*Implacidum genus.*) Ex Strab. cit. cum illi urbem expugnarunt, non viros occidebant solum, sed infantes etiam masculos, imo mulieres prægnantes, si mascula gravidas vates respondissent.

12. *Alpibus tremendis.*) Ob nives & præruptas cautes, aditu difficillimas, atque, ut ait Florus, *quo bellum non posse ascendere videbatur.* Adde *gentes numero frequentes, feritate truces, &c.* quod habet Vell. Paterc.

13. *Plus vice simplici.*) Nonnulli sic interpretantur: non simpliciter vicas reddens hostibus, sed multo acceptis majora iis mala & damna invehens.

14. *Major Neronum.*) Claudius Tiber. Nero, de quo supra, Od. 4. Is Druso fratri datus adjutor ac in subsidium missus præclare bellum confecit, ut fuse narrat Vell. Patercul.

Commisit, immanesque Rhætos
Auspiciis pepulit secundis.
Spectandus in certamine Martio,
Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes, impiger hostium
Vexare turmas, & frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Cum sævit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris;
Ut Barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque & extremos metendo
Stravit humum; sine clade victor;
Te copias, te consilium, & tuos

## INTERPRETATIO.

*& felicibus auspiciis suis repressit Rhætos feroces: spectari dignus in prœlio Martis, quam magnis cladibus vexaret corda neci pro libertate addicta; acer exagitare hostium catervas, & agere frendentem equum per medias flammas, fere quomodo Notus agitat mare turbatissimum, Vergiliis nubes rumpentibus. Aufidus tauri formam habens & Dauni Appuli regionem irrigans ita fluit rapide quando grassatur & magnam eluvionem parat agris cultis; sicut Tiberius Nero Barbarorum copias armis instructas ingenti strage cecidit, atque primos & ultimos sternens terram operuit cadaveribus, victor absque damno; te milites, te consilium, te*

## ANNOTATIONES.

15. *Rhætos.*) Supra Od. 4.

16. *Auspiciis pepulit secundis.*) Auspiciis Augusti fretus.

*Pepulit.*) Recte & ex fide historiæ. Nam quos perdomitus adulstnrie Velleius scribit, verios coercitos dontaxat ait Suetonius, Octav. cap. 21. Vide & Euseb. Chron. ad Olympiad. 193.

18. *Devota morti pectora liberæ.*) Mori paratos potius libertate fruentes, quam vivere serviendo.

20. *Indomitas prope qualis, &c.*) Similitudine conglobatâ rem illustrat, & mirum quantum auget. Ne leviter præteri, lector, istas ingenii opes.

21. *Auster.*) Ventus meridianus excitandis tempestatibus famosus, ut alibi fusius annotavi.

*Pleiadum.*) Septem stellæ sunt inter arietis caudam & tauri collum, quarum ortus occasusque nimbos ac tempestates ciet. *Choro.* Ex Hygino Astron. lib. 2. cap. 21. *Pleiades choream ducere existimantur.* Ita dictæ, vel quasi πλείονες, *plures*, vel potius a πλέω, *navigo*: quia navigandi tempus indicant ortu suo matutino, scilicet circa æquinoctium vernum: hinc & Latinis Vergiliæ dicuntur a vere. Harum meminit Cic. de Nat. Deorum, 2.

24. *Medios per ignes.*) Per medium pugnæ fervorem, hostium cuneos perrumpendo; vel per accensos revera ab hostibus ignes, per incensa castra, &c.

25. *Tauriformis Aufidus.*) De eo flumine, l. 3. Od. ult. & hujus lib. Od. 9. *Tauriformis*, qui rapido cursu, & allisis ad ripas aquis, ingens murmur edat, quasi tauri mugitum. Hinc nomen & fabula. Alias alii sed longius & perperam etymologias petunt.

26. *Dauni Appuli.*) Lib. 1. Od. 22. stroph. 4. lib. 2. Od. 1. sub finem. Item Od. 6. hujus libri.

27. *Cum sævit.*) Quando exundat, agrisque infert vastitatem, & *sternit sata læta, boumque labores;* quod canit Virgil. Æneid. 2.

28. *Meditatur.*) Dictio perelegans: pro qua inepte alii, *minitatur*.

29. *Barbarorum.*) Rhætorum.

*Claudius.*) Tiberius Nero, de quo ante.

32. *Sine clade victor.*) Ex Velleio Paterc. cit. ad Od. 4. hujus libri, *sine ullo detrimento commissi exercitus; quod præcipue huic duci semper curæ fuit, &c.*

33. *Te copias, te consilium, &c.*) Omnis ergo laus & gloria victoriæ cessit Augusto, cujus auspiciis Tiberius victor exstiterat. Nam solius Impe-

Præbente Divos. Nam tibi, quo die
Portus Alexandrea supplex,
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque & optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, & Indus, te profugus Scythes
Miratur, o tutela præsens
Italiæ dominæque Romæ!
Te, fontium qui celat origines,
Nilusque, & Ister, te rapidus Tigris,

## INTERPRETATIO.

*Deos tuos suppeditante. Enimvero quo die Alexandria supplicans tibi portus & aulam desertam aperuit, post tertium lustrum fortuna obsecundans prosperum militiæ finem præbuit, & honores expetitamque gloriam confectis expeditionibus tribuit. Te Cantaber antea invictus, & Medus atque Indus, te Scytha vagus veneratur, o Cæsar certum columen Italiæ ac Romæ Principis. Te Nilus aquarum scaturiginem abscondens, te Danubius, te vehemens Tigris,*

## ANNOTATIONES.

peratoris etiam absentis valere auspicia ad gerenda bella veteres existimabant. Et hinc ad eum semper victoriam referebant, cujus auspiciis debellatum fuerat. Suetun. Octav. cap. 21. *Domuit partim ducta, partim auspiciis suis Cantabriam ... Item Rhætiam, & Vindelicos, &c.* Ovid. Trist. 2.

*Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas:*
*Auspicium cui das grande, Deosque tuos.*

34. *Nam tibi quo die, &c.*) Quo die captam Alexandriam victor intrasti, eodem die post annos quindecim per Tiberium Rhætos debellasti, secundosque exitus & optatum decus habuisti.

*Quo die.*) Ultimo die Sextilis mensis, ann. U.C. 723. prior illa de Antonio & Cleopatra victoria Augusto contigerat; posterior autem de Rhætis, Vindelicis, &c. ann. U.C. 738. Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 1. post medium hunc Horatii locum affert. Vide Euseb. Chron. Suetoo, Vell. Patercol. Flor. &c.

35. *Portus.*) Quidam legunt *portas*.

*Alexandrea.*) Alexandri opus, ab eo Magna etiam olim dicta, urbs Ægypti primaria, portum habet commodissimum emporiumque celebre.

36. *Vacuam patefecit aulam.*) Cum in eam urbem confugissent Antonius & Cleopatra, invadentibus Romanis demum, ille sibi manus attulit violentas, deportarique semianimis voluit in Mausoleum a Cleopatra conditum, quo & hæc se recepit. *Vacuam* ergo *aulam* victor Augustus reperit.

39. *Peractis Imperiis, &c.*) Confecto jam bello Rhætico & Vindelico, item Pannonico atque Germanico: finitis expeditionibus, feliciterque orbe pacato. Vide Od. seq.

*Optatum decus.*) Hoc alii referunt ad Tiberium, qui ob res bene gestas & confectas, ovans urbem ingressus est: melius alii ad Augustum, cui decreti tum demum sunt honores divini, dominatusque perpetuus.

41. *Te Cantaber, &c.*) Adverte, studiose lector, amplificandi ubertatem & felicitatem, verborum dictionumque copiam & lumen. De Cantabris lib. 2. Od. 6. init. lib. 3. Od. 8. ubi,

*Servit Hispanæ vetus hostis oræ,*
*Cantaber serâ domitus catenâ.*

42. *Medusque & Indus.*) Lib. 1. Od. 12. l. 3. Od. 8.

*Scythes.*) Lib. 1. Od. 19. & 35. lib. 2. Od. 9. in fine. Lib. 3. Od. 8. & 24.

43. *Tutela præsens Italiæ.*) Lib. 3. Od. 5.

*Præsens divus habebitur Augustus.*

Virgil. Eclog. 1. v. 42.

*... neque servitio me exire licebat,*
*Nec tam præsentes alibi cognoscere Divos?*

46. *Nilus.*) Metonym. pro Ægypto provinciâ, quam rigat & fœcundam reddit exundatione suâ fluvius ille vel solo notus nomine. De eo plura lib. 3. Od. 3. stroph. 12. *fontium qui celat origines.* Plin. lib. 5. cap. 9. *Nilus incertis ortus fontibus, &c.* Ita quidem veteres: at modo compertus est oriri duobus e fontibus in Æthiopiâ superiori regnoque Abassenorum, in terra Sacahala, inter excelsos montes; augetur vero primum fluviis Gema, Kelti, Branti, aliisque subinde confluentibus. De Nili origine nuper disseruit erudite Isaacus Vossius, nec non Michael Ant. Baudrandus in suo Lexico seu Commentario ad Philipp. Ferrarium.

*Ister.*) Seu Danubius, fluvius Germaniæ maximus, per ostia sex aut septem in Euxinum mare labitur. Ammian. Marcell. Ptolem. &c. Sy-

ueed.

Te belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis,
Te non paventis funera Galliæ,
Duræque tellus audit Iberiæ;
Te cæde gaudentes Sicambri
Compositis venerantur armis.

## INTERPRETATIO.

*te Oceanus belluas educans, qui separatis Britannis obmurmurat, te regio Gallia mortem haud timentis, atque Hispania ferox veneratur. Tibi crudeles Sicambri conditis armis obtemperant.*

## ANNOTATIONES.

necd. pro Germania, quam *sic perdomuit* Tiberius Nero, *ut in formam pœne stipendiariæ redigeret provinciæ:* quare *tum alter triumphus cum altero consulatu ei oblatus est*. Vell. Patere. lib. 2. jam sæpe citato. Vel potius intelligendi sunt provincti populi ad Istrum usque, scilicet Vindelici, Pannonii, Daci, &c.

*Rapidus Tigris.* ) Is Armeniæ fluvius oritur e montibus Ararath, Euphratem recipit, in sinum Persicum effunditur. Supra omnes Asiæ fluvios rapidus, nomen adeptus est; eo quod tam velox esse videatur quam sagitta, quæ tigris appellatur apud Medos. Vide Plin. l. 6. c. 27. Porro Judicantur hic Parthi, qui Armeniâ, quam tenebant, Augusto jubente cesserunt, imo signa victis Romanis erepta ultro remiserunt, ut dictum est, Od. 5. lib. 3.

47. *Te belluosus qui, &c.* ) Oceanus Britannicus pro ipsa Britannia majore, quæ modo Anglia nuncupatur. Nam ab hujus insulæ primoribus ad Augustum missæ sunt legationes ad amicitiam ejus deposcendam: ut annotavi, ad Od. 5. lib. 3.

*Belluosus.* ) Novum epithetum, sed aptissimum: quod ut intelligas, lector, consule Plinium, lib. 9. cap. 5. ubi sic habet: *D. Augusto legatus Galliæ scripsit, complures in litore apparere exanimes Nereidas..... Tiberio Principe contra litus insularum Lugdunensis provinciæ belluas amplius trecentas simul reciprocans destituit Oceanus, miræ varietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum litore: interque reliquas, elephantos & arietes... expulsam belluam in litora Gaditana, cujus inter duas pinnas ultimæ caudæ cubita sexdecim fuissent, dentes ejusdem centum & viginti, maximi dodrantium mensurâ, minimi semipedum Bellua cui dicebatur exposita fuisse Andromeda, ossa Romæ apportata ex oppido Judææ Joppe, ostendit inter reliqua miracula in Ædilitate suâ M. Scaurus, longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum Indicos elephantos excedente, spinæ crassitudine sesquipedali.*

48. *Britannis.* ) De adjectis Augusti Imperio hisce populis, dixi lib. 3. Od. 5. v. 3. Jam qui sint illi dicendum. Insula est in Oceano Septentrionali maxima, olim Albion dicta, Galliæ obversa, Britannis pridem habitata. Hos avitis sedibus expulerunt Angli Germanica natio, circa annum Christi 441. In Cismarinam porro migrantibus illis regionem, quæ prius Aremorica dicebatur eadem Britannia minor vocata, & nunc pars est regni Francorum.

49. *Non paventis funera Galliæ.* ) Galli præ ferocitate mortem aspernebant adeo, ut imminens evidensque vitæ periculum declinare cum possent, minime tamen vellent. forte quod metempsychosin a Druidis edocti spem reviviscendi conciperent. Hinc & coronati pugnabant. Testis Ælianus, Var. Histor lib. 12. cap. 18. Cæsar bell. Gall. lib. 6. cap. 13. *In primis Druides hoc volunt persuadere non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios: atque hoc maxime ad virtutem excitari putant, metu mortis neglecto, &c.*

50. *Duræ tellus Iberiæ.* ) Hispani labore & militiâ indurati. Vide supra annot. hujus libri Od. 5. v. 28.

51. *Sicambri.* ) Supra, hujus l. Od. 2. v. 36. annot.

ODE

# ODE XV.

## AUGUSTI LAUDES.

Phœbus volentem prœlia me loqui
Victas & urbes, increpuit lyrâ,
Ne parva Tyrrhenum per æquor
Vela darem. Tua, Cæsar, ætas
Fruges & agris rettulit uberes,
Et signa nostro restituit Jovi,
Derepta Parthorum superbis
Postibus; & vacuum duellis
Janum Quirini clausit: & ordinem

### INTERPRETATIO.

*Meditantem me canere certamina & urbes expugnatas Apollo citharâ objurgavit, ne vela exigua committerem Tyrrheno mari. Tuum, Auguste, ævum revocavit agris messem fecundam, nostroque Jovi reddidit vexilla arrogantibus Parthorum valvis ablata: obseravit Janum Quirini bellis vacuum: justas etiam leges & modum*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod supra Ode 9. Lib. 1.

1. *Phœbus volentem, &c.* ) Perperam certe nonnulli codices Oden hanc præcedenti junctam habent & continuam. Imo Poeta in Augusti laudes passim effusus, ut annotavi antea, cum cæteris omnibus ipsique Augusto satisfaceret, ipse vero sibi nunquam satisfacit. Hinc est quod istic a Phœbo se ait monitum atque objurgatum, quod laudandum Cæsarem pro meritis singularibus assumeret, qui omni esset laude major: sicque novum laudis genus contexit. Lib. 3. Od. 3. similiter,

*Quo, Musa, tendis? Desine pervicax*
*Magna modis tenuare parvis.*

2. *Increpuit lyrâ.* ) Vulgo jungunt vocem, *lyrâ*, cum verbo, *loqui*: sed profecto durinsculus foret contextus: nec tam disjuncta opus est connectere ad optimum sensum. Arbiter esto, lector emunctæ naris.

3. *Ne parvis Tyrrhenum, &c.* ) Ne vellem exiguâ cymbâ navigare ingens æquor, id est, ne tenui facultate dicendi præditus ad magna Augusti merita laudibus extollenda me accingerem, infelici exitu. Ita modestiæ suæ quidem Horatius, Augusti vero magnitudini diserte velificatur. De mari Thyrrheno lib. 1. Od. 11. v. 6. & alibi. Hic vero pro quolibet vasto mari ponitur, per metonymiam.

4. *Tua, Cæsar, ætas fruges & agris rettulit uberes.* ) Hac ætate tuâ cultos videmus agros, uberesque messes habemus per providentiam tuam: cum antea bellis civilibus aut hostilibus sterilitas & vastitas rura deformarent atque depopularentur. Supra Od. 5. hujus libri.

6. *Signa nostro restituit Jovi.* ) Reposita sunt in Jovis Capitolini templo signa Romana, ibidem servari solita; quæ quidem profligatis Crasso Antonioque, Parthi ademerant, templorumque suorum parietibus & columnis suspenderant velut ἀνάθεματα, non sine ingenti suâ superbiâ, parique ignominiâ Romani nominis. Verum illi Augusto obsequentes restituerunt vexilla nostra. Lib. 3. Od. 5. Vide Justin. lib. 42. in fine. Suet. Octav. cap. 21. &c. nec non Pers. Sat. 6. v. 45. Memineris autem hæc a Poeta non temere Augusto sæpius occini, quod nosset perquam grata esse: nam & cusi sunt nummi cum hac epigraphe, SIGNIS RECEPTIS, & Marti Vindici fanum Cæsar ædificavit. Testis Dio.

9. *Janum Quirini clausit.* ) Templum scilicet Jano conditum & consecratum a Quirino seu Romulo, Augustus finitis bellis clausit. De Jano fuse disserit Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 9. *In sacris*, inquit, *invocamus Janum Geminum... Janum patrem, quasi Deorum Deum... Janum Quirinum quasi bellorum potentem ab hasta quam Sabini curim vocant. Janum Patulcium, & Clausium; quia bello valvæ ejus patent, pace clauduntur.* Causam porro & originem istius ritûs petit a bello Sabino; quo, irruentibus in urbem per patentem portam Janualem hostibus, *ex æde Jani magna torrentium vis erupit*, hostesque *undis scatentibus, ferventis aquâ, rapidâque vortigine* aut exussit aut devoravit. *Eâ re placitum, ut belli tempore, velut ad urbis auxilium profecto Deo, fores reserarentur.* Sed & facile est augurari, ideo Jani templum belli temporibus apertum, ut ad eum populi vota precesque deferrent, quem *bellorum potentem* credebant. Ita Macrob. mox cit.

Rectum, & vaganti fræna licentiæ
Injecit; amovitque culpas,
Et veteres revocavit artes;
Per quas Latinum nomen & Italæ
Crevere vires, famaque & imperî
Porrecta majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Cæsare, non furor
Civilis, aut vis eximet otium:
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non, qui profundum Danubium bibunt,
Edicta rumpent Julia; non Getæ,

## INTERPRETATIO.

*imposuit licentiæ effrænatæ: abstulitque flagitia: nec non antiquas reparavit disciplinas, quibus nomen Romanum opesque Italiæ amplificata sunt, atque Imperii gloria potentiaque ab Occasu ad Orientem est propagata. Augusto Rempublicam tenente, pacem non turbabit civilis tumultus vel impetus, nec odium quod gladios fabricat, & civitates efficit adversas ac miseras. Julias leges haud frangent qui altum Danubium potant, neu Getæ,*

## ANNOTATIONES.

*Clausit.*) Sueton. Octav. cap. 22. *Janum Quirinum non semel atque iterum a condita urbe, memoriam ante suam clausum, in multo breviore temporis spatio, terrâ marique pace partâ ter clausit.* Orosius lib. 6. cap. 20. & seq. distinguit tempora, *primo post Actiacam pugnam: iterum victis Cantabris.* (Et de hac secunda Jani templi clausura loquitur istic Horatius, qui tertiam minime vidit jam tum fato functus) *tertio gentibus omnibus terra marique pace compositis.* Dio pariter lib. 53. & 54. ubi clausum ab Augusto Janum notat, primo in quinto suo consolatu, post Actiacam victoriam: iterum consulatu decimo: tertiò consulatu undecimo: ex lapide qui Emeritæ in Hispania:

IMP. CÆS. DIVI
F. AUGUSTUS. PONT. MAX.
COS. XI.
TRIBUNIC. POT. X. IMP. VIIII.
ORBE MARI ET TERRA
PACATO. TEMPLO JANI CLUSO.

Vide Just. Lips. Elect. lib. 1. cap. 20. ubi luculenter evincit eos, qui ex Livio & Plutarcho *quasi rem confessam sumunt* incassum quidem, *Janum non ter ab Augusto, sed tantum semel clausum, idque post Actiacum bellum.* Unde & Glareanus perperam emendat Sueton. cit. *tertio clausit*, pro, *ter clausit*. Quibus egregie occinit Lips. ibid. *parcite boni manes, non ego vos sollicito: tamen hic largiter erratis.*

10. *Et vaganti.*) Quidam legunt, *evaganti*, junguntque sic priores voces cum sequentibus: *ordinem rectum evaganti fræna licentiæ injecit.* De coercitis grassatoribus ab Augusto Sueton. 32.

11. *Amovitque culpas.*) Sueton. Oct. cap. 34. *Leges retractavit, & quasdam ex integro sanxit; ut sumtuariam, de adulteriis, de pudicitia, de ambitu, de maritandis ordinibus... divortiis modum imposuit, &c.* Vide & c. 42. &c.

12. *Veteres revocavit artes, per quas, &c.*) Priscas virtutes, religionem, fidem, justitiam, temperantiam, patientiam, per quas primi Romani hostibus formidabiles perinde atque admirabiles amabilesque exstiterunt. Vell. Paterc. *Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor, restituta vis legibus, judiciis auctoritas, Senatui majestas, & prisca illa & antiqua Reipublicæ forma revocata; rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio: leges emendatæ utiliter, latæ salubriter, &c.*

14. *Imperi porrecta majestas ad ortum, &c.*) *Augustus ab Oriente in Occidentem, a Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus unâ pace compositis, Jani portas tertio ipse tunc clausit, quas ex eo per duodecim fere annos quietissimo semper obseratas otio ipsa etiam rubigo consignavit.* Orôs. l. 6. cit.

15. *Ad ortum Solis ab Hesperio cubili.*) Sol dum occidit, Atlantico Oceano conditur, & quasi requiescit *cubili*: quod *Hesperium* dicitur ab Hespero stella, quæ vesperi ad Occidentem apparet: unde & Hesperiæ ultimæ nomen datum Hispaniæ, eo quod ultima sit ad occasum regio. Cum vero simpliciter Hesperiam vocant auctores, indicant Italiam ab Hespero Atlantis fratre, qui eo se ex Africa contulit, sic nominatam.

20. *Inimicat.*) Quintus Cicero de petitione consulatus, n. 17. *sin autem neges, statim sese alienant, & inimicantur.* Alii tamen codices aliter: nec habent vocem *inimicantur*: sed tantum: *sin autem id neges, certe abalienes & statim & plures.*

21. *Qui Danubium bibunt.*) Accolæ Danubii fluminis, nempe Suevi, Norici, Vindelici, Daci, Pannonii, Germani; de quibus notu. De Danubio sive Istro, præced. Od. 14. Vide & Od. 5. hujus libri.

22. *Edicta Julia.*) Supra ad voces, *amovitque culpas.* Ex Sueton. Octav. 34. Dione lib. 53. & 54. Vide & carmen seculare post Epod.

*Getæ.*) Et hi Danubium prope habitant ac bi-

Non Seres, infidive Persæ,
Non Tanaim prope flumen orti.
Nosque & profestis lucibus, & sacris,
Inter jocosi munera Liberi,
Cum prole, matronisque nostris,
Rite Deos prius apprecati,
Virtute functos more patrum duces,
Lydis remisto carmine tibiis,
Troiamque & Anchisen, & almæ
Progeniem Veneris canemus.

## INTERPRETATIO.

*non Seres, aut Persæ fallaces, nec nati ad amnem Tanaim. Nos autem diebus tam festis quam profestis inter dona hilaris Bacchi, cum liberis & conjugibus nostris, numinibus antea rite invocatis more majorum, adjuncto carmine Lydiis fistulis, celebrabimus duces virtute insignitos, atque Troiam, & Anchisen, sobolemque jucundæ Veneris.*

## ANNOTATIONES.

hibunt, hodie Moldavi; Scythis vicini sunt, & inter Dacos numerantur.

23. *Seres.* ) Scythæ, Indi, &c. Vide plura de his lib. 1. Od. 12. v. sub finem.

*Infidive Persæ.* ) Parthi regionem Perside comprehensam incolentes, de quibus lib. 1. Od. 12. & 19. & lib. 3. Od. 5. *Infidi*, qui Crassum simulatâ pace occiderunt.

24. *Tanaim prope flumen orti.* ) Scythæ, de quibus lib. 1. Od. 19. lib. 2. Od. 9. lib. 3. Od. 24. De Tanai, quem *Scythicum amnem* vocat Horat. lib. 3. Od. 4. vers. 36. Od. 10. v. 1. Od. 29. v. 28. vide ibi annot.

25. *Nosque & profestis, &c.* ) Nos Romani tot ab Augusto beneficiis cumulati, ipsum ejusque majores canere non intermittemus, tum *profestis lucibus*, quam *sacris*: atque adeo quotidie, in conviviis publicis privatisque, honorem Augusto deferemus per libationes etiam & vota precationesque. Vide annot. supra Od. 5. stroph. 8. & seq.

*Profestis lucibus, & sacris.* ) Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 16. ita scribit: *festi Diis dicati sunt; profesti hominibus ob administrandam rem privatam publicamque concessi, &c.* Et postea: *profesti, & qui ex his procedunt, sunt fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares.* Hos deinde singulos explicat ibid.

28. *Jocosi munera Liberi.* ) Vina sunt Bacchi munera: is vero *lætitiæ dator*. Virgil. Æneid. 1. v. 738.

28. *Rite Deos prius apprecati.* ) Inter libationes Dii invocabantur.

29. *Virtute functos.* ) Cic. Tuscul. 1. n. 109. *Nemo parum diu vixit qui virtutis perfectæ perfecto functus est munere.*

*Duces canemus Lydis remisto carmine tibiis.* ) Cic. mox cit. Tusc. 1. initio. *Est in originibus*, inquit, *solitos esse in epulis canere convivas ad tibicinem de clarorum hominum virtutibus.* De legib. 2. n. 62. *Honoratorum virorum laudes ad cantus & ad tibicinem prosequuntur.* Valer. Maxim. lib. 2. cap. 1. in fine. *Majores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent.*

30. *Lydis.* ) Modis ac numeris hilarioribus. Nam tibiarum modi varii, Dorius gravis; Ionicus floridus; Phrygius religiosus: at *Lydius* mollis & suavis. Sicut *Lydi* Asiæ minoris populi Ionibus Phrygibusque affines ac medii, male semper audierunt, velut effeminati, & cupediarum, voluptatum deliciarumque sectatores. Proverb. *Lydio more*, apud Herodotum, Suidam, Athenæum, lib. 12.

31. *Troiam & Anchisen, &c.* ) Canemus Troiam, Anchisen, Æneamque ejus & Veneris filium, totamque gentem Juliam inde ortam, Julium Cæsarem, Augustum in Juliam familiam ascitum, Tiberium, Drusum. Lucret.

*Æneadum genitrix, hominum Divûmque voluptas,*
*Alma Venus.*

QUIN-

Digitized by Google

# QUINTI
# HORATII FLACCI
## EPODON LIBER
### SIVE
## ODARUM LIB. V.

### ODE I.
### *AD MÆCENATEM.*

*Cui ad bellum Actiacum ire paranti offert se comitem.*

Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula;

INTERPRETATIO.

*Navigabis, o amice,* Liburnicis navibus *inter excelsa navium munimenta,*

ANNOTATIONES.

Metrum est Iambicum, Prior quisque versus est trimeter; alter quisque dimeter.

De hujus libri titulo primum dicam pauca. Illum Horatius non inscripsit unquam: excogitavere Grammatici, multis post annis, imo post aliquot sæcula, Horatii Odas aliaque opera colligentes, compingentes, & eo ordine, quem modo videmus, digerentes. Unde vero Epodos commenti sunt? Certant etiamnum eruditi. An quod ultimus sit Odarum liber, & quasi post Odas? At levicula ratio. An quod Odæ istæ sint post alias factæ? Imo vero pleræque hujus libri aliis sunt priores, v. gr. Epod. 9. manifeste antecedit Oden 37. lib. 1. An quod longiori versui brevior attexitur? Atqui hujus generis Odæ reperiuntur etiam in cæteris libris, & in hoc ipso libro ultima & penultima est monocolos & ejusdem metri. Quid quod doctus & sagax Muretus ingenue fatetur, non satis intelligere se cur Epodos liber hic vocetur: Fabricius autem scribit, in libris prioribus Horatium imitatum esse Alcæum & Sapphonem; in isto vero Archilochum atque Lucilium. Certe Marius Victorinus lib. 3. sic habet: *Archilochus fuit singularis artificii in excogitandis & formandis novis metris, primusque Epodos excitavit, alios breviores, alios longiores, detrahens unum pedem seu colum metro, ut illi subjiceret id quod ex ipso detractum esse videbatur ... Horatius ejus exemplum secutus est in ea Ode,*

*Solvitur acris hyems grata vice veris & Favoni:*
*Trahuntque siccas machinæ carinas.*

Ergo Ἐπῳδῶν librum hunc inscripsere Grammatici, seu quod Archilochi, & Lucilii exemplo maledictis conferta pleraque carmina contineat; seu quod Iambicis trimetris subtexuntur accinanturque dimetri, longioribus quibuscunque versibus

bre-

Digitized by Google

Paratus omne Cæsaris periculum
Subire, Mœcenas, tuo.
Quid nos, quibus te vita sit superstite
Jucunda; si contra, gravis?
Utrumne jussi persequemur otium
Non dulce, ni tecum simul?
An hunc laborem mente laturi, decet

## INTERPRETATIO.

*Augusti discrimen quodlibet promptus obire tuo periculo. Quid agemus nos, quibus vita vivente te grata fuerit; si secus, molesta? An ex mandatis otio fruemur minime jucundo, nisi unà tecum? An vero istum laborem toleraturi sumus eo animo,*

## ANNOTATIONES.

breviores. Et hæc mea quidem sententia. Enimvero parum satisfacit quod ajunt alii, quoniam *Epodus* est velut Odes clausula, additurque post strophen & antistrophen, hinc ἐπῳδοὺς vocari eos versus minores qui subjecti longioribus sensum finiunt & concludunt. Contrarium siquidem in nonnullis Horatii Epodis agnoscitur. Vide Marium Victorinum lib. 1. Galenum de usu partium, Epilogo lib. 17. Diomedem lib. 3. cap. 4. Isidorum lib. 1. cap. 38. Terentianum Maurum lib. de metris, Scaligerum Poet. lib. 1. c. 44. &c.

1. *Ibis Liburnis, &c.*) Ergone ibis hinc procul absque me, qui te carere vix queo? Ibis, Mœcenas, ad bellum cum Augusto adversus Antonium & Cleopatram, nullum non paratus subire periculum pro Cæsare tuendo.

*Liburnis.*) Naves Liburnæ minores erant, leviores, agiliores, proindeque bello idoneæ. His itaque Augustus Antonianas mole graviores facile profligavit, fugientemque persecutus debellavit Antonium. Nomen a Liburnis, hodie Croatis populis Illyrii, qui piraticæ causâ faciendæ, genus illud navium invenerant sibi percommodum. Vide Veget. de re milit. lib. 4. cap. 28. & seq.

*Inter alta navium propugnacula.*) Naves Antonii denotat ingentes quidem, exstructis in prora & puppi tabulatis turrium instar, Cæsarianis terribiles. L. Flor. lib. 4. c. 11. *Nobis quadringentæ amplius naves, ducentæ non minus hostium: sed numerum pensabat magnitudo. Quippe a senis in novenos remorum ordinibus: ad hoc turribus atque tabulatis allevatæ, castellorum & urbium specie, non sine gemitu maris & labore ventorum ferebantur. Quæ quidem ipsa moles exitio fuit ... Immensæ classis naufragio belli facto, tote mari ferebatur, &c.* Plutarchus in Anton. similiter refert, Cæsaris naves Brundusii & Tarenti fabricatas ad celeritatem, non ad roboris ostentationem, Antonianas contra ligneis turribus excelsas, e quibus in hostem catapultas emittebant. Plin. lib. 32. cap. 1. *Armatæ classes imponunt sibi turrium propugnacula, ut in mari quoque pugnetur velut e muris. Heu vanitas humana ... Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam navim Antonii pisciculus ... Ideoque Cæsarianæ classis impetu majore protinus venit.* Vide Veget. lib. 4. cap. 44. nec non Dionem Nicæum, sive Joann. Xiphilinum in Augusto, ubi scribit: *pugnatum est apud Actium, ubi nunc Nicopolis .... Naves Antonii erant navibus hostium longe majores, desiremes complures .... In his altissimas turres ædificari, atque magnum numerum hominum imponi in turribus jusserat .... De superiore loco hostes obruebant atque submergebant lapidibus, aliisque machinis, &c.*

3. *Paratus omne Cæsaris periculum subire.*) Teste Appiano, secutus est Augustum Mœcenas cum M. Agrippa, in Siciliam adversus Sext. Pompejum: item contra M. Antonium & Cleopatram, ad Actium Epiri promontorium. Vide apud Virgil. *Æn.* 8. præsertim a versu 675. ad 695. Actiacæ victoriæ descriptionem: ubi egregia Agrippæ quidem laudatio: at mirum quod ibidem Mœcenatis nulla mentio. Contra Xiphilinus mox citatus alterum ab altero non separat, ita scribens: *Cæsar ex prælio navali superior ... Agrippa in eo bello Cæsari magno usui fuit. Nam & Antonii quasdam urbes evertit, in quibus habebat bellicos apparatus, & ejus adversarios crebro vicit. Quas ob res ei atque Mæcenati tantam potestatem detulit Cæsar in rebus omnibus, ut literas quascumque ad Senatum vel alios mitteret, ipsi prius legere possent, & ex eis quæ vellent immutare: cujus rei causa annulum ab eo acceperant, quo literas obsignarent.* Et postea: *de Imperio deponendo Cæsar deliberationem habuit cum Agrippa & Mæcenate, cum quibus communicabat omnia arcana consilia. Ex his Agrippa consulebat justius ... Mæcenas majorem utilitatis habebat rationem ... Cæsar Mæcenati assensus est, sumpsitque nomen Imperatorium, &c.*

5. *Te vita sit superstite jucunda, si contra gravis.*) Vide lib. 2. Od. 17.

7. *Utrumne jussi persequemur otium, &c.*) An dum laborabis & periclitaberis tu, otium ego persequi potero? Certe quantumvis jubeas, parere hac in re & morem tibi gerere haud valeo.

9. *An hunc laborem, &c.*) Prolepsis, qua ipse sibi Horatius objicit: at militiæ ærumnas ferre minus esse idoneus: respondet vero, sibi cum Mæcenate quælibet tolerabilia videri. Cit. Ode lib. 2.

*Me nec Chimæræ spiritus igneæ,*
*Nec si resurgat centimanus Gyas,*
*Divellet unquam.*

Qua ferre non molles viros ?
Feremus. Et te vel per Alpium juga,
Inhoſpitalem & Caucaſum,
Vel Occidentis uſque ad ultimum ſinum,
Forti ſequemur pectore.
Roges, tuum labore quid juvem meo,
Imbellis ac firmus parum ?
Comes minore ſum futurus in metu,
Qui major abſentes habet:
Ut aſſidens implumibus pullis avis
Serpentium allapſus timet
Magis relictis: non, ut adſit, auxilî
Latura plus præſentibus.
Libenter hoc & omne militabitur
Bellum in tuæ ſpem gratiæ:
Non ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis;
Pecuſve Calabris ante ſidus fervidum
Lucana mutet paſcua;

## INTERPRETATIO.

*quæ tolerare debent viri non ſegnes? Tolerabimus certe, atque te ſectabimur generoſâ mente per altas Alpes, & Caucaſum inhabitabilem, & ad extrema Occidentis maria. Quæret, quid tuum laborem meo ſublevem ego non aptus militiæ, minimeque ſtrenuus.* Scilicet te *comitans minorem habebo* pro te *timorem, qui gravius angis abſentes: veluti avis incubans pullis implumibus, plus iis relictis metuit incurſiones anguium; majorem opem non præſtitura, etiamſi præſentibus aſtiterit. Hanc* & aliam *quamlibet militiam obibo amicitiæ tuæ gratiâ: nequaquam ut pluribus meis bobus annexa aratra portentur; aut greges e paſcuis Lucaniæ tranſeant in Calabra, ante ardeat aſtrum:*

## ANNOTATIONES.

11. *Per Alpium juga.*) Quas quidem ſuperaſſe tanti ſtetit ipſi Annibali aliiſque. Vide Tit. Liv. l. 21. c. 36. & ſeq. iſtos montes quibus Italia quaſi vallatur, *tranſcendiſſe quoque mirum fuit, atque in portento prope majores habuere.* Plin. Proœm. lib. 36.

12. *Inhoſpitalem & Caucaſum.*) Montem Aſiæ altiſſimum, ubi glacies & nives perpetuum horrorem faciunt. Vide lib. 1. Od. 22.

13. *Occidentis uſque ad ultimum ſinum.*) Ad Gaditanum uſque Oceanum, ultra Columnas Herculis, quem mundi finem ſtatuebant Romani, verſus Occidentem. Vide lib. 2. Od. 2. vers. 11. annot.

18. *Qui major abſentes habet.*) Ita eſt; rei amatæ quando abeſt, plus timetur; & mille falſa pericula amans ſibi fingit, illique formidat ſemper.

19. *Ut aſſidens implumibus, &c.*) Non quidem præſens ego te juvare plurimum ſperem: ſicut avis etſi pullis aſſideat, parum eos defendit a ſerpentibus: at tamen iis relictis abſens magis timet.

21. *Libenter hoc, &c.*) Hoc igitur bellum quantumviſ grave adibo intrepidus, ut te præſente fruar, o Mœcenas; tibique meum amorem teſtificer.

25. *Non ut juvencis, &c.*) Neque vero inde velim a te mereri vel conſequi donationes majores prioribus. Nequaquam plura cupiam agri jugera, ad quæ aranda pluribus juvencis ac bobus mihi opus ſit. Neque talia a te peto.

27. *Pecuſve Calabris, &c.*) Neque pariter numeroſiores greges habere exoptem, vel diverſa paſcua in diverſis regionibus: ut ſecundum varias cœli affectiones, commode ſemper illi paſcantur, modo in his, modo in iſtis. Varro de Re Ruſt. lib. 3. cap. ult. in fine. Appuli ſolent pecuarii, propter calores, in montes Sabinos pecus ducere.

*Calabris ante ſidus fervidum Lucana mutet paſcua.*) Pro, *Calabra paſcua*, ubi æſtus fervidior, *mutet Lucanis*, ubi cœlum magis eſt temperatum: *mutet*, inquam, & ab illis in hæc deducatur, *ante ſidus fervidum*, id eſt, ante Caniculam, cujus ardor nimius pecori eſt noxius & infeſtus. De *Calabria* lib. 1. Od. 31. De Canicula, lib. 1. Od. 17. v. 17. & lib. 3. Od. 13. v. 9.

28. *Lucana.*) Lucania Italiæ regio, in Regno Neapolitano, inter Apuliam, Brutios, Picentes,
al-

Digitized by Google

Nec ut superni villa candens Tusculi
Circæa tangat mœnia.
Satis superque me benignitas tua
Ditavit. Haud paravero
Quod aut, avarus ut Chremes, terrâ premam,
Discinctus aut perdam ut nepos.

## INTERPRETATIO.

*neque ut villa candida* vicina *alti Tusculi pertingat muros Circæos*. Imo *tua munificentia locupletavit me sufficienter & abunde. Absit ut accumulem quæ vel terræ infodiam velut Chremes avarus, vel dilapidem sicut helluo dissolutus*.

## ANNOTATIONES.

atque oram Tyrrheni maris: continatur in ea quæ *Basilicata* provincia nunc dicitur. Plin. lib. 14. cap. 6. vina Lucana commendat his verbis: *verum & longinquiora Italia ab Ausonio mari non carent gloriâ, Tarentina... Lucanaque*.

29. *Nec ut superni, &c.*) Neque ut villa mea in agro Tusculano sita, prædiumque quod ibi habeo a te mihi donatum, magis ac magis amplificetur, extendaturque ad usque Tusculum urbem in edito colle exstructam.

*Villa candens*.) E marmore candido ædificatam nonnulli explicant. Quasi vero villola Horatii, qua licet modicâ contentum se pluribus locis aperte jactitat, fuisset marmorea. Ergo, vel splendidulam, velle candenti lapide exstructam intellige. Plin. lib. 36. cap. 22. *in Liguria, Umbria & Venetia albus lapis dentatâ serrâ secatur*.

30. *Circæa mœnia*.) Tusculana; quippe Tusculum condiderat Telegonus Circes & Ulyssis filius. lib. 3. Od. 29. vers. 8. *Telegoni juga parricidæ*. Vide ibi annotat.

31. *Satis superque me benignitas, &c.*) Horatius a Mæcenate donatus fuerat prædiis aliquot, ut jam dixi; iis vero se plane contentum esse, nec plura flagitare prædicat lib. 2. Od. 18. v. 12. quanquam plura donare paratum sciret Mæcenatem, ut declarat lib. 3. Od. 26. strophe penultimâ. Si vacat, lector, lege etiam annot. lib. 3. Od. 23. vers. 1. & init. Epist. 16. ubi suam ipse villam describit Horatius.

32. *Haud paravero quod, &c.*) Nolim insanire divitias accumulando stulte & infodiendo occultandoque in terra, sicut Chremes ille senex avarus, apud Terent. Comœd.

35. *Discinctus aut perdam ut nepos*.) Absit etiam ut opes habeam, quas male perdam ac prodige effundam.

*Discinctus*.) Mollis, iners, ignavus, luxuriosus. Contra *cinctus* vocatur navus ac fortis. Apud Romanos discinctum seu non cinctum prodire in publicum, dissoluti ac perditi luxuriæ hominis nota erat. Proverb. *discinctæ vestis, discinctus animus*. Pers. Sat. 3.

*Non pudet in morem discincti vivere Nattæ*.

*Nepos*.) Ita vocatur luxuriosus, quod ei non major cura sit rei suæ familiaris, quàm solet esse juveni, cujus pater & avus adhuc vivunt, quos sibi novit opes congerere & opimam hæreditatem comparare. Festus.

ODE

Digitized by Google

# ODE II.

## VITÆ RUSTICÆ LAUDES.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore:
Nec excitatur classico miles truci,
Nec horret iratum mare:
Forumque vitat, & superba civium

### INTERPRETATIO.

*Felix ille, qui longe a negotiis, & liber ab usuris omnibus, agros paternos colit propriis bobus, sicut homines antiqui; neque bellator excitatur gravi sono tubæ, nec timet procellosum mare; fugit lites & domos superbas opulentorum civium.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Beatus ille, &c.*) Hæc Ode, vel confitente Hypercritico, *una longe pulcherrima*. Inducitur fœnerator Alphius vitam rusticorum ita laudans, ut videatur jamjam abjecto fœnerandi studio, illam amplexurus: qui tamen ad solitum quæstûs rorem mox ebripitur, & ad suos mores redit: adeo valet consuetudo inveterata.

*Beatus ille qui procul negotiis, &c.*) Pleraque hujus Odes lumine mutuatus est Horatius a Virgilio Georg. 2. sub finem. Quæ vero hic fuse extolit, ille sedulo perstrinxit: & contra, quæ Virgilius contracte dixerat, Horatius dilatare & explicare curavit. Virgil. cit. v. 458. Sic rusticæ vitæ laudes auspicatur:

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,*
*Agricolas! Quibus ipsa, procul discordibus armis,*
*Fundit humo facilem victum justissima tellus.*

2. *Ut prisca gens mortalium.*) Primis nempe sæculis felices & aurei mortales in agris degebant, terram exercebant, innocentem & beatam agebant vitam. Vide Plin. lib. 18. init. Valer. Maxim. l. 7. cap. 1. Virg. ante cit. v. 532.

*Hanc olim veteres vitam coluere Sabini;*
*Hanc Remus & frater: sic fortis Etruria crevit:*
*Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.*

. . . . . . . . . . .

*Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*

3. *Paterna rura bobus exercet suis.*) Non ingentia prædia usuris comparata, sed modica a parentibus sibi relicta. Od. 1. lib. 1. *gaudentem patrios findere sarculo agros* ... Vid. Tit. Liv. lib. 3. cap. 26. ubi *L. Quintius Cincinnatus spes unica Imperii Pop. Roman. quatuor jugerum colens agrum*, *a legatis* ad Dictaturam vocatur, inventus *seu fossam fodiens, bipalio innixus, seu cum araret: operi certe, id quod constat, agresti intentus.*

4. *Solutus omni fœnore.*) Qui nequaquam fœnori operam dedit unquam, nec dare velit: avaritiæ & cupiditatis labe nullâ aspersus. Fœnus sive usuram prohibent leges divinæ & humanæ. Deuter. c. 23. *non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Cato: *majores nostri sic habuerunt, & in legibus posuerunt: furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli: quanto pejorem civem existimaverunt fœneratorem quam furem.* Cic. Offic. 1. n. 150. *primum improbantur hi quæstus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum & fœneratorum.* Vide Alex. ab Alex. lib. 1. c. 7. &c.

5. *Nec excitatur classico miles.*) Dormit somnum placitum & placidum; nec, ut miles, tubæ sonitu excitatur.

*Truci.*) Quicquid ad arma bellumque attinet, truculentum est & horribile. Porro, *classica sunt cornua, quæ convocandi causa fuerunt facta: & a calando classicum quasi calassicum dicitur.* Isidor. lib. 18. cap. 4. Vide infra versus Virgil. mox afferendos, huc & ad sequentia pertinentes.

6. *Nec horret iratum mare.*) Nec, ut negotiatores ac mercatores, navigationis fert incommoda, aut maris irati horrores experitur. Vide Juvenal. Sat. 12. Item quæ annotavi l. 1. Od. 3. v. 9.

7. *Forumque vitat.*) Strepitûs forensis esset molestia. Litigandi quantus sit furor, quantus & labor, noverat Plutarchus, qui lib. de fœnore, asserit, forum esse *impiorum regionem*. Anacharsis scribit, *locum esse ad fallendum invicem, atque ad dandas avaritiæ manus destinatum*. Columella ait, exerceri *in foro insaniam quemque allatrandi, & contra innocentes, & pro nocentibus studium:* atque videri *concessum intra mœnia latrocinium:* additque; ibi, *nisi dorophagos expleas sordidosque ac nummarios*, prorsus *ludi operam*.

*Superba civium potentiorum limina.*) Profecto gravis erat servitus clientium superbo capiti quotidiane officia præstantium: primâ luce salutabant, deinde ad forum comitabantur, noctu etiam patronis adesse per orbem cursantibus cogebantur, &c. Vide Juvenal. Sat. 3. v. 124. & seq. Virgil. jam cit.

*Si non ingentem foribus domus alta superbis*
*Mane salutantum totis vomit ædibus undam.*

Et postea.

. . . . . . . . . .

In-

Potentiorum limina.
Ergo aut adultâ vitium propagine
Altas maritat populos:
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inserit:
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges:
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves.
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpuræ,
Qua muneretur te, Priape, & te pater
Sylvane, tutor finium!

## INTERPRETATIO.

*Itaque vel palmites vitium crescentes alligat excelsis populis; atque steriles surculos falce resecans, fertiliores inserit: vel in remota valle pascentes mugientium greges contemplatur: vel extracta favis mella recondit in vasis mundis: vel tondet oves imbecillas. Cum vero autumnus campis erexit caput dulcibus fructibus ornatum, quàm lætatur colligens pyra insitiva, & uvas purpura æmulas, quas tibi offerat, o Priape, tibique, Sylvane parens, agrorum custos!*

## ANNOTATIONES.

*Insanumque forum, aut populi tabularia vidit.*
*Sollicitant alii remis freta cæca; ruuntque*
*In ferrum, penetrant aulas & limina regum, &c.*

9. *Ergo aut adultâ, &c.*) Postquam ostendit agricolas esse immunes a malis, quæ comitari solent varias hominum conditiones, v. gr. feneratorum, militum, mercatorum, caussidicorum, clientium; jam exponit rusticæ vitæ emolumenta, & voluptates singulis anni tempestatibus proprias. Ver habet amœnitatem: æstas hortorum, frugum & pecoris fœcunditatem: autumnus fructuum multiplicem proventum: hyems aucupium & venationem.

*Propagine.*) Plin. lib. 17. c. 10. *Arbores aut semine proveniunt, aut plantatâ radice, aut propagine, aut avulsione, aut surculo, aut insito & consecto arboris trunco.*

10. *Altas maritat populos.*) Plin. lib. 17. cap. 23. scribit longo usu compertum, *nobilia vina non nisi in arbustis gigni, & in his quoque laudatiora summis, sicut uberiora imis; adeo excelsitate proficitur. Hac ratione & arbores eliguntur. Prima omnium ulmus... deinde populus... minùs densâ folio, &c.* Varro re de Rust. lib. 1. cap. 8. ita scribit: *vineæ aliæ humiles, ut in Hispania: aliæ sublimes, ut pleraque in Italia, &c.* & in fine: *ubi natura terra humida, ibi vitis altius tollenda, quod in partu & alimonio vinum non ut in calice, quærit aquam, sed solem: itaque ideo, ut arbitror, primum e vinea in arbores ascendit vitis.* Vide lib. 4. Od. 5. v. 30.

11. *Inutilesque falce ramos amputans.*) Plin. mox cit. *arbusta arari quàm altissime desiderant, etsi tantum frumenti ratio non exigit... Deputantur tam vite pariter interlucatâ densitate ramorum qui sunt supervacui & absumunt alimenta.*

12. *Feliciores inserit.*) Vide Plin. lib. 17. cap. 14. ubi geminam insitionis affert rationem: altera fit trunco leniter fisso: altera est inoculatio; fitque exciso cortice, & aperiendo in arbore oculum, semenque illic includendo. Hanc docuere aves & natura. *Tradunt monedulam*, inquit ille, *condentem semina in thesauros cavernarum, ejusdem rei præbere causas.* Et paulo ante: *inserere quoque natura docuit, semine raptim avium sæpe translato in aliquas corticum rimas; unde vidimus cerasum in salice, platanum in lauro, &c.*

14. *Prospectat errantes greges.*) Greges pastoresque invisit, & an recte se habeant cuncta, considerat.

15. *Pressa puris mella condit amphoris.*) Virgil. Georg. 4. v. 140.

*... spumantia cogere pressis*
*Mella favis.*

Vide Columell. l. 9. c. 15. Plin. lib. 11. c. 12. & seq.

16. *Infirmas oves.*) Delicatas, morbis obnoxias.

17. *Decorum pomis caput, &c.*) Ita semper solet pingi autumnus.

19. *Insitiva pyra.*) Proprio labore insita & educata, & hinc longe jucundiora.

20. *Certantem & uvam purpuræ.*) Maturam scilicet, & purpureo colore gratam.

21. *Priape.*) Hortorum Deus & tutor.

22. *Sylvane.*) Agrorum præses & custos. Virgil. Georg. 2. cit.

*Fortunatus & ille Deos qui novit agrestes,*
*Panaque, Sylvanumque senem, &c.*

Et postea:

*Nec requies, quin aut pomis exuberet annus,*
*Aut fœtu pecorum, aut Cerealis mergite culmi.*
. . . . . . .
*Et varios ponit fœtus autumnus: & alte*
*Mitis in apricis coquitur vindemia saxis.*

Digitized by Google

Libet jacere modo sub antiqua ilice:
 Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ;
 Queruntur in sylvis aves;
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus;
 Somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hybernus Jovis
 Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc & hinc multâ cane
 Apros in obstantes plagas:
Aut amite levi rara tendit retia,
 Turdis edacibus dolos:
Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem,
 Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
 Hæc inter obliviscitur?
Quod si pudica mulier in partem juvans
 Domum, atque dulces liberos,

INTERPRETATIO.

*Nunc placet recumbere sub annosa quercu: nunc super herbam virescentem. Interea dum amnis defluit ripis sublimibus, canunt aves in nemoribus; rivulique murmur edunt aquis labentibus; quod placidum conciliet soporem. Quando autem tempestas hyemalis Jove sæviente pluvias & nives procreat, vel plurimis canibus apros feroces undequaque propellit in retia opposita: vel perticâ levigatâ plagas haud strictas expandit turdis voracibus insidiosas: ac timidum leporem, gruemque transmarinam pedicâ implicat, gratam prædam. Inter ista quis recordatur molestiarum, quas amor gignit? Quod si casta uxor ex parte suâ curans familiam dilectosque natos*

ANNOTATIONES.

23. *Libet jacere modo.*) Hoc frustra putant aliqui novæ Odes initium.
Virgil. cit.
*Spelunca, vivique lacus: ac frigida Tempe,*
*Mugitusque boum, mollesque sub arbore somni*
*Non absunt: illic saltus ac lustra ferarum.*

25. *Labuntur altis interim ripis aquæ.*) Vel, ex alto quodam loco defluunt; vel, profundo currunt alveo. Virgil. Georg. cit.
*Rura mihi & rigui placeant in vallibus amnes.*

27. *Lymphis obstrepunt.*) Avibus quasi accinunt, suo murmure ac strepitu avium cantus provocant.

29. *At cum tonantis, &c.*) Hyemalis tempestas ubi cœpit ingruere, venationi datur opera.
*Jovis.*) Jam alibi diximus Jovem poni pro aere; *tonantis*, tempestuosi, pluvii, pruinosi. Virgil. cit. Georg. 2.
*Venit hyems, teritur Sicyonia bacca trapetis.*
At Georg. 1. v. 305.
*Sed tamen & quernas glandes tunc stringere tempus,*
*Et lauri baccas, oleamque, cruentaque myrta:*
*Tunc gruibus pedicas, & retia ponere cervis,*
*Auritosque sequi lepores . . .*
*Cum nix alta jacet, glaciem cum flumina trudunt.*

31. *Multâ cane.*) Canes feminino genere poni solent cum de venatione agitur, ut volunt; quoniam, inquiunt nonnulli, velociores & sagaciores ut plurimum sunt canes feminæ.

33. *Amite.*) Ames est furcula seu pertica, qua rete suspenditur aut tenditur ad captandas aves.

34. *Turdis.*) Qui præcipui sunt saporis. Gall. *grives*. De his Varro de re rust. l. 3. c. 5. Athen. l. 2. c. 24.

35. *Advenam gruem.*) Varro mox cit. *Volucres partim advenæ sunt ut hirundines & grues: partim vernaculæ, ut gallinæ & columbæ. De illo genere sunt turdi adventitii; ac in Italiam quotannis trans mare advolant circiter æquinoctium autumnale, & eodem revolant ad æquinoctium vernum.* Tull. de Natur. Deor. 2. n. 125. *Grues, cum calidiora loca petentes maria transmittunt, trianguli formam efficere animadversum: ejus autem summo angulo aer ab eis adversus pellitur: deinde sensim ab utroque latere tanquam remis ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli quam grues efficiunt, ea tamquam a puppi ventis adjuvatur: hæque in tergo prævolantium colla & capita reponunt.* Vide & Plin. l. 10. c. 23.

36. *Quis non malarum, &c.*) Phrasis Græca, pro, quis non obliviscitur malarum curarum quas amor habet.

39. *Quod si pudica, &c.*) Virg. cit. Georg. 2.
*Interea pendent dulces circum oscula nati:*
*Casta pudicitiam servat domus.*
Ecclesiasticus cap. 26. *mulieris bonæ beatus vir: numerus annorum illius duplex: annos vitæ in pace implebit.*

( Sabina qualis, aut perusta solibus
Pernicis uxor Appuli, )
Sacrum vetustis exstruat lignis focum
Lassi sub adventum viri:
Claudensque textis cratibus lætum pecus
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis descendat in ventrem meum,

## INTERPRETATIO.

*( velut Sabina, vel conjux Appuli velocis, adusta Solis ardore ) e lignis aridis componat sacratum focum, paulo ante reditum mariti fatigati: & caulis includens gregem saturam mulgeat plena ubera; atque vinum hujus anni educens ex amphora non insuavi paret cœnam non aliunde quæsitam:* hæc, inquam, si adsint, *non prætulerim ostrea Lucrina, vel rhombos, vel scaros, si aliquos ex Orientali mari in hoc Italicum protrudat sæva tempestas: nec volucris Africana veniat in meum ventrem, vel attagena Asiana, gratior, quàm oliva decerpta*

## ANNOTATIONES.

41. *Sabina qualis*. Juven. Sat. 6. v. 162.
*Intactior omni Sabinâ*.

42. *Uxor Appuli*. ) Appulæ, ut & Sabinæ mulieres castitatis & frugalitatis laude florebant. Juv. mox cit.
*Malo Venusinam, quàm te, Cornelia, mater Gracchorum, &c.*
Sabini ab Apennino ad Tiberim & Anienem fluvios extendebantur olim: Velino autem flumine media regio irrigabatur. Illic hodie continentur Sabina provincia, pars Umbriæ orientalis, & Aprutii ulterioris portio non modica.

*Apulia* duplex; Daunia, & Peucetia; utraque regno Neapolitano concluditur. Daunia hodie *Capitanata*, est admodum fertilis, sita est inter Aufidum & Tiphernum fluvios. Peucetia hodie *Terra di Barri*, continet Barianam provinciam, & partem Basilicatæ; lætissimis abundat pascuis.

*Perusta solibus*. ) Tum quod ea regio calidior; tum quod eæ mulieres rei domesticæ curam etiam apud villas & agros gerentes, æstum non raro tolerabant, solisque ardoribus torrebantur.

43. *Sacrum vetustis, &c.* ) E lignis dudum congestis adeoque siccis focum exstruunt, ad ignem accendendum adventanti viro diurnis laboribus defesso.

*Sacrum*. ) Tum ob Lares et Penates Deos, tum ob Vestam. Vide Macr. l. 3. Saturn. c. 4. &c.

47. *Horna dulci vina promens dolio*. ) Hornum vinum vinque maturum, vino laborioso dulce videtur, nec sequirit vina vetustate delicatiora. Lib. 3. Od. 23. *Hornam frugem*.

48. *Dapes inemptas*. ) Non aliunde quæsito comparatas; sed domi quæsitas, seu ex horto, seu e caulis, &c.

49. *Lucrina conchylia*. ) Ostrea exquisita e Baiano seu Lucrino lacu. Strabo lib. 5. Valer. Maxim. lib. 9. cap. 1. Plin. lib. 9. cap. 54. Juven. Sat. 4. vers. 141.

50. *Rhombus*. ) De eo pisce vide Juven. mox cit. Sat. 4. v. 39. & seq. Plin. &c. Galli *turbot* appellant, omnes pretium norunt.

*Scari*. ) Scaros pisces interdum in mare Tyrrhenum adigit tempestas. Huic pisci tributum esse principatum, scribit Plinius lib. 9. cap. 17. *Nunc scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare; herbisque vesci, non aliis piscibus: mari Carpathio frequens, &c.* Et lib. 11. cap. 37. *dentes piscibus omnibus serrati, præter scarum: huic uni aquatilium plani*. Et lib. 32. cap. 2. ait, *scarum nassis inclusum non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere; sed aversum cauda ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere. Quem luctatum ejus si forte alius scarus videat extrinsecus, apprehensâ mordicus caudâ, adjuvat nisus erumpentis*. Inde vero nomen factum ajunt, a σκαίρω salio. Athen. lib. 7. cap. 20. similia refert ex Aristotele. Multa vero Casaubonus erudite ibidem emendat de eo pisce jactari solita. Epicharmus eo loci apud Athen. *Nos piscamur scarus, quorum nec stercus fas est Diis rejicere*: quod ideo dictum asserit Casaubonus, quia solius hujus piscis intestina comedebant gulæ proceres. Vide Macrob. lib. 3. Saturnal. cap. 16. ubi scribit, scaros adeo Italicis litoribus ignotos, ut nec Latinum ejus piscis nomen habeamus: magno numero illuc advectos, ac in mari Ostiam inter & Campaniæ litora sparsos, ac velut in terra fruges aliquas fuisse seminatos.

53. *Afra avis*. ) Gallina Africana, aliis Numidica, vel Garamantica. Juvenal. Sat. 11. v. 142. ejus meminit, item Martial. lib. 13. Epigram. 73. Varro de re rust. c. 9. ait, *Meleagrides Græcæ vocati, novissimæ in triclinium ganearium introiisse, ut magno venderi, propter hominum fastidium*.

Non attagen Ionicus
Jucundior, quàm lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum;
Aut herba lapathi prata amantis, & gravi
Malvæ salubres corpori,
Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hœdus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido:
Positosque vernas, ditis examen domûs,
Circum renidentes Lares!
Hæc ubi locutus fœnerator Alphius
Jamjam futurus rusticus,
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quærit Calendis ponere.

## INTERPRETATIO.

*e ramis arborum pinguissimis: vel folia rumicis prata amantis, & malva salutares ægro corpori; aut agna immolata in sacro die Terminalium, aut hœdus lupo detractus! Inter istam cœnam, quàm jucundum est cernere oves saturas domum revertentes, intueri boves fatigatas languenti cervice inversum aratrum ducentes! & servulos opulenta familia* adjunctos velut *examen, circa Lares splendentes* ordine *dispositos! Postquam Alphius fœnerator ista dixit, quasi mox rura habitaturus, universam pecuniam Idibus collegit, Calendis vero quærit collocare* ad fœnus.

## ANNOTATIONES.

54. *Attagen Ionicus.* ) Perdix Asiana, quibusdam; est enim Ionia Minoris Asiæ regio. Plin. l. 9. c. 48. *Attagen maxime Ionicus celebratur, vocalis aliàs, captus vero obmutescens, &c.* Athen. lib. 9. cap. 8. & 9. ex Aristophane, *Attagen carnis suavissimæ:* Ex Alexandro Myndio, *paulo major perdice, variis notis dorso distinguitur, colore fictilium, magis tamen subrubescente, &c.* S. Hieron. ad Salvinam: *procul sint a conviviis tuis phasides aves, crassi turtures, attagen Ionicus.*
Martial. lib 13. Epigram. 61.

*Inter sapores fertur alitum primus*
*Ionicarum gustus attagenarum.*

57. *Herba lapathi.* ) Λάπαθος Græcis, rumex Latinis, Gall. *ozeille vinette, patience,* ex Dioscoride stomachum roborat, ventrem purgat, urinam provocat, cibi appetitum restituit. Ex Plin. lib. 20. cap. 21. lapathum excellentes habet effectus: aliud sativum, aliud sylvestre: *in palustribus nascitur: foliis acutis, colore betæ candidæ, radice minimâ: nostri vero rumicem vocant, &c.*

58. *Malvæ.* ) Plin. mox cit. *in magnis est laudibus malva utraque, sativa & sylvestris. Omne solum in quo seruntur, pingue faciunt, &c.* Nos de ea jam lib. 1. Od. 31. sub finem.

59. *Terminalibus.* ) In festo Dei Termini, quem prisci velut agrorum limites custodientem ac tuentem colebant. Ita Festus. Ejus sacra peragebantur die 21. Februarii, ex Numæ instituto. Dionys. Halic. lib. 2. Ovid. Fast. 2. Juven. Sat 16. v. 39.

60. *Hœdus ereptus lupo.* ) Sicut venatori sua prædæ in primis grata est, ita rustico quicquid e lupi gula eripuit. Volunt aliqui cum Mureto, hic alludi ad id quod tradit Plutarchus in Sympos. scilicet *earum pecudum quas lupus momorderit, carnem effici teneriorem, lanam vero corrumpi, &c.*

65. *Positosque vernas.* ) Servorum filios heris accedere & apponi, seu accrescere, non secus ac apum examen, nemo ignorat.

66. *Circum renidentes Lares.* ) Columell. lib. 12. de villico: *Consuescat rusticos circa Larem Domini focumque familiarem semper epulari.* De *Laribus* lib. 1. Od. 12. strophe 12. & lib. 2. Od. 18. ad hæc verba: *paternos in sinu ferens Deos.*

67. *Hæc ubi locutus, &c.* ) Satyrice hæc & sarcastice in avarum fœneratorem.

69. *Relegit.* ) Al. *redegit,* quæ quidem vox Ciceroni aliisque usitatior. In Verr. *bona vendit, pecuniam redegit.*

*Idibus.* ) Mense dimidio. Vide lib. 4. Od. 11. strophe 4. Is erat mos, creditam pecuniam, vel fœnus e credito Idibus repetere. Cic. Catilin. 1. *prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus sentias.*

70. *Quærit Calendis ponere.* ) Quas Idibus pecunias a debitoribus collegit, has Calendis sequentibus ad fœnus rursum collocare satagit, ut usuras usuris accumulans. Non abs re novus Interpres & Criticus existimat Alphium solitum exigere fœnus bis in mense; adeo ut, contra fas omne, ab Idibus ad Calendas, & a Calendis ad Idus fœneraretur. De *Calendis* lib. 3. Od. 8. v. 1. Macrob. lib. Saturnal. 1. cap. 15. &c.

AD

## AD MŒCENATEM.

# ODE III.

*Detestatur allium, quod apud ipsum cœnans comederat.*

Parentis olim si quis impiâ manu
  Senile guttur fregerit,
Edat cicutis allium nocentius.
  O dura messorum ilia!
Quid hoc veneni sævit in præcordiis?
  Num viperinus his cruor
Incoctus herbis me fefellit? an malas
  Canidia tractavit dapes?
Ut Argonautas præter omnes candidum
  Medea mirata est ducem,

### INTERPRETATIO.

*Si deinceps aliquis manu sceleratâ ruperit cervicem patris vetuli, comedat allium cicutâ perniciosius. O viscera rusticorum prædura! Quale toxicum istud meis in intestinis æstuat? An viperarum sanguis istis immixtus herbis decepit me? Nunquid Canidia noxios hosce cibos contrectavit?* Certe, *quando Medea adamavit Jasonem Argonautarum Principem præ cæteris pulchrum,*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Parentis olim, &c.*) Vel ex Oda hac intellige, studiose lector, nullum esse adeo exile & sterile argumentum, quod vena dives non queat amplificare & locupletare. Sic *Nucem* Ovidius, *Culicem* Virgilius, Homerus *pugnam ranarum ac murium:* Horatius vero *casum arboris* l. 2. Od. 13. hic autem *allium* eleganti carmine prosecuti sunt.

*Si quis impiâ manu, &c.*) Si quis parricidio inquinatus deinceps puniendus erit, ne cicutâ sed allio plectatur.

3. *Edat.*) Quidam legunt, *edit*. Sic duit, pro, *det: faxit, &c.* Lib. 2. Sat. 8. ad finem:

*Quam si cum lumbis quis edit.*

*Cicutis allium nocentius.*) Cicuta enim frigore quidem suo nativum calorem sine dolore extinguit: at allium torquet, adurit, enecat. Cicutæ succum morte damnati bibere cogebantur apud Athenienses. Plin. lib. 25. c. 13. *Cicuta*, inquit, *venenum est, publica Atheniensium pœna invisa.* Ita Socrates extinctus. Vide Pers. Sat. 4. v. 2.

*Allium.*) Sunt qui per unicum l, scribant *alium*, & dictum volunt quod oleat: alii ab *halando halium* scribunt. Alii ab ἀλλέσθαι, quod exiliendo crescat, allium deducunt. Melius alii a voce ἄγλιθες alliorum capita significante.

4. *O dura messorum ilia!*) Quæ videlicet impune devorent & concoquant allium, quod meis in præcordiis ita sævit. Galen. Therapeut. lib. 12. allium vocat *rusticorum theriacam*.

Virg. Eclog. 2.

*Allia, serpyllumque, herbas contundit olentes.*

5. *Quid hoc veneni, &c.*) Quod genus est illud veneni, quo sic discrucior? Allium sana utpote calidum, acre, grave olens, coctu etiam difficile, stomacho delicatiori ac temperamento fervidiori, & πικρόχολῳ, seu amariori bili obnoxio, quale habebat Horatius, grave esse debebat: at contra homini frigidiori vel robustiori salubre est. Suidas ait, *Thraces alliis delectari, nec immerito*, inquit: *allia quippe calida sunt, illi vero frigidam incolunt regionem.*

6. *Num viperinus his cruor, &c.*) An vero allium istud incoctum fuerat in viperino sanguine, quod imprudens ego devoraverim? Vide lib. 1. Od. 8. v. 9. Plin. lib. 11. c. 53. Cœl. Rhodig. lib. 23. cap. 10.

7. *An malas Canidia, &c.*) An dapes quas cœnavi infecit veneno Canidia venefica illa insignis? De ea postea fuse in seq. Epod.

9. *Ut Argonautas, &c.*) Crediderim sane non alio medicamento instructum a Medea Jasonem fuisse, adversus tauros formidabiles: nec alio pariter usam veneficio ipsam Medeam, ad perdendam invisam sibi pellicem. Insurgit hic suo more Scaliger in nostrum Poetam hypercritice: *non est illud*, inquit, *supina aut oscitante judicio admittendum. Quippe ait Jasonem a Medea perunctum allia, scilicet ut ea medicamenta esset*

a

Digitized by Google

Ignota tauris illigaturum juga
  Perunxit hoc Jasonem:
Hoc delibutis ulta donis pellicem,
  Serpente fugit alite.
Nec tantus unquam siderum insedit vapor
  Siticulosæ Apuliæ;
Nec munus humeris efficacis Herculis
  Inarsit æstuosius.
At si quid unquam tale concupiveris,

## INTERPRETATIO.

*iste illum tinxit, insueta juga tauros* indomitos *subjecturum, isto etiam infecit munera*, quibus cum *se de pellice vindicasset, aufugit* curru *alatis draconibus* tracto. *Nunquam tantus astrorum ca-* *lor incendit Apuliam sitiam. Neque donum* fetale *vehementius inflammavit humeros Herculis laboriosi. Verum enimvero, si quidpiam ejusmodi ultra ap-*

## ANNOTATIONES.

*a tauris tutus. At enimvero eadem quomodo unxit vestem, qua Creusa flagraret?* Æquus arbiter esto lector nec sopinus, nec oscitans. Medea vestem pellici mittendam allio quasi veneno unxit. Eadem per allium pariter Jasonem tutum præstitit adversus tauros, nempe tauri allii odore gravi & tetro perdomiti sunt. Glauce vi mortiferâ allii enecta est & conflagravit. Quid hic abhorret a vero & ratione? Quid ita reprehendendum in hac utraque sententia? Adde quod, per idem venenum vario modo dilutum, variisque pharmacis admixtum ac temperatum, diversa effici nihil vetat.

*Argonautas.* ) Jason Æsonis Thessaliæ regis filius, cum sociis plus quinquaginta fortibus sane viris, profectus est Colchos, ad rapiendum vellus aureum, quod famâ celebrabatur. Ibi a Medea Colchorum regis filiâ adamatus, ab ea veneficiis pollente edoctus est, qua ratione posset domare tauros æripedes & ignivomos, jugoque submittere; draconem etiam pervigilem sopire & profligare; ac demum vellus aureum auferre. *Argonautæ* porro dicti ab Argo navi, qua ad expeditionem Colchicam vecti sunt. Præcipui nominantur Hercules, Orpheus, Castor, Pollux, Telamon, Zetus, Calais, Theseus, Typhis, &c. Ipsa vero navis appellata est Argo vel ab artifice & fabro: vel ab Argivis seu Græcis heroibus; vel e celeritate, ἀργὸς *velox*. Vide Diodor. Sicul. lib. 5. cap. 3. Valer. Flacc. Argonaut.

13. *Hoc delibutis*, &c. ) Eodem Medea infecit munera quæ misit ad Glaucen, vel, ut scribunt alii, Creusam filiam Creontis regis Corinthiorum. Hanc enim cum Jason superinduxisset pellicem, iram dissimulavit Medea Jasonis uxor. Itaque tempus nacta venenatam ei vestem dedit; quam cum Glauce induisset, fatali incendio consumpta est. Vide Epod. 5. post medium.

*Donis.* ) Non vestem, sed alia quæpiam dona in scrinio missa, venenis quidem tincta, scribunt alii: aperto autem scrinio pellicem cum tota regiâ conflagrasse.

14. *Serpente fugit alite.* ) Irati scilicet & vindictam anhelantis Jasonis, Creontisque iram Medea fugit, per aerem asportata curru pennatis vecto serpentibus. Vide Euripid. Medeam, in fine. Ovid. Metamorph. 7. & 9. &c.

15. *Nec tantus unquam*, &c. ) Non majoribus Apulia ardoribus torretur, quam mea viscera nunc uruntur calore & vi funestâ allii quod comedi. *Siderum*, dum sævit Canicula & fervet. De ea lib. 1. Od. 17. & lib. 3. Od. 13. De *Apulia* ejusque cælo torrido, lib. 3. Od. 30. v. 11. & Epod. præced. v. 42.

17. *Nec munus humeris*, &c. ) Nessus Centaurus ob Hercule vulneratus sui ulciscendi hanc iniit rationem. Dejaniræ jussit, posse sibi amorem Herculis asserere, induendo illum tunicâ aspersâ sanguine suis e vulneribus profluente. Itaque illa videns subinde Herculem Ioles amore irretitum, quod Nessus improbe & fallaciter præceperat, effecit: sicque illum interemit. Nam tanto est ardore correptus, ut mox ipse artus dilaniaret, ac demum incensâ pyrâ se confecerit. Vid. Senecæ Herculem Oetæum. Et postea Epod. 17. v. 31. Cic. Tusc. 2. num. 20. ex Sophocl. Trachin. ita scribit: *cum Dejanira sanguine Centauri tinctam tunicam Herculi induisset, inhæsissetque ea visceribus, ait ille .....*

*Hac me irretivit veste furiali inscium,*
*Quæ lateri adhærens morsu lacerat viscera,*
*Urgensque graviter pulmonum haurit spiritus.*
. . . . . . .
*Ipse alligatus peste interimor textili*, &c.

Idem Philip. 13. *Non tamen Dejanira voluit Herculi nocere, cum ei tunicam sanguine Centauri tinctam dedit.*

19. *At si quid unquam*, &c. ) Quod si, o Mæcenas, unquam allium comedere concupiveris, in pœnam cupio ut te abhorreat amica seu Terentiâ tua: similiter & si quis vir fœtidum ac pestilentem ejusmodi cibum appetierit; precor ut ipsius uxor ejus oscula repellat, & seorsim cubare velit, halitum graveolentem non ferens.

Digitized by Google

Iocose Mæcenas, precor
Manum puella suavio opponat tuo,
Extremâ & in sponda cubet.

INTERPRETATIO.

*petat: o Mæcenas jocis gaudens, velim ut adolescentula objiciat manum osculo tuo, atque in remotam lecti partem recedat.*

ANNOTATIONES.

20. *Iocose Mæcenas.* ) Iocari familiariter cum Mæcenate solebat Horatius: Hinc Persius Sat. 1. v. 116.

*Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico*
*Tangit: & admissus circum præcordia ludit,*
*Callidus excusso populum suspendere naso.*

22. *Sponda.* ) Lecti pars ultima, vel etiam exterior. Isidor. lib. 20. cap. 11.

*AD MENAM POMPEII MAGNI LIBERTUM.*

## O D E IV.

*Ejus ex mutata conditione superbiam insectatur.*

Lupis & agnis quanta sortitò obtigit,
Tecum mihi discordia est,

INTERPRETATIO.

*Quanta naturaliter inimicitia lupis atque agnis congenita est, tanta mihi inest contra te;*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 2.

1. *Lupis & agnis, &c.* ) Habes, lector, in hac Ode exquisitam servi descriptionem, & acrem asperamque ejus arrogantiæ insectationem.

*Quanta sortitò obtigit.* ) Quantum inter se odium natura partiente veluti & dante, sortiuntur & obtinent. Plin. lib. 10. cap. 74. agit de naturali quorundam animalium dissidio.

2. *Tecum mihi discordia est.* ) Ego enim fidem observantissime & religiosissime colo: tu perfidiam. Nempe Menas Pompeii Magni libertus, eo mortuo, Sexti partes amplexus, ab eo magnis muneribus locupletatus, quin & classi præfectus est contra Cæsarem Augustum. Ad hunc vero subinde transfugit, & ab ipso mox equestri dignitate ornatus. Tum rediit ad Sextum Pompeium, relicto Augusto. Postea Sextum rursus prodens ac deserens ad Augustum reversus, ab eo tandem, quod pridem concupiverat, Tribunus militum factus est. At iste insignis honore qui fit ut tam libere ab Horatio proscindatur? Tum nempe rerum atque temporum cogente difficultate ac necessitate, prudens Cæsar proditoris sceleratâ operâ utebatur quidem, ejus vero proditiones ac perfidiosum animum detestari non desinebat. Vell. Patercul. lib. 2. Appian. Bell. Civil. lib. 5. Dio lib. 48. Sueton. Octav. cap. 74. ubi scribit: *neminem unquam libertorum adhibitum cœna ab Augusto, excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem, post proditam Sexti Pompeii classem.* Idem Menas antea Augustum perdere simul & Antonium cogitaverat. Testis Plutarchus in Antonio. Sic habet: *tenebat Sextus eâ tempestate Siciliam: & prædatoriâ classe, cui Menas pirata præerat, Italiæ oras & omne circum pelagus infestabat .... fœdera cum Pompeio facta ... Post hæc mutuo se ad cœnam invitârunt, nimirum Augustus Antonio junctus, & Sextus Pompeius. Huic sorte evenit, ut illos primus convivio exciperet in prætoria navi, .... fervente convivio, ferventibus & jocis, Menas pirata Pompeio adhærens clam ei insusurravit: visne, Sexte, anchoras succidam, & te Romani Imperii faciam dominum? Hæc cum Sextus paulisper secum agitasset: oportuit, inquit, o Mena, hæc per te ipsum, me inscio, fecisse: nunc vero quod est eo contenti simus. Etenim pejerare nequaquam meum.* Porro, ne cum nonnullis arbitrere, lector, hunc Menam eumdem esse cum Vulteio Mena, cujus mentio est in Epistola 7. lib. 1. alter enim ab altero longe diversus.

Digitized by Google

Ibericis peruste funibus latus,
Et crura dura compede.
Licet superbus ambules pecuniâ,
Fortuna non mutat genus.
Videsne, sacram metiente te viam
Cum bis ter ulnarum togâ,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus flagellis hic Triumviralibus
Præconis ad fastidium,
Arat Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis terit;

## INTERPRETATIO.

o Mena, qui habes *latus concisum flagellis sparteis*, *& crura vinculis attrita*. *Quamvis incedas tumidus* propter *opes*, *fortuna non mutat originem*. *Quando* autem *pergis per viam sacram indutus togâ sex ulnarum*, an non *animadvertis quomodo ira maxime aperta reflectat vultum ambulantium ultro citroque?* *Iste*, inquiont, *caesus flagris Triumvirorum usque ad Praeconis tædium, colit mille jugera agri Falerni; atque viam Appiam e-*

## ANNOTATIONES.

3. *Ibericis peruste funibus latus.* ) Corpus habens notatom plagis & flagellis servilibus.

*Ibericis.* ) Hispanicie. Metouyoi. Species pro genere. Flagella fiebant e funibus, funes autem e sperto, cujus in Hispanie magna copia. Plin. l. 19. c. 2.

*Peruste.* ) Proprie & signanter. Nam flagra a flagrando dicta. Certe repetitis flagris celor in cute, carne, sanguine, inflammeri cognoscitar. Inde flagriones dicti sunt servi, quouiam flagris erant subditi. Festus, Vossius, &c.

4. *Crura dura compede.* ) Compede stricta membri pars induresct.

5. *Superbus pecuniâ.* ) Menas locupletatus dominorum liberalitata, honores etiam captarat, jam liber, moa Eques, deaique Tribunus.

6. *Fortuna non mutat genus.* ) E liberto nobilem haud faciunt opes. Humilis, sordidus, vafer, neqoam, servilis enimus semper manet.

*Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret.* inqoit noster lib. 1. Epist. 10. v. 24. Vide Pers. Sat. 5. v. 70. & deinceps.

7. *Videsne sacram, &c.* ) Scilicet igooras quentâ indignatione homines obvii te aspiciant superbe & arrogenter incedentem, qui genus servile norunt. An ergo, inquiunt, more nobilium jactabit se Menas hodie libertus, paulo ante servus?

*Sacram metiente te viam.* ) Hæc urbis via, que ibatur in palatium & Capitolium, valde frequentabatur: per eam triamphalis quæque pompa procedebat: *Sacra* dicta; seu quod per eam sacra in arcem quot mensibus ferebentur, indeque eugoria capterent augures; seu quod in ea fœdus olim sanaerant Romulus ac Tatius. Verro. Alex. ab Alex. lib. 2. c. 18. &c. Hinc ergo Menas *viam sacram* metiebatur sæpius, tum ad palatium crebro pergens, tum se ostentans insigni togâ splendidum, & composito gradu conspicuum. Hinc & Sacravienses dicti nobiles qui per viam sacram freqoenter ambularent.

8. *Cum ter ulnarum togâ.* ) Ampiam gerebant nobiles togam & laxissimam: contra angustam & arctam pauperes. Quidam hic volunt significari latum clavum, quæ vestis sea olnarum esset, ac propria Tribunorum, at & aliorum Magistratuum. Luxum in laxis vestibus ite reprehendit Cicero Catilin. 2. *quos pene capillo nitidos videtis, imberbes aut bene barbatos, manicatis & talaribus tunicis, velis amictos non togis.*

9. *Vertat.* ) Vox iste duo significare potest: vel, *convertat*, ed hominem subsannandum: vel, *avertat*, præ indignetione. Est autem indignatio, justus dolor ex secundis rebus ejus, qui illis indignus videtur.

10. *Liberrima indignatio.* ) Tanta est animorom ob arrogantiam tuam offensio, ut non clam solum, sed & aperte ac libere indigneutur, & sarcasmos, dicterie, scommata palam jaculentur.

11. *Sectus flagellis, &c.* ) Hæc populi indignantis verba in Menam: scilicet iste paulo ante servilibus pœnis obnoxius, jam se magnum ostentat.

*Triumviralibus.* ) Abjectæ conditioois homines, fures, servi, peregrini, non epud Prætorem, ot cives, judicebantur, sed epud Tresviros. *Fures ac servi nequam apud Triumviros capitales ad columnam Meniam puniri solent*, inquit Asconius.

12. *Praeconis ad fastidium.* ) Non Triamviri tantum, sed & iis absentibos Præco servos jubebat plecti, & flagris cædi a lictore. *Fastidium* tamen *Praeconis* libet magis intelligere ex crebra repetitione, altâ quidem voce, tituli sive elogii, v. g. *hic reus ac nocens flagris cæditur, quia neglexit edictum, &c.*

13. *Falerni.* ) Agri optimi & pretiosissimi, l. 1. Od. 20.

*Mille jugera.* ) Atqui cives olim honoratissimi non plus qaam septem agri jogera possidere ea lege poterant.

14. *Appiam.* ) *Appia* vie publicâ ducebat ad

a-

Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contempto, sedet.
Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum,
Hoc hoc Tribuno militum?

## INTERPRETATIO.

*quis calcat; nec non insignis eques primis in subselliis sedet, Othone spreto. Quid juvat ærata rostra tot navium ingenti magnitudine dirigi adversus prædones & servorum turmas, isto iste, inquam, militum Præfecto!*

## ANNOTATIONES.

agrum Falernum: ab Appio Claudio Tribuno plebis lapidibus strata, indeque nomen sortita.

*Mannis.*) Equis gradariis, nullâ vecturis molestiâ incedentibus, Gall. *haquenées*. Dicti sunt quod manûs mansuetudinem sequantur. His inequitabant proceres duntaxat: Menas autem forte & currui junctos adhibebat, singulari quidem ambitione, mollitie, luxu.

15. *Sedilibusque magnus in primis eques.*) In Amphitheatro Rom. sedentibus ad spectandum distincti erant gradus, pro diversa cujusque dignitate. Orchestram Senatores obtinebant. Deinde gradus quatuordecim Equitibus Romanis erant destinati: quorum primi Tribunis excepti. In his itaque sedendi jus habebat Menas reclamante quidem lege, de qua mox dicam. Dio lib. 36.

16. *Othone contempto.*) L. Roscius Otho Tribunus plebis legem tulerat, qua Nobiles in Theatro a plebeiis separati aderant. Hinc Juvenal. Sat. 3. v. 159.

*Sic libitum vano qui nos distinxit Othoni.*

Porro lex eadem vetebat Equitem fieri ac in gradibus Amphitheatri quatuordecim sedere eum, cui vel patri ejus avoque non adfuisset equestris census, id est, quadringenta sestertiûm millia. At nihilo tamen minus ita jubente Principe tempori quidem servienta, ut dixi, Menas nequaquam ingenuus, jam opulentus, contemptâ Othonis lege, Eques factus, imo & Tribunus, prima sedilia in spectaculis occupabat, quanquam ab iis dignitatibus arcebantur liberti atque libertini.

17. *Quid attinet, &c.*) Ergone contra servorum & prædonum exercitum instruere copias navales oportet Menam, qui & ipse prædo & servus a natura factus, non ita pridem eorum dux fuit? Sunt qui existiment loqui Horatium de fugitivis, quos ad arma vocaverat Sextus Pompeius, & quibus Tribunum Menam præfecerat. At alii melius intelligunt reliquias exercitûs Sexti Pompeii, quas Menæ ductu & operâ jam victor Augustus persequebatur.

*Navium gravi pondere.*) Vide Epod. 1. v. 1. ibique annot.

20. *Hoc hoc Tribuno militum.*) Plutarchus ante citatus ubique piratam vocat Menam. *Tribuni militum* officium erat milites in castris continere, & ad exercitationem producere; claves portarum suscipere; vigilias interdum circumire; frumentationibus commilitonum interesse; frumentum probare; fraudem mensorum coercere; militum querelas audire, delicta castigare, &c.

## IN CANIDIAM VENEFICAM.

## ODE V.

At, o Deorum quisquis in cælo regis
Terras, & humanum genus,
Quid iste fert tumultus? Aut quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris affuit;
Per hoc inane purpuræ decus precor,
Per improbaturum hæc Jovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua?
Ut hæc trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia

### INTERPRETATIO.

*Svd v Numina, quotquot in cælo gubernatis hanc vrbem atque homines, quid sibi vult iste strepitus? Vel quorsum facies* omnium istarum apparent *terribiles adversus me solum? Te ore per filios, si Diana adfuit veris partubus invocata: per vanum istud insigne purpuræ: per Jovem talia condemnaturum: quare me aspicis quasi noverca, vel ut fera telo confixa?* Postquam *puer ore trepidanti has fudit querelas, ornamentis exutus est. Corpus* erat *sine pube, quod posset flectere corda*

### ANNOTATIONES.

Metrum Idem quod Epod. 1.

1. *At, o Deorum.*) Julius Scaliger vir alioqui summus (quis credat?) hanc Oden pessime intellexit, pessime carpsit. Singulas ejus cavillationes, lector, cognosce, & judica, ad loca singula relatas, ac ni fallor, probe dilutas. At rem totam diligenter ante accipe: nec enim caret difficultatibus; & quædam sane supplenda ex magorum institutis. Hæc summa est. Conveniunt ad veneficium quatuor sagæ, quarum Canidia princeps, quæ de Varo suos amores spernente ulcisci, illumque ad se trahere per incantamenta satagebat. Itaque primum ex eliaatis tum herbis tum aliis rebus unguentum, seu pharmacum conficit: illudque adhibet ad ceream Vari imaginem, quam de more illic statui supponendum; tata nimirum perinde in Varum agere, ac si adesset, & unguento illo ipse perfunderetur. At cum animadvertit Canidia prius hoc minus valuisse incantamentum, quod Varus contrariis se pharmacis præmunisset; tum vero alterum parat efficacius, ac velut extremum remedium, scilicet philtrum, seu potionem amatoriam e medullis & jecore pueri terræ infossi, quem ex inedia contabescere & exspirare faciont. Hæc omnia porro mire describit ac varie exornat Poeta. Jam singula inspiciamus.

1. *Quid iste fert tumultus, &c.*) Inducitur loquens puer, quem veneficæ illæ raptum terræ infodere parant, ad conficiendum ea ejus intestinis philtrum, seu amoris poculum. Truculentas vero facies expavescens ista profert.

5. *Si vocata partubus Lucina veris affuit.*) Hæc ait, quoniam supposititios fœtus alebant interdum veneficæ, ad sua scelerata consilia utiles. Vide Epod. 17. annotat. ad voces, *venter partumeius*.

6. *Lucina.*) In partu invocabatur Diana, ut adesset tum parturienti, tum prodeunti in lucem infantulo. Hinc cognomen, *Lucina*. Vide lib. 3. Od. 22.

7. *Inane purpuræ decus.*) Quippe quo non deterremini ad inferenda mihi nece.

8. *Improbaturum hæc Jovem.*) A juvando Jupiter dictus, scelerum vindex est omnium.

12. *Insignibus raptis.*) Detractis prætextâ & bullâ, quæ nobilitatis ac ætatis istius erant insignia. *Custos purpura* nuncupatur a Persio Sat. 5. v. 30. *quod prætextâ infirmitatem puerilia sacram fieri & venerabilem*, non secus ac sacerdotem vestibus suis existimarent veteres, teste Quintiliano. Ex Macrob. lib. 2. Saturnal. cap. 6. Tarquinius Priscus instituit prætextam simul & bullam cordis effigie collo appendi solitam, qua pueri *corde præstare* monerentur: utque *communiret pectus puerile*, inquit Asconius. Plura de istis annotavi ad prædictum Persii locum, & ad Juvenal. Sat. 5. v. 164.

13. *Impube corpus.*) Nondum scilicet adeptum annus ætatis quatuordecim, adeoque sine pube, sine pilis.

Mollire Thracum pectora :
Canidia brevibus implicata viperis
Crines, & incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque, quas & Iolchos atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nullâ Veia conscientiâ,

## INTERPRETATIO.

*Thracum ferocia.* Tum *Canidia exiguis viperis implexos* habens *capillos & incompositum caput, mandat caprificos evulsas tumulis, mandat ferales cupressus, & fœda rubetæ cruore aspersa ova, plumasque strigis nocturnæ, & herbas quas producit Iolchos atque Iberia venenis fertiles, & ossa erepta ex ore canis famelicæ, cremari ignibus Colchicis.* *Mox Sagana succincta per totas ædes inspersis Avernales aquas, habens crines rigidos velut echinus marinus, aut aper currens.* Inde *Veia nullis conscientiæ* stimulis *absterrita labore ingemiscens,*

## ANNOTATIONES.

14. *Thracum.* ) Qui barbari & inhumani valde. Vide lib. 1. Od. 18.

15. *Implicata viperis.* ) Furiarum instar.

17. *Caprificos.* ) Silvestres ficus & cupressi arbores funestæ sunt & ferales. Vide lib. 2. Od. 14.

*Erutas.* ) Nec enim amputari, sed erui oportebat ad usum magicum.

19. *Ranæ sanguine.* ) Ranarum aliæ sunt aquatiles, minores, innoxiæ: aliæ terrestres, majores, turpiores, desides, venenosæ, aliter rubetæ dicuntur, Gall. *crapaut*. Et hæ ad veneficia adhibebantur. Plin. lib. 32. c. 5. Juvenal. Sat. 1. v. 70. Sat. 3. v. 44. Sat. 6. v. 658.

*At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ.*

20. *Plumamque nocturnæ strigis.* ) Rubetæ viscera pariter & strigis plumas, ad amorem concitandum valere, Propertius etiam testis, lib. 3. Eleg. 5.

*Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,*
*Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt;*
*Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ, &c.*

*Strigis.* ) Strix avis, noctu volans tantum, a stridore vocis dicta, mali ominis olim habita est, sicut hodie noctua, cui certe similis. Plin. lib. 11. c. 39. ita scribit: *Esse in maledictis jam antiquis strigem convenit: sed quæ sit avium, constare non arbitror.*

21. *Iolchos.* ) Est urbs Thessaliæ ad sinum Pelasgicum, ad radices Pelii montis. Quidam legunt, *Colchos*, sed perperam, nam prope sequitur vox *Colchicis*. Et sic ruit prima Scaligeri querela: in 5. Epod. *loca sunt minus ingenua*, inquit: *anxia dico: neque libera spiritu edita, qualis ille versus,*

*Herbasque, quas & Colchos atque Iberia.*

*Est sonus insuavis, quæ, quas.*

Priorem lectionem ex manuscriptis codicibus, tuentur Cruquius, & alii.

*Iberia.* ) Regio Pontica (non Hispanica) apud Asiam Minorem, hodie Georgia, vern. *Gurgistan*: Moschicis montibus separatur a Colchide.

23. *Ossa ab ore rapta jejunæ canis.* ) Per hæc amoris quasi famem gigni, credebant superstitiosi.

24. *Flammis aduri Colchicis.* ) Simul hæc omnia igne coqui seu elixari jubet Canidia, ad citum Medeæ Colchicæ, de qua supra. Colchis hodie Mengrelia, Asiæ Minoris regio, ad oram Euxini maris. In ea regnavit Oeta Medeæ pater.

25. *Sagana.* ) Altera hæc venefica operam confert Canidiæ, & magico ritu spargit aquas ex *Averno*. Is Campaniæ lacus apud antrum Sibyllæ Cumanæ percelebris: ac per eum ad Inferos descensum esse fabulati sunt. Vide Virg. Æn. 4. 512. & Æn. 6. v. 126. de Sagana iterum l. 1. Sat. 8.

28. *Echinus.* ) Gall. *herisson*, alter est terrestris, qui & herinaceus: alter aquatilis seu marinus. Uterque spinis inhorrescit. Plin.

*Aper currens.* ) Tunc enim apri dorso rigescunt setæ cum currit, seu venatorem fugit, seu invadit: quod iræ ac furoris argumentum.

29. *Abacta nullâ Veia conscientiâ.* ) Veia tertia est venefica, quæ scrobem facit, humumque egerit infodiendo puero. Quid vero Scaliger?

imo

Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus;
Quo posset infossus puer
Longo die bis terve mutatæ dapis
Inemori spectaculo:
Cum prominerent ore quantum exstant aquâ
Suspensa mento corpora:
Exucta uti medulla & aridum jecur
Amoris esset poculum,
Interminato cum semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.
Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum;

INTERPRETATIO.

*duro bipalio effodiebat terram, in qua puer immissus diuturno tempore mori posset, aspectu ciborum bis aut ter immutatorum: si quidem capite exstabat quantum corpora mente suspensa eminent super aquam: ut arescens medulla & hepar exsiccatum fieret amoris pharmacum, postquam contabuissent pupillæ semel infixa cibo interdicto.* Porro *& otiosa Neapolis & urbes vicinæ omnes crediderunt* istis veneficiis *adfuisse Foliam Ariminensem nefandâ libidine* famosam,

ANNOTATIONES.

*imo multa conscientiæ*, inquit, *multorum sibi facinorum conscia. Sed intelligendum est non fuisse abactam seu distractam a malis facinoribus; omnino durum est; & sonus quanquam dispar temporibus, tamen idem plebeius.* Si quid durum, egregie exhibet ferream Veiæ mentem. Nec plebeia dictio est, quin potius elegans & nobilis: indicatque mulierem sceleribus adeo assuetam, ut absque ullo metu ea perpetret. Perditam ejusmodi conscientiam exprimit Pers. Sat. 3. v. 32.

*... fibris increvit opimum*
*Pingue: caret culpa, &c.*

33. *Bis terve mutata dapis inemori spectaculo.*) Nimirum puer infossus duos tresve dies vivere poterat, capite exstans, mutatos subinde cibos prope os habens, augescente eorum appetitu & fame diversorum dapum quas attingere non poterat, in eos fixum tenens aspectum, & sic tandem emoriens. Existimabant nempe hominis in ea aviditate mortui jecur & medullas vim habere extimulandi amoris.

35. *Cum prominerent ore, &c.*) *Non intelligo*, inquit Hypercriticus, *quid sit*, quantum exstant aquâ suspensa mento corpora. *Quanam in patibulo suspensa exstant ab aqua?* Quæso, lector, an hæc non facile tu intelligis? Non ita certe exples, quid Scaliger velit per suum *patibulum*, de quo hic nulla mentio; cum sit collatio natantis atque adeo aquâ mersi & suspensi, exstante ab aqua solo capite, cum puero terrâ cooperto & ore duntaxat prominenti.

37. *Aridum jecur.*) Jecur amoris sedes. *Aridum.*) Deficiente succo, & subtracto cibo, cujus appositi & præsentis desiderium majus fuerat.

39. *Interminato cum semel, &c.*) Et hæc sibi ignota Scaliger proclamat. *Nam interminatus est infinitus*, inquit, *at ille finitum ostendit, cum dixit, bis terve mutatam dapem.* Et hæc nunquam scripserit cui *mens non læva fuisset*, inquam ego. *Interminatus* idem est ac minando vetitus, uno verbo prohibitus, nemine Grammatico reclamante. Porro addit ille tam inepte quam prius: *& qua naturâ doctus scripsit finas esse pupulas ab inedia?* Ohe, magne Juli, inhians cibo apposito pupulas, inediâ vero intabescentes, scribit Horatius, totâ acclamante naturâ.

42. *Ariminensem Foliam.*) Quarta est hæc venefica, ex Arimino urbe Æmiliæ; hodie *Rimini*, in Romandiolâ provinciâ, in ora maris Hadriatici: prope fontes Tiberis alluitur fluvio cognomine.

43. *Otiosa Neapolis.*) Hæc urbs Italiæ clarissima, ad delicias, secessum, & otium amœno situ comparata, olim dicta Parthenope. Virgil. Georgic. in fine:

*Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
*Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.*

Ovidius *in otia natam Parthenopen* dixit. Cerutus, *otiosa*, interpretatur, *Neapolitani minus curiosi*.

45. *Omne vicinum oppidum.*) Federicus Cerutus intelligit Puteolanam civitatem: alii vicinas urbes, v. g. Capuam, Cumas, Puteolos, Baias, Nolam, Atellam, &c.

Quæ sidera excantata voce Thessalâ,
Lunamque cælo deripit.
Hic irresectum sæva dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
Non infideles arbitræ,
Nox, & Diana, quæ silentium regis,
Arcana cum fiunt sacra;
Nunc nunc adeste, nunc in hostiles domos
Iram atque numen vertite.
Formidolosis dum latent silvis feræ,
Dulci sopore languidæ,
Senem (quòd omnes rideant) adulterum
Latrent Suburanæ canes
Nardo perunctum, quale non perfectius
Meæ laborarunt manus.

INTERPRETATIO.

*qua verbis Thessalicis incantans astra & Lunam cælo detrahit. Tum vero ferox Canidia dente livido rodens* unguem *pollicis non amputatum, quid locuta est? vel quid non dixit? O rebus meis, inquit, testes faventes, nox, & Diana silentium faciens, quando secreta peraguntur mysteria, modo adjuvate; jam in ædes inimicorum convertite iram & potestatem divinam. Interim dum belluæ absconduntur silvis formidinem creantibus pacato somno vocantes, canes Suburæ allatrent mœchum senem (quod cunctis ludibrio sit) perfusum unguento, quo præstantius nullum elaborarunt meæ manus.*

ANNOTATIONES.

45. *Voce Thessalâ.*) More & ritu vocibusque Thessalorum, qui arte magicâ præstabant. Vid. lib. 1. Od. 27. stroph. ult.

46. *Lunamque cælo deripit.*) Virg. Ecl. 8.

*Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.*

Ita veteres credebant, cum Luna deliquium pateretur, tum magorum incantationibus cœari, & hinc rubescere, quod reluctaretur ne in terram devocaretur invita, ut in herbas despumaret ad veneficia conficienda profuturas. Quin eo superstitio invaluerat, ut laboranti Lunæ subvenire se crepitu cymbalorum arbitrarentur. Unde apud Senec. Trag. Hippolyt. Act. 2. Chorus ita loquitur de Luna:

*Et nuper rubuit: nullaque lucidis*
*Nubes sordidior vultibus obstitit.*
*At nos solliciti lumine turbido,*
*Tractam Thessalicis carminibus rati,*
*Tinnitus dedimus.*

Huic vulgi opinioni primalocum dedit Aglaonice Egetoris filia, quæ Astrologiæ perita, cum Luna esset in defectu seu eclipsi, se eam incantare & deducere simulavit. Plutarch. lib. de orac. defectu post init. Vide Plin. lib. 30. c. 1. & 2.

47. *Irresectum.*) Sordes notat fœdis illis mulieribus affectatas.

48. *Rodens pollicem.*) Altâ cogitatione defixum & percitum furore animum perinde exhibet.

51. *Nox & Diana.*) Noctem & tenebras amant tenebriones. Christus in Evangelio: *qui male agit odit lucem, ut non arguantur opera ejus.* Magi & venefici sua flagitia noctu semper exequi aggrediuntur. Porro sacra plerumque nocturna celebrabant Ethnici, affulgente Lunâ, & quasi silentium imperante, ut existimabant, & facente.

53. *In hostiles domos.*) In Varum atque pellices, quibus ille detinetur, & a me avertitur.

57. *Senem, quòd omnes rideant, adulterum.*) Juvenis instar lascivientem.
Ovid.

*Turpe senex miles: turpe senilis amor.*

58. *Suburanæ canes.*) Subura urbis Romæ regio, ubi meretricum erant domicilia. Illuc ventitabat noctu Varus, parum memor Canidiæ, hinc amore illinc dolore tabescentis, proindeque eindicationem ac vindicias petentis quacumque viâ, seu, per fas & nefas.

59. *Nardo perunctum.*) Unguentum e nardo pretiosum absurde explicant fere omnes; & hinc Gratidiam Neapolitanam unguentariam sub nomine Canidiæ vellicari perperam comminiscuntur: absurdiusque, delibutum eo Varum senem ad meretricios amores captandos ajunt. Cerotus *unguento venefico ad amorem conciliandum efficaci Varum senem perunctum* interpretatur. Sed nihil minus ad sensum Horatii quam ista, certe *ἀπροσδιόνυσα*. Quid ergo? *Nardum* vocat Canidia unum illud eximium pharmacum, de quo ante, magicum, summâ curâ perfectum, & quo perfectius nullum unquam elaboravit, ut ipsa ait. Eo ergo perungit imaginem Vari ceream magico ritu, ut per istius unguenti vim reddatur ipse Varus pellicibus quibuscis odiosus, atque Suburanis canibus horribilem in modum allatrantibus

bus

Quid accidit? Cur dira barbaræ minus
 Venena Medeæ valent,
Quibus superba fugit ulta pellicem,
 Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam
 Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba, nec latens in asperis
 Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
 Oblivione pellicum.
Ah, ah, solutus ambulat veneficæ
 Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,
 ( O multa fleturum caput! )
Ad me recurres: nec vocata mens tua
 Marsis redibit vocibus.

## INTERPRETATIO.

Verum *quid evenit? Quare acria* hæc *pharmaca minus pollent* venenis *barbara Medea*, *quibus superbiens aufugit*, *sumptâ ultione de pellice*, *magni Creontis filiâ; quando chlamys*, *donum toxico infectum*, *novam sponsam incendio exstinxit? At nec herba nec radix crescens in arduis locis me effugit*. Nimirum *Varus cubat in lectis cunctarum pellicum innuctis oblivione*. *Ah*, *ah liber* ille *incedit per pharmaca veneficæ* cujuspiam me *doctioris*. Atqui per *inusitata medicamenta* faciam ut *ad me redeas*, *o Vare*, *homo plurima perpessure: neque animus tuus Marsis incantamentis restituetur aut*

## ANNOTATIONES.

bus a Subora deterreatur, & ad se tandem redire cogatur. Qui attentius leget Virgilii Pharmaceutriam Ecl. 8. inde lumen hauriet non parvum ad eruendos sensus hujus Odes tantulum abstrusos, & quos expiscati sunt huc usque pauci.

61. *Cur dira barbaræ, &c.* ) Hæc loquitur stupens Canidia: unde vero fit ut mea veneficia minus valeant? Enimvero similia sunt iis, quibus usa est Medea ad perdendam Creusam pellicem. Nam exquisitas herbas quasque novi & adhibui. Cur ergo Varus liber ac solutus ut ante pergit ad pellicum cubilia? Non moror quæ in hunc locum deblaterat Scaliger. Hunc, lector, si vacat, audi: *Hæc diligentius inspicienda*, inquit. *Namque accipit hic sua venena, quæ ait efficacia fuisse Medeæ, sibi minus valere. At quæ venena? quibus cremavit pellicem. At ea non exercuit adversus Varum: sed philtris tantum egit. Itaque ait hic;* amoris esse poculum: &c: non usitatis, Vare, potionibus ad me recurres. *Ego potius dicerem:* cur dira barbaræ magis venena Medeæ valent, *scilicet quam nostra*. Canidia adversus Varum non exercuit Medeæ veneficia; nec enim eum cremare & occidere cupiebat: sed pari virtute ac ritu paravit pharmaca ad illum ad se revocandum; quæ quidem nihil effecisse obstupescit primo deinde vero agnoscit causam cur parum valuerint. Quod vero Hypercriticus subjungit, Canidiam philtris tantum egisse, omnino refellitur ex lectione textûs Horatii, quem fuse explicavi initio hujus Odes, seu in prima annotatione mea. Unguentum primo quidem, at postea philtrum adhibuit Canidia, ut dixi. Meminisse porro debebat vir omni litteraturâ perpolitus, voces istas, *venena*, *pharmaca*, *potiones*, *incantamenta*, sæpe usurpari promiscue pro quolibet veneficio. Servius in Georgic. 1. ad eas voces *ille malum virus*, v. 129. testatur ita vocari illud omne quod mutat naturam ejus rei cui adhibetur, sive occidendo, sive sanando. Græci pharmacum, Latini venenum aut virus appellitant.

63. *Ulta pellicem magni Creontis filiam.* ) De Medea, deque ejus ulciscendi ratione, vide Epod. 3. ibique annot.

69. *Indormit unctis omnium cubilibus, &c.* ) Tranquille fruitur amoribus pellicum, mei plane oblitus. Vel, quiescit in quibus vult cubilibus, ungendo illa magico unguento, omnium aliarum mulierum oblivionem procurante. *Ah, ah scientioris* me *veneficæ* arte adjutum Varum intelligo. Quapropter aliam jam aggrediar *non usitatis potionibus* & pharmacis, ut ad me recurrat vel invitus, inquit Canidia.

76. *Marsis vocibus.* ) Marsi Italiæ populi in Latio inter continua Apennini montis juga, a Marso Circes veneficæ insignis filio dicti, & veneficia incantationesque edocti, teste Solino. Apud Non. Lucil. Satyr. lib. 20.

*Jam disrumpetur medius: jam ut*

Mer-

Digitized by Google

Majus parabo, majus infundam tibi
Fastidienti poculum.
Priusque cælum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub hæc puer, jam non, ut ante mollibus
Lenire verbis impias:
Sed dubius unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces.
Venena, magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira detestatio
Nullâ expiatur victimâ.
Quin ubi perire jussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor,

## INTERPRETATIO.

*curabitur*. Scilicet *parabo pharmacum potentius*, *quod tibi me aspernanti adhibebo*. *Et certe infra mare cadet cœlum*, *terrâ superjectâ*, *potius quam non exardescas amore meo*, *sicuti bitumen nigris ignibus*: *Post hac puer nequaquam*, *ut prius*, *blandimentis mollire sceleratas* mulieres tentat, *sed anceps quid primum diceret*, *emisit execrationes Thyestis*. *Veneficia*, inquit, *magnum fas ac nefas* confundant licet, at *nequeunt immutare sortem mortalium*. *Persequar vos execrationibus*. *Dira detestatio nullo sacrificio purgatur*. *Imo postquam* a vobis *coactus interiero*, *adero furor nocturnus*,

## ANNOTATIONES.

*Marsu' colubras*
*Disrumpit cantu*, *&c.*
Virgil. Æneid. 7. v. 758.
*Marsis quæsita in montibus herba*.
Vide Plin. lib. 25. cap. 13. & lib. 28. cap. 2. & 3. Item Gell. lib. 16. cap. 11. ubi sic scribit: *Gens in Italia Marsorum orta fertur a Marso Circes filio*; *propterea Marsis* . . . *vi quadam genitali datum*, *ut serpentium virulentorum domitores sint*, *& incantationibus herbarumque succis faciant medelarum miracula*.

77. *Majus parabo*, *&c.* ) Jam Canidia puerum infudere statuit, & inediâ interficere; ad parandum Varo philtrum e pueri exsuctis medullis & arefacto jecore: eoque pervincendam Vari quantamlibet obstinationem sibi spondet.

81. *Uti bitumen atris ignibus*. ) Hæc dicens Canidia bitumen injicit in ignes: atsaque inde flamma accenditur. Quippe & hoc intelligendum & supponendum hic. Quod quidem, ut & alia bene multa, Dacerius acute & erudite more suo observavit.

86. *Misit Thyesteas preces*. ) Diras execrationes & imprecationes emisit in Canidiam ejusque socias, quemadmodum olim Thyestes in Atreum fratrem, cum jugulatos filios, in frusta dissectos, coctos edendosque sibi ab eo fuisse appositos accepit. De his lib. 1. Od. 6. v. 8 & Od. 16. v. 17. Vide & Senec. Trag. Thyesten. Cic. Tusc. 1. n. 107. *Execratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes*, *primum ut naufragio pereat Atreus*, *&c.* . . . *neque sepulcrum quo recipiatur habeat*, *portum corporis*; *ubi remissâ humanâ vitâ corpus requiescat a malis*. Et in Pisonem, n. 43. *Thyestea ista execratio est*, *poetæ vulgi animos non Sapientium moventis*: *ut tu naufragio expulsus uspiam saxis fixus asperis*, *evisceratus latere penderes*, ( *ut ait ille* ) saxa spargens tabo, sanie, sanguine atro.

87. *Venena*, *magnum fas*, *&c.* ) Veneficia fas nefasque confundant, pervertant, violent licet; at rerum humanarum vicissitudines non sistent aut mutabunt: Itaque vos, sceleratæ ac detestabiles veneficæ, quæ me sic improbe occiditis, vicem vestram exspectate. Nam certe peribitis tandem miserabili modo, ac insepultas laniabunt feræ, &c.

89. *Detestatio nullâ expiatur victimâ*. ) Sic habebant veteres non posse averti aut expiari mala, quæ quis ardens justâ irâ, cum gravi fuerat injuriâ læsus, ei qui læserat imprecatus esset. Huc pertinet quod scribit Plin. lib. 28. *Defigi diris detestationibus nemo non metuit*.

91. *Nocturnus occurram furor*, *&c.* ) Sic Virgil. Æneid. 4. Dido ad Æneam:
*Omnibus umbra locis adero: dabis*, *improbe*, *pœnas*.
Ovid. in Ibin:
*Insequar & vultus ossea forma tuos*.
*Me vigilans cernes*; *tacitis ego noctis in umbris*
*Excutiam somnos*, *visus adesse*, *tuos*.

Petamque vultus umbra curvis unguibus,
Quæ vis Deorum est Manium:
Et inquietis assidens præcordiis,
Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc & hinc saxis petens
Contundet obscœnas anus.
Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.
Neque hoc parentes, heu mihi superstites,
Effugerit spectaculum.

## INTERPRETATIO.

*atque umbra facies vestras curvis unguibus invadam* (*nam hæc potestas est Deorum Manium*) *atque præcordiis inhærens minime quiescentibus, formidine eripiam*. Deinde *plebs per singulos vicos undique lapidibus vos incessens, execrabiles vetulas obruet*. *Denique membra* vestra *insepulta diverpent lupi & volucres esquilina*. *Illud* vero *spectaculum videbunt parentes* mei *heu post me viventes*.

## ANNOTATIONES.

94. *Quæ vis Deorum est Manium.*) Ut se ulciscantur de morte injuste illatâ, vim & potestatem habent animæ a corpore solutæ. Hæ scilicet *Manes*, &, *Dii*, honoris causâ, vocantur. Hinc iis aræ quoque erigebantur. Virgil. Eclog. 5. Daphnidi mortuo aræ duæ, v. 66. Æneid. 3. v. 63. Polydori animæ pariter: *stant Manibus aræ*, inquit. & v. 305. animæ Hectoris Andromche *sacraverat aras*. Et v. 303. *Manesque vocabat*. Quid proprie sint Manes, & varias ejus vocis acceptiones explicat luculenter ac diserte Apuleius lib. de Deo Socratis. *Animum humanum*, inquit, *emeritis vitæ stipendiis corpore suo abjurantem, vetere Latinâ Linguâ Lemurem dictitatum reperio. Ex hisce Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, placato & quiete numine domum possidet, Lar familiaris dicitur. Qui vero ob adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incertâ vagatione, seu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, malis vero noxium, id genus plerique Larvas perhibent. Cum vero incertum est, quæ cuique eorum sortitio evenerit, utrum Lar sit an Larva, Manem Deum nuncupant*. Animadverte has voces postremas ad rem præsentem maxime facientes.

95. *Assidens præcordiis.*) Sicut Promethei jecur vultor seu aquila tundit & vellicat, lib. 2. Od. 13. In fine.

99. *Insepulta membra.*) Hoc apud antiquos gravissimum malorum æstimabatur; quod errare anima, donec sepulcro corpus esset conditum, putaretur. Vide lib. 1. Od. 28. Item Sophocl. Ajac. Act. ult.

100. *Esquilinæ alites.*) Esquiliæ, unus e Romæ collibus. Accipitres circa esquilias volitabant frequenter, quia illic erant sepulcreta; imo & servorum ac morte damnatorum abjectis cadavera: itaque prædam ibi subodorabantur & quæritabant.

102. *Neque hoc parentes, &c.*) Hocque illis qualecunque solatium.

Posteriora criminationum Scaligeri capita tam futilia sunt, ne dicam insulsa, ut illa describere etiam pigeret. Ne tamen ea desideres, Lector, en ita ille:

Indormit unctis omnium cubilibus oblivione pellicum. *Neque structura placet: & hæc hiant, disjuncta a superioribus, & verbum, indormit, insuave est*.

Ad me recurres: nec revocata mens tua Marsis redibit vocibus. *Si fiet amens, quomodo fastidiat poculum quod non minatur? & omnino illa sunt durissima*, venena magnum fas nefasque, &c.

*Profecto si jam lapidibus instillata est plebs, si interempta anus, si insepultæ a lupis & avibus lacerata, quid addit:* neque hoc parentes effugerit spectaculum. *Quid enim agant parentes tunc?*

*Animadverte vocem hanc*, alites, *multis in locis ab Horatio repetitam: quam adeo amavit, ut maluerit hic quàm quod potuit*, vultures, *& fugisset licentiam neglectæ collisionis*. Hactenus Jul. Scalig.

1. Nec structura, nec verbum *indormit*, insuavia videntur nisi hypercritico. Quod a superioribus disjunctum est, non hiatum facit, sed impetum animi Canidiæ audaciâ & scelere furentis optime depingit, quæ res non pacate cogitat aut loquitur contexte & continenter, sed profert saltuatim.

2. Dormitabat sane bonus Scaliger, cum ista culpabat. Imo si Varus fiet amens, non nisi post & per *poculum*, quod mox ei *majus* Canidia minatur.

Porro hæc, *venena magnum fas, &c.* durissima omnino sint, vix tamen satis ad rerum duritiam quas indicant, & parum ad frangendum veneficæ improbitatis adamantem.

3. Profecto nihil agendum parentibus; sed tali fruendum spectaculo, ad mœstitiam utcunque leniendam, prædicit puer.

4. *Vultures* placeant homini carpendi & vellicandi avido: at æquum æstimatorem non offendent *Esquilinæ alites*; quin collisio, & ipsa vox, *alites*, pulchra sane, vel *decies repetita* oblectabit.



Digitized by Google

## IN CASSIUM SEVERUM.

# ODE V.

Quid immerentes hospites vexas, canis
 Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
 Et me remorsurum petis?
Nam qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon,
 Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublatâ nives,
 Quæcumque præcedet fera.
Tu cum timenda voce complesti nemus,
 Projectum odoraris cibum.
Cave: cave: namque in malos asperrimus
 Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
 Aut acer hostis Bupalo:

### INTERPRETATIO.

*Quare externos nihil mali meritos exagitas, o canis iners contra lupos? Cur non istac vanas minas convertis, si vales; ac lacessis me par pari redditurum? Etenim velut Molossus vel Lacedæmonius canis rufus, quæ est defensio grata pastoribus, per excelsas nives erectis auribus persequar quamcumque feram fugientem. Tu vero postquam formidabili latratu implevisti silvam, olfacis dapes oblatas. Cave, cave: nam ego adversus improbos acerrimus dirigo statim cornua; non secus ac gener contemptus a Lycambe perfido, vel inimicus Bupalo infensissimus.*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 2.

1. *Quid immerentes, &c.*) Hac Ode volunt notari Cassium Severum, oratorem petulantissimum, accusationibus in Senatu quanquam exitu semper infelici, & conatibus vanis, famosum, item scriptis maledicis in quemlibet etiam magnatum. Nonium certe Asprenatem Augusto licet *arctius junctum* veneficii reum agere non dubitavit. Testes sunt Suet. Oct. cap. 56. Plin. lib. 35. cap. 12. Is ob libellos famosos in vulgus sparsos, ad insulam Cretam primum, deinde in Seriphum est deportatus. Ejus meminit pluribus locis Corn. Tacitus, item Quintilianus. Ille sic habet in Dialogo de Oratoribus: *Cassium Severum affirmant primum flexisse ab illa vetere dicendi viâ directâ, non infirmitate ingenii, nec inscitiâ literarum, sed judicio & intellectu. Vidit namque cum conditione temporum ac diversitate aurium formam atque speciem orationis esse mutandam, &c.* & postea: *Equidem non negaverim Cassium Severum oratorem vocari, quanquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat, quam sanguinis. Primus enim contempto ordine rerum, omissâ modestiâ & pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus, & studio feriendi plerumque dejectus non pugnat, sed rixatur. Cæterum varietate eruditionis & lepore urbanitatis, & ipsarum virium robore multum cæteros superat.* Fab. autem Quintilianus l. 10. c. 1. *Cassius*, inquit, *Severus si cum judicio legatur, multa dabit imitatione digna. Quod si cæteris virtutibus colorem & gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. Nam & ingenii plurimum est in eo, & acerbitas mira, & urbanitas, & vis summa: sed plus stomacho quam consilio dedit: præterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est.* Ejus scripta ex Senatusconsulto abolita sunt, teste Suetonio.

*Canis ignavus adversum lupos.*) Acer in ignavos, ignavus in fortes: quod argumentum socordiæ est.

3. *Quin huc inanes, &c.*) Quin me lacessis meique similes acriter remorsuros te mordentem, vel potius allatrantem?

5. *Molossus.*) Canis ingens & validus, Gallice, *dogue*. Ex Epiro, ubi populi fuere quondam Molossi. Strabo lib. 7.

*Fulvus Lacon.*) Canis agilitate commendatus simul & robore Gall. *levrier*: e Laconia Peloponnesi regione, seu ea urbe Spartâ. Vir. Georg. 3. v. 405.

*Veloces Spartæ catulos, acremque Molossum.*

6. *Amica vis pastoribus.*) Ad arcendos a grege lupos, aliasque feras. Theocrit. κύων φιλοποίμνιος. *canis ovium amans.*

7. *Agam per altas.*) Expeditos ego sum ad insectandos quoscunque mihi injuriam facientes. Pergit scilicet noster in metaphora.

9. *Tu cum timenda, &c.*) Tu vero cum ingenti latratu maxime terribilis visus fuisti: repente mitis & imbellis appares, objecto pretio sedatus: quemadmodum canis iners antea horrendum latrans, projectum cibum arripiens, mutus subito fit.

12. *Tollo cornua.*) Vires exero, animos & bilem accendo, graviterque ulciscor.

13. *Qualis Lycambæ, &c.*) Sicut Poeta Archilochus fecit in Lycamben. Hic enim Neobulem filiam antea desponsam fractâ fide illi negavit uxorem, generumque habere sprevit. At Archilochus Iambicos versus a se inventos tam acerbos & amarulentos scripsit in Lycamben, ut eum ad desperationem, tandemque ad suspendium adegisse referatur. Vide Epistolam ad Pisones, v. 79.

14. *Acer hostis Bupalo.*) Hipponax Poeta circa Olympiadem sexagesimam florebat, quinque cir-

Digitized by Google

An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

INTERPRETATIO.

*Quod si me quisquam dente nigro lacerarit, numquid plorabo velut puer imbellis?*

ANNOTATIONES.

circiter ante Christum seculis. Staturâ parvus, vultu pravus ac deformis. Contigit ut offensi duo fratres Bupalus & Anthermus, sive pictores, sive sculptores, ejus imaginem omnino ridiculam effinxerint, populique ludibrio exposuerint; verum non impune. *Hipponacti notabilis fœditas vultus erat. Quamobrem imaginem ejus lasciviâ jocorum ridentium circulis in promptu fecere (alii, proposuere) quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum distrinxit in tantum, ut credatur aliquibus eos ad laqueum compulisse. Quod falsum est: Complura enim in finitimis insulis simulacra postea fecere.* Hæc Plin. lib. 36. cap. 5. Alii scribunt Epheso urbe duntaxat cedere coactos præ pudore & irâ, propter acerbitatem versuum Hipponactis. Ex Dionys. Halic. Hipponax trimetrum Archilochium in Scazontem inflexit, ut gravius feriret. Cic. 3. de nat. Deorum, n. 90. *quem Hipponactis Iambus laserat, aut qui erat Archilochi versu vulneratus, &c.*

15. *An si quis atro dente, &c.*) Si vero me quisquam impetat conviciis, an ad lacrymas, pueri more, confugiam? imo ut vir ad arma & ultionem convolabo; persequar adversarium usquequaque, donec graviores acceptis plagas infligam.

## *AD POPULUM ROMANUM.*

# ODE VII.

*Detestatio bellorum civilium.*

Quo quo scelesti ruitis? Aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacrâ catenatus viâ:

INTERPRETATIO.

*Quo quo scelerati properatis? vel cur inclusi vaginâ gladii dextris inseruntur? An non satis Latini sanguinis effusum est, terrâ marique? Non quidem ut Romani incenderent excelsa tecta æmulæ Carthaginis, vel ut Britanni hactenus indomiti per viam sacram vincti traherentur:*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Quo quo, &c.*) Ambigitur quod civile bellum hic Poeta execretur. an illud quod gestum est hinc Bruto & Cassio, illinc Augusto M. Antonio & M. Lepido ducibus? An bellum Actiacum, cujus finem & exitum Augusto felicem celebrabit Epod. 9.? An potius illud quod post cladem Philippensem Sext. Pompeius reparabat? Vide lib. 1. Od. 14. lib. 2. Od. 7. lib. 3. Od. 4. & 6. Denique Epod. 16. ibique annot.

*Scelesti.*) In cives & patriam injuriosi & sævientes.

2. *Enses conditi.*) Pax enim facta fuerat, aliquanto post dimicationem Philippensem, Pompeianos inter & Augustum atque Antonium.

3. *Campis atque Neptuno super.*) In campis Philippensibus, & in mari Siculo. De hoc Epod. 4. de illis lib. 2. Od. 7. *Neptunus* maris Deus, pro ipso mari.

5. *Non ut superbas, &c.*) Enimvero tantum sanguinis Romani nuper fusum non est pro defensione patriæ vel ultione, ut olim quando Scipione duce deleta & incensa Carthago est. Tunc certe gloriose pugnatum est: at certarunt nuper cives in seipsos impie, ut & nunc armantur.

*Invidæ Carthaginis.*) Carthago Romæ æmula quamdiu stetit, fuit. Vide lib. 3. Od. 5. Vell. Patercul. lib. 1. & 2.

7. *Intactus aut Britannus.*) Neque tunc fusus est Latinos sanguis, ut Britanni nondum subacti Romano Imperio, vincerentur, atque in triumpho ducerentur ex more ad Capitolium per viam sacram. Vide Sueton. Octav. cap. 25. Dion. lib. 40. init. Cæsaris Comment. l. 5. Item annot. l. 3. Od. 5. lib. 4. Od. 14.

*Descenderet.*) Declivis nempe ad forum usque Romanum erat *via sacra;* de qua Epod. 4. v. 7. at a foro Rom. ad Capitolium postea ascendebatur.



Digitized by Google

Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contempto, sedet.
Quid attinet tot ora navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum,
Hoc hoc Tribuno militum?

## INTERPRETATIO.

*quis calcat; nec non insignis eques primis in subselliis sedet, Othone spreto. Quid juvat ærata rostra tot navium ingenti magnitudine dirigi adversus prædones & servorum turmas, isto isto, inquam, militum Præfecto?*

## ANNOTATIONES.

agrum Falernum: ab Appio Claudio Tribuno plebis lapidibus strata, indeque nomen sortita.

*Mannis.*) Equis gradariis, nullâ vectoris molestiâ incedentibus, Gall. *haquenées*. Dicti sunt quod manus mansuetudinem sequantur. Hos inequitabant proceres duntaxat: Menas autem forte & currui junctos adhibebat, singulari quidem ambitione, mollitie, luxu.

15. *Sedilibusque magnus in primis eques.*) In Amphitheatro Rom. sedentibus ad spectandum distincti erant gradus, pro diversa cujusque dignitate. Orchestram Senatores obtinebant. Deinde gradus quatuordecim Equitibus Romanis erant destinati: quorum primi Tribunis excepti. In his itaque sedendi jus habebat Menas reclamante quidem lege, de qua mox dicam. Dio lib. 36.

16. *Othone contempto.*) L. Roscius Otho Tribunus plebis legem tulerat, qua Nobiles in Theatro a plebeiis separati sederent. Hinc Juvenal. Sat. 3. v. 159.

*Sic libitum vano qui nos distinxit Othoni.*

Porro lex eadem vetabat Equitem fieri ac in gradibus Amphitheatri quatuordecim sedere eum, cui vel patri ejus avoque non adfuisset equestris census, id est, quadringenta sestertiûm millia. At nihilo tamen minus ita jubente Principe tempori quidem serviente, ut dixi, Menas nequaquam ingenuus, jam opulentus, contemptâ Othonis lege, Eques factus, imo & Tribunus, prima sedilia in spectaculis occupabat, quanquam ab iis dignitatibus arcebantur liberti atque libertini.

17. *Quid attinet, &c.*) Ergone contra servorum & prædonum exercitum instruere copias navales oportet Menam, qui & ipse prædo & servus e natura factus, non ita pridem eorum dux fuit? Sunt qui existiment loqui Horatium de fugitivis, quos ad arma vocaverat Sextus Pompeius, & quibus Tribunum Menam præfecerat. At alii melius intelligunt reliquias exercitûs Sexti Pompeii, quas Menæ ductu & operâ jam victor Augustus persequebatur.

*Navium gravi pondere.*) Vide Epod. 1. v. 1. ibique annot.

20. *Hoc hoc Tribuno militum.*) Plutarchus ante citatus ubique piratam vocat Menam. *Tribuni militum* officium erat milites in castris continere, & ad exercitationem producere; claves portarum suscipere; vigilias interdum circumire; frumentationibus commilitonum interesse; frumentum probare; fraudem mensorum coercere; militum querelas audire, delicta castigare, &c.

## *IN CANIDIAM VENEFICAM.*

## ODE V.

At, o Deorum quisquis in cælo regis
Terras, & humanum genus,
Quid iste fert tumultus? Aut quid omnium
Vultus in unum me truces?
Per liberos te, si vocata partubus
Lucina veris affuit;
Per hoc inane purpuræ decus precor,
Per improbaturum hæc Jovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita ferro bellua?
Ut hæc trementi questus ore constitit
Insignibus raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia

### INTERPRETATIO.

*Sed o Numina, quotquot in cælo gubernatis hanc orbem atque homines, quid sibi vult iste strepitus? Vel quorsum facies* omnium istarum apparent *terribiles adversus me solum? Te ora per filios, si Diana adfuit veris partubus invocata: per vanum istud insigne purpuræ: per Jovem talia condemnaturum: quare me aspicis quasi noverca, vel ut fera tela confixa? Postquam puer ore trepidanti has fudit querelas, ornamentis exutus est. Corpus* erat *sine pube, quod posset flectere corda*

### ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *At, o Deorum.* ) Julius Scaliger vir alioqui summus (quis credat?) hanc Odan pessime intellexit, passime carpsit. Singulas ejus cavillationes, lector, cognosce, & judica, ad loca singula relatas, ac ni fallor, probe dilutas. At rem totam diligenter ante accipe: nec enim caret difficultatibus; & quædam sane supplenda ex magorum institutis. Hæc summa est. Conveniunt ad veneficium quatuor sagæ, quarum Canidia princeps, quæ de Varo suos amores spernente ulcisci, illumque ad se trahere per incantamenta satagebat. Itaque primum ex elixatis tum herbis tum aliis rebus unguentum, seu pharmacum conficit: illudque adhibet ad ceream Vari imaginem, quam de more illic statui supponendum; rata nimirum perinde in Varum agere, ac si adesset, & unguento illo ipse perfunderetur. At cum animadvertit Canidia prius hoc minus valuisse incantamentum, quod Varus contrariis se pharmacis præmuniisset; tum vero alterum parat efficacius, ac velut extremum remedium, scilicet philtrum, seu potionem amatoriam e medullis & jecore pueri terræ infossi, quem ex inedia contabescere & exspirare faciunt. Hæc omnia porro mire describit ac varie exornat Poeta. Jam singula inspiciamus.

3. *Quid iste fert tumultus, &c.* ) Inducitur loquens puer, quem veneficæ illæ raptum terræ infodere parant, ut conficiendum ex ejus intestinis philtrum, seu amoris poculum. Truculentas vero facies expavescens ista profert.

5. *Si vocata partubus Lucina veris affuit.* ) Hæc ait, quoniam supposititios fœtus alebant interdum veneficæ, ad sua scelerata consilia utiles. Vide Epod. 17. annotat. ad voces, *venter partumcius*.

6. *Lucina.* ) In partu invocabatur Diana, ut adesset tum parturienti, tum prodeunti in lucem infantulo. Hinc cognomen, *Lucina*. Vide lib. 3. Od. 22.

7. *Inane purpuræ decus.* ) Quippe quo non deterremini ad inferenda mihi necem.

8. *Improbaturum hæc Jovem.* ) A juvando Jupiter dictus, scelerum vindex est omnium.

12. *Insignibus raptis.* ) Detractis prætextâ & bullâ, quæ nobilitatis ac ætatis istius erant insignia. *Custos purpura* nuncupatur a Persio Sat. 5. v. 30. *quod prætexta infirmitatem pueritiæ sacram fieri & venerabilem*, non secus ac sacerdotem vestibus suis existimassent vataras, teste Quintiliano. Ex Macrob. lib. 1. Saturnal. cap. 6. Tarquinius Priscus instituit prætextam simul & bullam cordis effigie collo appendi solitam, qua pueri *corde præstare* monerentur: utque *communiret pectus puerile*, inquit Asconius. Plura de istis annotavi ad prædictum Persii locum, & ad Juvenal. Sat. 5. v. 164.

13. *Impube corpus.* ) Nondum scilicet adeptum annos ætatis quatuordecim, adeoque sine pube, sine pilis.



Digitized by Google

Mollire Thracum pectora:
Canidia brevibus implicata viperis
Crines, & incomptum caput,
Jubet sepulcris caprificos erutas,
Jubet cupressus funebres,
Et uncta turpis ova ranæ sanguine,
Plumamque nocturnæ strigis,
Herbasque, quas & Iolchos atque Iberia
Mittit venenorum ferax,
Et ossa ab ore rapta jejunæ canis
Flammis aduri Colchicis.
At expedita Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis
Echinus, aut currens aper.
Abacta nullâ Veia conscientiâ,

## INTERPRETATIO.

*Thrac[illegible] ferocia.* Tum *Canidia exiguis viperis implexos* habens *capillos & incompositum caput, mandat caprificos evulsas tumulis, mandat ferales cupressus, & fœda rubetæ cruore aspersa ova, plumasque strigis nocturnæ, & herbas quas producit Iolchos atque Iberia venenis fertiles, & ossa erepta ex ore canis famelicæ, cremari ignibus Colchicis. Mox Sagana succincta per totas ædes inspersit Avernales aquas, habens crines rigidos velut echinus marinus, aut aper currens.* Inde *Veia nullis conscientiæ* stimulis *absterrita labore ingemisceat,*

## ANNOTATIONES.

14. *Thracum.* ) Qui barbari & inhumani valde. Vide lib. 1. Od. 18.

15. *Implicata viperis.* ) Furiarum instar.

17. *Caprificos.* ) Silvestres ficus & cupressi arbores funestæ sunt & ferales. Vide lib. 2. Od. 14.

*Erutas.* ) Nec enim amputari, sed erui oportebat ad usum magicum.

19. *Ranæ sanguine.* ) Ranarum aliæ sunt aquatiles, minores, innoxiæ: aliæ terrestres, majores, torpiores, desides, venenosæ, aliter rubetæ dicuntur, Gall. *crapaus.* Et hæ ad veneficia adhibebantur. Plin. lib. 32. c. 5. Juvenal. Sat. 1. v. 70. Sat. 3. v. 44. Sat. 6. v. 658.

*At nunc res agitur tenui pulmone rubetæ.*

20. *Plumamque nocturnæ strigis.* ) Rubetæ viscera pariter & strigis plumas, ad amorem concitandum valere, Propertius etiam testis, lib. 3. Eleg. 5.

*Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,*
*Et lecta exsectis anguibus ossa trahunt,*
*Et strigis inventæ per busta jacentia plumæ, &c.*

*Strigis.* ) Strix avis, noctu volans tantum, a stridore vocis dicta, mali ominis olim habita est, sicut hodie noctua, cui certe similis. Plin. lib. 11. c. 39. ita scribit: *Esse in maledictis jam antiquis strigem convenit: sed quæ sit avium, constare non arbitror.*

21. *Iolchos.* ) Est urbs Thessaliæ ad sinum Pelasgicum, ad radices Pelii montis. Quidam legunt, *Colchos,* sed perperam, nam prope sequitur vox *Colchicis.* Et sic ruit prima Scaligeri querela: in 5. Epod. *loca sunt minus ingenua,* inquit: *anxia dice: neque libere spiritu edita, qualis ille versus,*

*Herbasque, quas & Colchos atque Iberia.*
*Est sonus insuavis, que, quas.*

Priorem lectionem ex manuscriptis codicibus, tuentur Cruquius, & alii.

*Iberia.* ) Regio Pontica (non Hispanica) apud Asiam Minorem, hodie Georgia, vern. *Gurgistan*: Moschicis montibus separatur a Colchide.

23. *Ossa ab ore rapta jejunæ canis.* ) Per hæc amoris quasi famem gigni, credebant superstitiose.

24. *Flammis aduri Colchicis.* ) Simul hæc omnia igne coqui seu elixari jubet Canidia, ad ritum Medeæ Colchicæ, de qua postea. Colchis hodie Mengrelia, Asiæ Minoris regio, ad oram Euxini maris. In ea regnavit Oeta Medeæ pater.

25. *Sagana.* ) Altera hæc venefica operam confert Canidiæ, & magico ritu spargit aquas ex *Averno.* is Campaniæ lacus apud antrum Sibyllæ Cumanæ percelebris: ac per eum ad Inferos descensum esse fabulati sunt. Vide Virg. Æn. 4. 512. & Æn. 6. v. 126. de Sagana iterum l. 1. Sat. 8.

28. *Echinus.* ) Gall. *herisson*, alter est terrestris, qui & herinaceus: alter aquatilis seu marinus. Uterque spinis inhorrescit. Plin.

*Aper currens.* ) Tunc enim apri dorso rigescunt setæ cum currit, seu venatorem fugit, seu invadit: quod iræ ac furoris argumentum.

29. *Abacta nulla Veia conscientiâ.* ) Veia tertia est venefica, quæ scrobem facit, humumque egerit infodiendo puero. Quid vero Scaliger?

ime

Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus;
Quo posset infossus puer
Longo die bis terve mutatæ dapis
Inemori spectaculo:
Cum prominerent ore quantum exstant aquâ
Suspensa mento corpora:
Exucta uti medulla & aridum jecur
Amoris esset poculum,
Interminato cum semel fixæ cibo
Intabuissent pupulæ.
Non defuisse masculæ libidinis
Ariminensem Foliam,
Et otiosa credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum;

## INTERPRETATIO.

*duro bipalio effodiebat terram, in qua puer immissus diuturno tempore mori posset, aspectu ciborum bis aut ter immutatorum: si quidem capite exstabat quantum corpora mente suspensa eminent super aquam: ut arescens medulla & hepar exsiccatum fieret amoris pharmacum, postquam contabuissent pupillæ semel infixæ cibo interdicto.* Porro *& otiosa Neapolis & urbes vicinæ omnes crediderunt* istis veneficiis *adfuisse Foliam Ariminensem nefandâ libidine* famosam,

## ANNOTATIONES.

*imo multa conscientia*, inquit, *multorum sibi facinorum conscia. Sed intelligendum est non fuisse abactam seu distractam a malis facinoribus: omnino durum est; & sonus quanquam dispar temporibus, tamen idem plebeius.* Si quid durum, egregia exhibet ferream Veiæ mentem. Nec plebeia dictio est, quin potius elegans & nobilis: indicatque mulierem sceleribus adeo assuetam, ut absque ullo metu ea perpatret. Perditam ejusmodi conscientiam exprimit Pers. Sat. 3. v. 32.

*... fibris increvit opimum*
*Pingue; caret culpa, &c.*

33. *Bis terve mutatæ dapis inemori spectaculo.*) Nimirum puer infossus duos tresve dies vivere poterat, capite exstans, mutatos subinde cibos prope os habens, augescente eorum appetitu & fama diversarum dapum quas attingere non poterat, in eas fixum tenens aspectum, & sic tandem emoriens. Existimabant nempe hominis in ea aviditate mortui jecur & medullas vim habere extimulandi amoris.

35. *Cum prominerent ore, &c.*) *Non intelligo*, inquit Hypercriticus, *quid sit*, quantum exstant aquâ suspensa mento corpora. *Quænam in patibulo suspensa exstant ab aqua?* Quæso, lector, an hæc non facile tu intelligis? Non ita certe capies, quid Scaliger velit per suum *patibulum*, de quo hic nulla mentio; cum sit collatio natantis atque adeo aquâ mersi & suspensi, exstantis ab aqua solo capite, cum puero terrâ cooperto & ore duntaxat prominenti.

37. *Aridum jecur.*) Jecur amoris sedes. *Aridum.*) Deficiente succo, & subtracto cibo, cujus appositi & præsentis desiderium majus fuerat.

39. *Interminato cum semel, &c.*) Et hæc sibi ignota Scaliger proclamat. *Nam interminatus est insultus*, inquit, *at ille finitum ostendit, cum dixit, bis terve mutatam dapem.* Et hæc nunquam scripsisset cui mens non læva fuisset, inquam ego. *Interminatus* idem est ac minando vetitus, uno verbo prohibitus, renitente Grammatico reclamante. Porro addit ille tam inepte quam prius: *& qua naturâ doctus scripsit finas esse pupulas ab inedia?* Oha, magne Juli, infixas cibo apposito pupulas, inediâ vero intabescentes, scribit Horatius, totâ reclamante naturâ.

42. *Ariminensem Foliam.*) Quarta est hæc venefica, ex Arimino urbe Æmiliæ; hodie *Rimini*, in Romandiolâ provinciâ, in ora maris Hadriatici: prope fontes Tiberis alluitur fluvio cognomine.

43. *Otiosa Neapolis.*) Hæc urbs Italiæ clarissima, ad delicias, secessum, & otium amœno situ comparata, olim dicta Parthenope. Virgil. Georgic. in fine:

*Illo Virgilium me tempore dulcis alebat*
*Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.*

Ovidius *in otia natam Parthenopen* dixit. Cruquius, *otiosa*, interpretatur, *Neapolitani minus curiosi.*

45. *Omne vicinum oppidum.*) Federicus Ceruti intelligit Puteolanam civitatem: alii vicinas urbes, v. g. Capuam, Cumas, Puteolos, Baias, Nolam, Atellam, &c.

Digitized by Google

Quæ sidera excantata voce Thessalâ,
  Lunamque cælo deripit.
Hic irresectum sæva dente livido
  Canidia rodens pollicem,
Quid dixit? aut quid tacuit? O rebus meis
  Non infideles arbitræ,
Nox, & Diana, quæ silentium regis,
  Arcana cum fiunt sacra;
Nunc nunc adeste, nunc in hostiles domos
  Iram atque numen vertite.
Formidolosis dum latent silvis feræ,
  Dulci sopore languidæ;
Senem (quòd omnes rideant) adulterum
  Latrent Suburanæ canes
Nardo perunctum, quale non perfectius
  Meæ laborarunt manus.

## INTERPRETATIO.

*quæ verbis Thessalicis incantans astra & Lunam cælo detrahit. Tum vero ferox Canidia dente livido rodens* unguem *pollicis non amputatum, quid locuta est? vel quid non dixit? O rebus meis*, inquit, *testes faventes, nox, & Diana silentium faciens, quando secreta peraguntur mysteria, modo adjuvate; jam in ædes inimicorum convertite iram & potestatem divinam. Interim dum belluæ abscondantur silvis formidinem creantibus pacato somno vorantes, canes Suburæ allatrent mæchum senem (quod cunctis ludibrio sit) perfusum unguento, quo præstantius nullum elaborarunt meæ manus.*

## ANNOTATIONES.

45. *Voce Thessalâ.*) More & ritu vocibusque Thessalorum, qui arte magicâ præstabant. Vid. lib. 1. Od. 27. stroph. ult.

46. *Lunamque cælo deripit.*) Virg. Ecl. 8.

*Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.*

Ita veteres credebant, cum Luna deliquium pateretur, tum magorum incantationibus vexari, & hinc rubescere, quod reluctaretur ne in terram devocaretur invita, ut in herbas desponeret ad veneficia conficienda profuturas. Quin eo superstitio involverat, ut laboranti Lunæ subvenire se crepitu cymbalorum arbitrarentur. Unde apud Senec. Trag. Hippolyt. Act. 2. Chorus ita loquitur de Luna:

*Et nuper rubuit: nullaque lucidis*
*Nubes sordidior vultibus obstitit.*
*At nos solliciti lumine turbido,*
*Tractam Thessalicis carminibus rati,*
*Tinnitus dedimus.*

Huic vulgi opinioni primo locum dedit Aglaonice Egetoris filia, quæ Astrologiæ perita, cum Luna esset in defectu seu eclipsi, se eam incantare & deducere simulavit. Plutarch. lib. de orac. defectu post init. Vide Plin. lib. 30. c. 1. & 2.

47. *Irresectum.*) Sordes notat fœdis illis mulieribus affectatas.

48. *Rodens pollicem.*) Altâ cogitatione defixum & percitum furore animum perinde exhibet.

51. *Nox & Diana.*) Noctem & tenebras amant tenebriones. Christus in Evangelio. *qui male agit odit lucem, ut non arguantur opera ejus.* Magi & venefici sua flagitia noctu semper exequi aggrediuntur. Porro sacra plerumque nocturna celebrabant Ethnici, affulgente Lunâ, & quasi silentium imperante, ut existimabant, & favente.

53. *In hostiles domos.*) In Varum atque pellices, quibus ille detinetur, & a me avertitur.

57. *Senem, quòd omnes rideant, adulterum.*) Juvenis instar lascivientem. Ovid.

*Turpe senex miles: turpe senilis amor.*

58. *Suburanæ canes.*) Subura urbis Romæ regio, ubi meretricum erant domicilia. Illuc ventitabat noctu Varus, parum memor Canidiæ, hinc amore illinc dolore tabescentis, proindeque vindicationem ac vindicias petentis quacumque viâ, seu, per fas & nefas.

59. *Nardo perunctum.*) Unguentum e nardo pretiosum absurde explicant fere omnes; & hinc Gratidiam Neapolitanam unguentariam sub nomine Canidiæ vellicari perperam comminiscuntur: absurdiusque, delibutum eo Varum senem ad meretricios amores captandos ajunt. Cerotus *unguento venefico ad amorem conciliandum efficaci Varum senem perunctum* interpretatur. Sed nihil minus ad sensum Horatii quam ista, certe ἀπροσδιόνυσα. Quid ergo? *Nardum* vocat Canidia suum illud eximium pharmacum, de quo ante, magicum, summâ curâ perfectum, & quo perfectius nullum unquam elaboravit, ut ipsa ait. Eo vero perungit imaginem Vari ceream magico ritu, ut per istius unguenti vim reddatur ipse Varus pellicibus quibusvis odiosus, atque Suburanis canibus horribilem in medium allatrantibus

Digitized by Google

Quid accidit? Cur dira barbaræ minus
Venena Medeæ valent,
Quibus superba fugit ulta pellicem,
Magni Creontis filiam,
Cum palla, tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit?
Atqui nec herba, nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum.
Ah, ah, solutus ambulat veneficæ
Scientioris carmine.
Non usitatis, Vare, potionibus,
( O multa fleturum caput! )
Ad me recurres: nec vocata mens tua
Marsis redibit vocibus.

## INTERPRETATIO.

Varum *quid evênit? Quare asria* hæc *pharmaca minus pollent* venenis *barbara Medea, quibus superbiens aufugit, sumptâ ultione de pellice, magni Creontis filiâ: quando shlamys, donum toxico infectum, novam sponsam insendio extinxit? At nec herba nec radix crescens in arduis locis me effugit.* Nimirum *Varus cubat in lectis cunctarum pellicum inunctis oblivione. Ah, ah liber* illa *incedit per pharmaca venefica* cujuspiam me *doctioris.* Atqui per *insolita medicamenta* faciam ut *ad me redeas, o Vare, homo plurima perpessure: neque animus tuus Marsis incantamentis restituetur unt*

## ANNOTATIONES.

bus a Subura daterraator, & ad se tandem redira cogatur. Qui allentius leget Virgilii Pharmacautriam Ecl. 8. inde lumen hauriet non parvum ad eruendos sensus hujus Odas tantulum abstrusos, & quos expiscati sunt hunc usqua pauci.

61. *Cur dira barbara, &c.*) Hæc loquitur stupens Canidia: unda vero fit ut maa venaficia minus valeant? Enimvero similia sunt iis, quibus usa est Medaa ad perdendam Crausam pallicem. Nam exquisitas harbas quasqua novi & adhibui. Cur argo Varus liber ac solutus ut ante pergit ad pellicum cubilia? Non moror quæ in hunc locum deblatefat Scaliger. Hunc, lector, si vacat, audi: *Hæ diligentius inspisienda*, inquit. *Numque accipit hic sua venena, quæ ait efficacia fuisse Medea, sibi minus valere. At quæ venena? quibus cremavit pellicem. At ea non exercenit adversus Varum: sed philtrio tantum egit. Itaque ait his;* amoris esse poculum: &c: non usitatis, Vare, potionibus ad ma racurras. *Ego potius dicerem:* cur dira barbaræ magis venena Medeæ valent, *scilises quam nostra.* Canidia adversus Varum non axercuit Madaæ veneficia; nec anim aum cramare & occidere cupiebat: sed pari virtute ac ritu paravit pharmaca ad illum ad sa revocandum; quæ quidem nihil effecisse obatupescit primo dainde varo agnoscit causam cur parum valuarint. Quod vero Hypercriticus subjungit, Canidiam philtris tantum egissa, omnine refellitur ex lectione textûs Horatii, quam fuse explicavi initio hujus Odes, seu in prima annotatione maa. Unguentum primo quidam, at postea philtrum adhibuit Canidia, ut dixi. Meminisse porro dabebat vir omni litaraturâ parpolitus, voces istas, *venena, pharmaca, potiones, incantamenta*, sæpe usurpari promiscue pro quolibat venaficio. Servius in Georgic. 1. ad eas voces *ille malum viras*, v. 129. testatur ita vocari illud omne quod mutat naturam ajus rei cui adhibetur, sive occidendo, sive sanando. Græci pharmacum, Latini venenum aut virus appellitant.

63. *Ulta pellicem magni Creontis filiam.*) De Medea, daque ejus ulciscendi ratione, vide Epod. 3. ibique annot.

69. *Indormit unctis omnium cubilibus, &c.*) Tranquille fruitur amoribus pellicum, mei plane oblitus. Vel, quiescit in quibus vult cubilibus, ungendo illa magico unguanto, omnium aliarum mulierum oblivionem procuranta. *Ah, ah scientioris* me *venefica* arta adjutum Varum intelligo. Quapropter illum jam aggrediar *non usitatis potionibus* & pharmacis, ut ad me recurrat vel invitus, inquit Canidia.

76. *Marsis vocibus.*) Marsi Italiæ populi in Latio intar continua Apennini montis juga, a Marso Circas venaficæ insignis filio dicti, & vaneficia incantationesqua edocti, teste Solino. Apud Non. Lucil. Satyr. lib. 20.

*Jam disrumpetur medius: jam ut*

Mar-

Digitized by Google

Majus parabo, majus infundam tibi
Fastidienti poculum.
Priusque cælum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quam non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.
Sub hæc puer, jam non, ut ante mollibus
Lenire verbis impias:
Sed dubius unde rumperet silentium,
Misit Thyesteas preces.
Venena, magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam vicem.
Diris agam vos: dira detesratio
Nullâ expiatur victimâ.
Quin ubi perire jussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor,

## INTERPRETATIO.

*curabitur*. Scilicet *parabo pharmacum potentius*, *quod tibi me aspernanti adhibebo*. *Et certe infra mare cadet calum*, *terrâ superjectâ*, *potius quam non exardescas amore meo*, *sicuti bitumen nigris ignibus*. *Post has puer nequaquam*, *ut prius*, *blandimentis mollire sceleratas* mulieres tentat, *sed an*-*ceps quid primum diceret*, *emisit execrationes Thyestis*. *Veneficia*, inquit, *magnum fas ac nefas* confundant licet, at *nequeunt immutare sortem mortalium*. *Persequar vos execrationibus*. *Dira detestatio nullo sacrificio purgatur*. *Imo postquam* à vobis *coactus interiero*, *adero furor nocturnus*,

## ANNOTATIONES.

*Marsis celebrans*
*Dirrumpit cantu*, &c.
Virgil. Æneid. 7. v. 758.
*Marsis quæsita in montibus herba.*
Vide Plin. lib. 25. cap. 23. & lib. 28. cap. 2. & 3. Item Gell. lib. 16. cap. 11. ubi sic scribit: *Gens in Italia Marsorum orta fertur a Marso Circes filio*; *propterea Marsis* . . . *vi quadam genitali datum*, *ut serpentium virulentorum domitores sint*, & *incantationibus herbarumque succis faciant medelarum miracula*.

77. *Majus parabo*, &c. ) Jam Canidia puerum infodere statuit, & inediâ interficere; ad parandum Varo philtrum e pueri exsuctis medullis & arefacto jecore: atque pervincendam Vari quamlibet obstinationem sibi spondet.

81. *Uti bitumen atris ignibus*. ) Hæc dicens Canidia bitumen injicit in ignes: atraque inde flamma accenditur. Quippe & hoc intelligendum & supponendum hic. Quod quidem, ut & alia bene multa, Dacerius acute & erudite more suo observavit.

86. *Misit Thyesteas preces*. ) Diras execrationes & imprecationes emisit in Canidiam ejusque socias, quemadmodum olim Thyestes in Atreum fratrem, cum jugulatos filios, in frusta dissectos, coctos edendosque sibi ab eo fuisse appositos accepit. De his lib. 1. Od. 6. v. 8 & Od. 16. v. 17. Vide & Senec. Trag. Thyesten. Cic. Tusc. 1. n. 107. *Execratur luculentis sane versibus apud Ennium Thyestes*, *primum ut naufragio pereat Atreus*, &c. . . . *neque sepulcrum quo recipiatur habeat*, *portum corporis*; *ubi remissâ humanâ vitâ corpus requiescat a malis*. Et in Pisonem, n. 43. *Thyestea ista exsecratio est*, *poeta vulgi animos non Sapientium moventis*: ut tu naufragio expulsus uspiam saxis fixus asperis, evisceratus latere penderes, ( *ut ait ille* ) saxa spargens tabo, sanie, sanguine atro.

87. *Venena*, *magnum fas*, &c. ) Veneficia fas nefasque confundant, pervertant, violent licet; at rerum humanarum vicissitudines non sistent aut mutabunt. Itaque vos, sceleratæ ac detestabiles veneficæ, quæ me sic improbe occiditis, vicem vestram exspectate. Nam certe peribitis tandem miserabili modo, ac insepultas laniabunt feræ, &c.

89. *Detestatio nullâ expiatur victimâ*. ) Sic habebant veteres non posse averti aut expiari mala, quæ quis ardens justâ irâ, cum gravi fuerat injuriâ læsus, ei qui læserat imprecatus esset. Huc pertinet quod scribit Plin. lib. 28. *Defigi diris detestationibus nemo non metuit*.

91. *Nocturnus occurram furor*, &c. ) Sic Virgil. Æneid. 4. Dido ad Æneam:
*Omnibus umbra locis adero: dabis*, *improbe*, *pœnas*.
Ovid. in Ibin:
*Insequar* & *vultus ossea forma tuos.*
*Me vigilans cernes*; *tacitis ego noctis in umbris*
*Excutiam somnos*, *visus adesse*, *tuos*.

Petamque vultus umbra curvis unguibus,
  Quæ vis Deorum est Manium:
Et inquietis assidens præcordiis,
  Pavore somnos auferam.
Vos turba vicatim hinc & hinc saxis petens
  Contundet obscœnas anus.
Post insepulta membra different lupi,
  Et Esquilinæ alites.
Neque hoc parentes, heu mihi superstites,
  Effugerit spectaculum.

## INTERPRETATIO.

*atque umbra facies vestras curvis unguibus invadam* (*quæ has potestas est Deorum Manium*) *atque præcordiis inhærens minime quiescentibus, formidine eripiam*. Deinde *plebs per singulas vicos undique lapidibus vos incessens, execrabiles vetulas obruet. Denique membra vestra insepulta distrahent lupi & volucres esquilina*. *Illud* vero *spectaculum videbunt parentes* mei *heu post me viventes*.

## ANNOTATIONES.

94. *Quæ vis Deorum est Manium.*) Ut se ulciscantur de morte injusta illatâ, vim & potestatem habent animæ a corpore solutæ. Hæ scilicet *Manes*, &, *Dii*, honoris causâ, vocantur. Hinc iis aræ quoque erigebantur. Virgil. Eclog. 5. Daphnidi mortuo aræ duæ, v. 66. Æneid. 3. v. 63. Polydori animæ pariter: *stant Manibus aræ*, inquit. & v. 305. animæ Hectoris Andromache *sacraverat aras*. Et v. 303. *Manesque vocabat*. Quid proprie sint Manes, & varias ejus vocis acceptiones explicat luculenter ac diserte Apuleius lib. de Deo Socratis. *Animum humanum*, inquit, *emeritis vitæ stipendiis corpore suo abjurantem, vetere Latinâ Linguâ Lemurem dictitatum reperio. Ex hisce Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, placato & quieto numine domum possidet, Lar familiaris dicitur. Qui vero ob adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incertâ vagatione, seu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, malis vero noxium, id genus plerique Larvas perhibent. Cum vero incertum est, quæ cuique earum sortitio evenerit, utrum Lar sit an Larva, Manem Deum nuncupant*. Animadverte has voces postremas ad rem præsentem maxime facientes.

95. *Assidens præcordiis.*) Sicut Promethei jecur voltur seu aquila tundit & vellicat, lib. 2. Od. 13. in fine.

99. *Insepulta membra.*) Hoc apud antiquos gravissimum malorum æstimabatur; quod errare anima, donec sepulcro corpus esset conditum, putaretur. Vide lib. 1. Od. 28. Item Sophocl. Ajac. Act. ult.

100. *Esquilinæ alites.*) Esquiliæ, unus e Romæ collibus. Accipitres circa esquilias volitabant frequenter, quia illic erant sepulcreta; imo & servorum ac morte damnatorum abjecta cadavera: itaque prædam ibi subodorabantur & quæritabant.

101. *Neque hoc parentes, &c.*) Hocque illis qualecunque solatium.

Posteriora criminationum Scaligeri capita tam futilia sunt, ne dicam insulsa, ut illa describere etiam pigerat. Ne tamen ea desideres, Lector, en ita ille:

Indormit unctis omnium cubilibus oblivione pellicum. *Neque structura placet: & hæc hiant, disjuncta a superioribus, & verbum*, indormit, *insuave est*.

Ad me recurres: nec revocata mens tua Marsis redibit vocibus. *Si fiet amens, quomodo fastidiat poculum quod mox minatur? & omnino illa sunt durissima*, venena magnum fas nefasque, &c.

*Profecto si jam lapidibus infectata est plebs, si interempta anus, si insepulta a lupis & avibus lacerata, quid addit:* neque hoc parentes effugerit spectaculum. *Quid enim agant parentes tuae?*

*Animadverte vocem hanc*, alites, *multis in locis ab Horatio repetitam: quam adeo amavit, ut maluerit hic quàm quod potuit*, vultures, *& fugisset licentiam neglecta collisionis*. Hactenus Jul. Scalig.

1. Nec structura, nec verbum *indormit*, insuavia videntur nisi hypercritico. Quod e superioribus disjunctum est, non hiatum facit, sed impetum animi Canidiæ audaciâ & scelere furentis optime depingit, quæ res non pacate cogitat nec loquitur contexte & continenter, sed profert saltuatim.

2. Dormitabat sane bonus Scaliger, cum ista culpabat. Imo si Varus fiet amens, non nisi post & per *poculum*, quod mox ei *majus* Canidia minatur.

Porro hæc, *venena magnum fas, &c.* durissima omnino sint, vim tamen satis ad verum duritiem quæ indicant, & parum ad frangendum veneficæ improbitatis adamantem.

3. Profecto nihil agendum parentibus; sed tali fruendum spectaculo, ad mœstitiam utcunque leniendam, prædicit puer.

4. *Vultures* placeant homini carpendi & vellicandi avido: at æquum æstimatorem non offendent *Esquilinæ alites*: quin collisio, & ipsa vox, *alites*, pulchra sane, vel *decies repetita* oblectabit.



Digitized by Google

## *IN CASSIUM SEVERUM.*

# ODE V.

Quid immerentes hospites vexas, canis
  Ignavus adversum lupos?
Quin huc inanes, si potes, vertis minas,
  Et me remorsurum petis?
Nam qualis aut Molossus, aut fulvus Lacon,
  Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublatâ nives,
  Quæcumque præcedet fera.
Tu cum timenda voce complesti nemus,
  Projectum odoraris cibum.
Cave: cave: namque in malos asperrimus
  Parata tollo cornua:
Qualis Lycambæ spretus infido gener,
  Aut acer hostis Bupalo:

## INTERPRETATIO.

*Quare externos nihil mali meritos exagitas, o canis iners contra lupos? Cur non istuc vanas minas convertis, si vales; ac lacessis me par pari redditurum? Etenim velut Molossus vel Lacedamonius canis rufus, quæ est defensio grata pastoribus, per excelsas nives erectis auribus persequar quamcumque feram fugientem. Tu vero postquam formidabili latratu implevisti silvam, olfacis dapes oblatas. Cave, cave: nam ego adversus improbos acerrimus dirigo statim cornua; non secus ac gener contemptus a Lycambe perfido, vel inimicus Bupalo infensissimus.*

## ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 2.

1. *Quid immerentes, &c.*) Hac Ode volunt notari Cassium Severum, oratorem petulantissimum, accusationibus in Senatu quanquam exitu semper infelici, & conatibus vanis, famosum, item scriptis maledicis in quemlibet etiam magnatum. Nonium certe Asprenatem Augusto licet arctius junctum veneficii reum agere non dubitavit. Testes sunt Suet. Oct. cap. 56. Plin. lib. 35. cap. 12. Is ob libellos famosos in vulgus sparsos, ad Insulam Cretam primum, deinde in Seriphum est deportatus. Ejus meminit pluribus locis Corn. Tacitus, item Quintilianus. Ille sic habet in Dialogo de Oratoribus: *Cassium Severum affirmant primum flexisse ab illa vetere dicendi viâ directâ, non infirmitate ingenii, nec inscitiâ literarum, sed judicio & intellectu. Vidit namque cum conditione temporum ac diversitate aurium formam atque speciem orationis esse mutandam, &c.* & postea: *Equidem non negaverim Cassium Severum oratorem vocari, quanquam in magna parte librorum suorum plus vis habeat, quam sanguinis. Primus enim contempto ordine rerum, omissâ modestiâ & pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompositus, & studio feriendi plerumque dejectus non pugnat, sed rixatur. Caterum varietate eruditionis & lepore urbanitatis, & ipsarum virium robore multum ceteros superat.* Fab. autem Quintilianus l. 10 c. 1. *Cassius*, inquit, *Severus si cum judicio legatur, multa dabit imitatione digna. Quod si ceteris virtutibus colorem & gravitatem orationis adjecisset, ponendus inter præcipuos foret. Nam & ingenii plurimum est in eo, & acerbitas mira, & urbanitas, & vis summa: sed plus stomacho quam consilio dedit: præterea ut amari sales, ita frequenter amaritudo ipsa ridicula est.* Ejus scripta ex Senatusconsulto abolita sunt, teste Suetonio.

*Canis ignavus adversum lupos.*) Acer in ignavos, ignavus in fortes: quod argumentum socordiæ est.

3. *Quin huc inanes, &c.*) Quin me lacessis meique similes acriter remorsuros te mordentem, vel potius allatrantem?

5. *Molossus.*) Canis ingens & validus, Gallice, *dogue*. Ex Epiro, ubi populi fuere quondam Molossi. Strabo lib. 7.

*Fulvus Lacon.*) Canis agilitate commendatus simul & robore Gall. *levrier*: e Laconia Peloponnesi regione, seu ex urbe Spartâ. Vir. Georg. 3. v. 405.

*Veloces Spartæ catulos, acremque Molossum.*

6. *Amica vis pastoribus.*) Ad arcendos a grege lupos, aliasque feras. Theocrit. κύων φιλοποίμνιος. *canis ovium amans.*

7. *Agam per altas.*) Expeditus ego sum ad insectandos quoscunque mihi injuriam facientes. Pergit scilicet noster in metaphora.

9. *Tu cum timenda, &c.*) Tu vero cum ingenti latratu maxime terribilis visus fuisti: repente mitis & imbellis appares, objecto pretio sedatus: quemadmodum canis iners antea horrendum latrans, projectum cibum arripiens, mutus subito fit.

12. *Tollo cornua.*) Vires exero, animos & bilem accendo, graviterque ulciscor.

13. *Qualis Lycambæ, &c.*) Sicut Poeta Archilochus fecit in Lycamben. Hic enim Neobulem filiam antea desponsam fractâ fide illi negavit uxorem, generumque habere sprevit. At Archilochus Iambicos versus a se inventos tam acerbos & amarulentos scripsit in Lycamben, ut eum ad desperationem, tandemque ad suspendium adegisse referatur. Vide Epistolam ad Pisones, v. 79.

14. *Acer hostis Bupalo.*) Hipponax Poeta circa Olympiadem sexagesimam florebat, quinque cir-

An si quis atro dente me petiverit,
Inultus ut flebo puer?

INTERPRETATIO.

*Quod si me quisquam dente nigro laceravit, numquid plorabo velut puer imbellis?*

ANNOTATIONES.

circiter ante Christum seculis. Staturâ parvus, vultu pravus ac deformis. Contigit ut offensi duo fratres Bupalus & Anthermus, sive pictores, sive sculptores, ejus imaginem omnino ridiculam effinxerint, populique ludibrio exposuerint; verum non impune. *Hipponacti notabilis fœditas vultus erat. Quamobrem imaginem ejus lasciviâ jocorum ridentium circulis in promptu fecere (alii, proposuere) quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum distrinxit in tantum, ut credatur aliquibus eos ad laqueum compulisse. Quod falsum est: Complura enim in finitimis insulis simulacra postea fecere.* Hæc Plin. lib. 36. cap. 5. Alii scribunt Ephesio orbe duntaxat cedere coactos præ pudore & irâ, propter acerbitatem versuum Hipponactis. Ex Dionys. Halic. Hipponax trimetrum Archilochium in Scazontem inflexit, ut gravius feriret. Cic. 3. de nat. Deorum, n. 90. *quem Hipponactis Iambus laserat, aut qui erat Archilochi versu vulneratus, &c.*

15. *An si quis atro dente, &c.*) Si vero me quisquam impetat convitiis, an ad lacrymas, pueri more, confugiam? imo ut vir ad arma & ultionem convolabo; persequar adversarium usquequaque, donec graviores acceptis plagas infligam.

---

## *AD POPULUM ROMANUM.*

# ODE VII.

*Detestatio bellorum civilium.*

Quo quo scelesti ruitis? Aut cur dexteris
Aptantur enses conditi?
Parumne campis atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non ut superbas invidæ Carthaginis
Romanus arces ureret:
Intactus aut Britannus ut descenderet
Sacrâ catenatus viâ:

INTERPRETATIO.

*Quo quo scelerati properatis? vel cur inclusi vaginâ gladii dextris inseruntur? An non satis Latini sanguinis effusum est terrâ marique? Non quidem ut Romani incenderent excelsa castella æmula Carthaginis, vel ut Britanni hactenus indomiti per viam sacram vincti traherentur:*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Quo quo, &c.*) Ambigitur quod civile bellum hic Poeta execretur: an illud quod gestum est hinc Bruto & Cassio, illinc Augusto M. Antonio & M. Lepido ducibus? An bellum Actiacum, cujus finem & exitum Augusto felicem celebrabit Epod. 9.? An potius illud quod post cladem Philippensem Sext. Pompeius reparabat? Vide lib. 1. Od. 14. lib. 2. Od. 7. lib. 3. Od. 4. & 6. Denique Epod. 16. ibique annot.

*Scelesti.*) In cives & patriam injuriosi & sævientes.

2. *Enses conditi.*) Pax enim facta fuerat, aliquanto post dimicationem Philippensem, Pompeianos inter & Augustum atque Antonium.

3. *Campis atque Neptuno super.*) In *campis* Philippensibus, & in mari Siculo. De hoc Epod. 4. de illis lib. 2. Od. 7. *Neptunus* maris Deus, pro ipso mari.

5. *Non ut superbas, &c.*) Enimvero tantum sanguinis Romani nuper fusum non est pro defensione patriæ vel ultione, ut olim quando Scipione duce deleta & incensa Carthago est. Tunc certe gloriose pugnatum est: at certarunt nuper cives in seipsos impie, ut & nunc armantur.

*Invidæ Carthaginis.*) Carthago Romæ æmula quamdiu stetit, fuit. Vide lib. 3. Od. 5. Vell. Patercul. lib. 1. & 2.

7. *Intactus aut Britannus.*) Neque tunc fusus est Latinus sanguis, ut Britanni nondum subacti Romano Imperio, vincerentur, atque in triompho ducerentur ex more ad Capitolium per viam sacram. Vide Sueton. Octav. cap. 25. Dion. lib. 40. init. Cæsaris Comment. l. 5. Item annot. l. 3. Od. 5. lib. 4. Od. 14.

*Descenderet.*) Declivis nempe ad forum usque Romanum erat *via sacra*: de qua Epod. 4. v. 7. at a foro Rom. ad Capitolium postea ascendebatur.



Digitized by Google

Sed ut, secundum vota Parthorum, suâ
Urbs hæc periret dexterâ.
Neque hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam nisi in dispar feris.
Furorne cæcus, an rapit vis acrior?
An culpa? Responsum date.
Tacent, & ora pallor albus inficit,
Mentesque perculsæ stupent.
Sic est. Acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternæ necis;
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

INTERPRETATIO.

*Sed ut juxta Parthorum optata, destrueretur hæc civitas per vires proprias.* Atqui *nec lupis hæc consuetudo, nec leonibus unquam fuit sævire nisi contra dissimile* animal. *An cæca rabies agit vos, an vis superior, an crimen* aliquod? *Respondete. Silent, atque pallidus color vultum tingit; animique attoniti obstupescunt. Ita est. Romanos exagitat sors inimica, & crimen cædis fraternæ; ex quo effusus est humi sanguis Remi innocentis posteris luendus.*

ANNOTATIONES.

9. *Sed ut, secundum vota Parthorum, &c.*) Hoc scilicet habebant in votis hostes Romanorum, ut quod Imperium alienis non poterat, propriis viribus interiret. Epod. 16. init.

*Suis & ipsa Roma viribus ruit,*
*Quam nec finitimi valuerunt perdere Marsi, &c.*

de Parthis Romæ semper infestis, lib. 1. Od. 12. & 19. lib. 3. Od. 5.

11. *Neque hic lupis mos, &c.*) Feræ non sæviunt in sui similes; quare ergo homo est homini lupus? ut habet adagium. Plin. Proœm. l. 7. *cetera animantia in suo genere probe degunt. Congregari videmus & stare contra dissimilia: Leonum feritas inter se non dimicat. Serpentum morsus non petit serpentes. Nec maris quidem belluæ nisi in diversa genera sæviunt. At hercule homini plurima ex homine sunt mala.* Senec. Ep. 104. *ab homine homini quotidianum periculum. Adversus hoc te expedi, &c.* Et de Clement. lib. 1. cap. 26. *Apud homines tantum nec a necessariis quidem rabies temperat sibi.* Sanctus Augustinus de Civ. Dei lib. 15. *neque enim unquam inter se leones, aut inter se dracones, qualia inter se homines bella gesserunt.* Juvenal. Sat. 15. v. 159.

*Sed jam serpentum major concordia: parcit*
*Cognatis maculis similis fera. Quando leoni*
*Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam*
*Exspiravit aper majoris dentibus apri?*
*Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem*
*Perpetuam. Sævis inter se convenit ursis.*
*Ast homini ferrum lethale incude nefandâ*
*Produxisse parum est.*

12. *In dispar feris.*) Al. *in dispar genus.*

13. *Furorne cæcus, &c.*) Quid vos rapit ad bellum tam tetrum? An furor; an fatalis quædam necessitas; an culpa, propter quam Dii infensi vestris vos manibus plectant? Cicero pro M. Marcello: *omnes qui ad arma illa fato sumus acciti quo Respublica misero funestoque compulsi; etsi aliquâ culpâ tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus.*

15. *Tacent, & ora pallor, &c.*) *Silentium & pallor* arguunt sceleris conscientiam; *stupor* vero notat immissam a Diis offensis pœnam.

17. *Sic est, &c.*) Irâ sane Deorum fit ut Romani in Romanos incurrant sæviantque. Nimirum luimus crimen Romuli, qui Remum fratrem occidit. Od. 6. lib. 3.

*Delicta majorum immeritus lues,*
*Romane, &c.*

19. *Remi sacer cruor.*) Jus naturale violarat Romulus, dominandi causâ, fratrem innoxium & immerentem trucidans. Hinc illius Romanorum parentis & conditoris scelus in nepotes asperrum identidem immissis malis vindicatur. De nefanda illâ Remi cæde varie scribunt. Flor. l. 1. cap. 1. *Ad tutelam novæ urbis sufficere vallum videbatur, cujus dum irridet angustias Remus, idque increpat saltu; dubium an jussu fratris occisus est. Prima certe victima fuit: munitionemque urbis novæ suo sanguine consecravit.* Tit. Liv. lib. 1. cap. 7. Romulus ac Remus certatim nomen & auspicia daturi novæ urbi, auguria captant. *Intervenit avitum malum, regni cupido, atque inde fœdum certamen coortum a satis miti principio; quoniam gemini essent, nec ætatis verecundia discrimen facere posset: ut Dii, quorum tutelæ ea loca essent, auguriis legerent qui nomen novæ urbi daret, conditam imperio regeret; palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt. Priori Remo augurium venisse fertur sex vultures: jamque nunciato augurio, cum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque Regem sua multitudo consalutaverat, tempore illi præcepto. At hi numero avium regnum trahebant. Inde cum altercatione congressi, certamine irarum ad cædem vertuntur. Ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros: inde ab irato Romulo interfectum, ita solus potitus imperio Romulus, &c.* Vide & Aurel. Victorem, Plutarch. in Romulo, Oros. lib. 2. S. August. l. 3. de Civ. Dei, cap. 6. Ovid. Fast. 4.

IN

## *IN VETULAM.*

## ODE VIII.

Rogare longo putidam te seculo,
Vires quid enervet meas?
Cum sit tibi dens ater, & rugis vetus
Frontem senectus exaret;
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *
* * * * * * *
Esto beata: funus atque imagines
Ducant triumphales tuum:
Nec sit marita, quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.
Quid, quod libelli Stoici inter sericos
Jacere pulvillos amant?
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *

### INTERPRETATIO.

*Te diuturno ævo putrem decetne quærere quid exhauriat vires meas? Siquidem nigri sunt tibi dentes & frons sulcata rugis senil.*
. . . . . . . . . .
. . . . . . . . .
. . . . . . . . . .
. . . . . . . . .
. . . . . . . . . .
. . . . . . . . .

. . . . . . . . . .
*Sis opulenta: & imagines triumphales decorent exequias tuas: nullaque sit matrona, quæ incedat ornata rotundioribus margaritis:* tu tamen mihi sordescis. *Atqui volumina Stoicorum* apud te *solent reponi in sericis pulvinaribus*. Neque hoc te amabilem mihi præstet. . . .
. . . . . . . . . .
. . . . . . . . .

### ANNOTATIONES.

1. *Rogare, &c.*) Ellipsis & Aposiopesis indignationi serviens. *Putidam* te non pudet, &c. Matrum simile Epod. 5.

11. *Funus atque imagines, &c.*) In funera nobilium præferrebantur imagines majorum qui triumphalem honorem adepti fuerent. Cic. 2. de Orat. & pro Milone. Pl. l. 35. c. 2. Lips. Elect. 1. c. 29.

13. *Rotundioribus.*) Rotunditas uniones commendat. Plin. l. 9. c. 35. *margaritarum dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere.* Erant tamen etiam oblongæ in pretio margaritæ, dicebanturque elenchi, & auribus appendebantur. Juvenal. Sat. 6. v. 458.

*Auribus extensis magnos commisit elenchos.*

Sat. 2. v. 62. *cylindros* vocat.

*Tu nube, atque tace. Donant arcana cylindros.*

14. *Onusta.*) Plin. mox ait. *uniones digitis suspendere, & binos ac ternos auribus feminarum gloria est.* Petron. *tribaccam margaritam* appellat Senece de Benef. l. 7. c. 9. *Video uniones non singulos singulis auribus comparatos. Jam enim exercitatæ mulierum aures ferendo sunt. Junguntur inter se & insuper alii bini superimponuntur. Nec satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.*

*Baccis:*) Baccæ propriè sunt fructus lauri, oleæ, &c. ob similitudinem vero pro unionibus ponuntur. Pers. Sat. 2. v. 66. ambitio & mollities, inquit, docuit *baccam conchæ rasisse.*

15. *Quid, quod libelli Stoici, &c.*) At dices te esse imbutam literis & philosophiâ Stoicorum. Scilicet hoc lenocinio, hac illecebrâ ceptas me studiosum: verum nihil proficis: inquit Horatius. De Stoicorum placitis agem ad Sat. 3. l. 1. & 2. &c.

*Inter pulvillos.*) Super pulvinos scilicet lectuli tricliniaris, accubitorii, lucubratorii; in quo veteres lectioni & scriptioni vacabant. Pers. Sat. 1. v. 53.

*Quicquid denique lectis scribitur in citreis.*

Cætera hujus Odes absit ut explanare aggrediar, neque alia multis locis similia. Quintiliano morem geram libens lib. 1. c. 8. sic scribenti: *Horatium in quibusdam nolim interpretari.* Pudor nempe vetat. Quin & Scaliger Hypercrit. ita censet: Epod. 8. & 12. *nebulonis & nequam esse opertuit, non Horatii.*

Digitized by Google

## AD MŒCENATEM.

# ODE IX.

*Præsentis voluptatem mox futuram ex Augusti ad Actium victoriâ.*

Quando repostum Cæcubum ad festas dapes,
Victore lætus Cæsare,
Tecum sub alta ( sic Jovi gratum ) domo,
Beate Mœcenas, bibam,
Sonante mistum tibiis carmen lyrâ,
Hac Dorium, illis Barbarum?
Ut nuper, actus cum freto Neptunius
Dux fugit ustis navibus,

### INTERPRETATIO.

E*equando* vinum *Cæcubum ad solemnes epulas reservatum, lætus ego ob victoriam Augusti, potabo tecum, o felix Mæcenas, in ædibus magnificis, canente cum fistulis citharâ, hac Dorium modum, illis Phrygium?* Sane *ita placet Jovi. Haud ita pridem sic fecimus, quando Neptunius Imperator freto* Siculo *pulsus fugam arripuit, post incensas naves:*

### ANNOTATIONES.

Metrum simile Epod. s.

1. *Quando repostum, &c.*) Vel ex ista ode liquet, nec libros nec Odas Horatii eo dispositas ordine quo factæ sunt: siquidem hic lætitia expromitur de future mox victoriâ Actiacâ, quæ jam consummata celebratur in Od. 37. lib. 1. Hic, inquam, Poeta scribens ad Mœcenatem inter bellicos tumultos ad Actium adhuc versantem, gaudium suum exprimit ex primo nuntio fugæ Antonii & Cleopatræ.

*Cæcubum.*) Vinum optimum, de quo plura lib. 1. Od. 20. v. 9.

*Ad festas dapes.*) In sacris & festis, in honorem Deorum instruebantur epulæ opiparæ, & ponebantur vina melioris notæ.

2. *Victore Cæsare.*) Xiphilinus In Augusto; *Cæsar superior fuit eo prælio navali, ad quartum Nonas Septembris confecto: quem diem propterea notavi, quod eo penes unum Cæsarem summa rerum fuit, ut ex eo anni principatus ejus numerentur. Cæsar urbem ædificavit eo loco, in quo sibi victoriam pepererat, eamque Nicopolim appellavit, &c.* Ibidem quoque ludos Quinquennales instituit, & Apollini templum dedicavit, ut tam insignis in Epiro victoriæ dignum Augusto monumentum permaneret. Vide Epod. 1. init. & totam Oden 37. lib. 1. ibique annot.

3. *Sub alta domo.*) Altis columnis ex marmore adornata. Lib. 3. Od. 29.

*Molem propinquam nubibus arduis.*

*Sic Jovi gratum.*) Jovi Diisque fore gratum eit gaudium ob victorem Augustum, quippe cui ex voluntate Numinum orbis Imperium destinatum erat. quod quidem asserit l. 1. Od. 2. & alibi.

6. *Hac Dorium, illis Barbarum.*) Lyrâ sonante Dorium carmen seu modum; tibiis vero canentibus barbarum sive Phrygium. Tres erant vulgares modi, Ionius sive Lydius, in *Ut*; Dorius, in *Re*; Phrygius, in *Mi*, de quibus fuse Glareanus in hunc locum. Primus acutus rebus lætis serviebat; secundus gravis & sedatus, rebus seriis; tertius medius, rebus sacris. Vide Athen. lib. 14. c. 5. Item Cœl. Rhodig. lib. 9. c. 3. ubi ex Cassiodoro sic scribit: *Dorius prudentiæ largitor est & castitatis effector: Phrygius pugnas excitat, votum furoris inflammat: Æolius animi tempestates tranquillat, somnumque jam placatis attribuit: Lydius intellectum obtusis acuit; & terreno desiderio gravatis cælestium appetentiam inducit, bonorum operator eximius.* Hinc apparet cur pueros Doricam in primis harmoniam edocendos moneat Aristoteles Polit. 8.

*Barbarum.*) Asiatici omnes a Græcis vocabantur barbari: hinc barbarum dicitur quicquid est a Phrygia Asiæ regione. Lib. 2. Od. 4. v. 9.

*Barbara postquam cecidere turmæ.*

*Barbaricum aurum*, Æn. 2. v. 504. & *barbara crurum tegmina*, Æn. 11. v. 777. quæ Phrygiâ erant acu picta & elaborata. Athen. cit. l. 14. c. 5. *tres sunt harmoniarum differentiæ, quot & Græciæ nationes:* Æolica nempe, Dorica, Ionica. *Phrygiam autem, ac Lydiam Græci didicerunt a Lydis ac Phrygibus, qui cum Pelope venerunt in Peloponnesum.*

7. *Ut nuper.*) Sicut liberaliter quidem bibimus nuper, seu ante annos quinque, cum Sextus Pompeius navali prælio debellatus ab Augusto est, ad fretum Siculum; indeque pulsus fugit.

*Neptunius dux.*) *Sextus Pompeius ruptis ergastulis mare obsedit: interceptis commeatibus Italiam vexavit: & cum mari feliciter uteretur, Neptuni se filium confessus est.* Aurel. Victor. de Viris illustrib. c. 7. Alii scribunt, quod ejus patrem magnus Pompeius exactis piratis & hostibus mari dominatus esset, hinc se Neptuni filium dixisse, & cæruleâ veste inductum juveniliter superbiendo depugnasse. Appian. Bell. Civil. l. 5. Dio l. 48.

8. *Fugit.*) Aurel. Victor. cit. *Sextus ab Augusto per Agrippam navali prælio victus in Asiam fugit, ubi ab Antonianis militibus occisus est.* Florus lib. 4. cap. 8. Sect. Pompeius *perditis rebus profugit; Asiamque velis petit, venturus ibi* in

Digitized by Google

Minatus urbi vincla, quæ detraxerat
Servis amicus perfidis.
Romanus (cheu' posteri negabitis)
Emancipatus fœminæ
Fert vallum & arma miles, & spadonibus
Servire rugosis potest.
Interque signa (turpe!) militaria
Sol aspicit conopeum.
Ad hunc frementes verterunt bis mille equos
Galli, canentes Cæsarem:
Hostiliumque navium portu latent

INTERPRETATIO.

*minatus civibus injicere catenas, quas liberaliter detraxerat servis infidelibus. Romanus (eheu nepotes haud credetis) mulieris factus mancipium, miles portat palum atque arma, nec erubescit servire eunuchis rugosis. Interque vexilla bellica* (proh *fœdum* rem!) *Sol videt conopeum. Adversus istum Galli indignantes, Augustum inclamando, converterunt duo millia equorum: &*

ANNOTATIONES.

*in hostium manus & catenas . . . Non alia post Xerxem miserabilior fuga. Quippe modo trecentarum quinquaginta navium dominus, cum sex septemve fugiebat, extincto Prætoria navis lumine, annulis in mare abjectis, pavens ac respectans, & tamen non timens ne periret.*

Usis navibus.) M. Agrippæ opera scilicet, a quo fugatas Sexti Pompeii naves, scribit Suetonius Octav. c. 16. Tit. Liv. Epit. l. 129. *Adversus Sext. Pompeium*, inquit, *vario eventu navalibus certaminibus pugnatum est: ita ut ex duabus Cæsaris classibus, altera, cui Agrippa præerat, vinceret; altera, quam Cæsar duxerat, deleta ... victus deinde Pompeius in Siciliam profugit.* (Hæc prior fuga; postrema illa, de qua paulo ante dixi ex Floro) *M. Agrippa navali coronâ a Cæsare donatus est: qui honos ante eum nemini habitus erat.*

9. *Minatus urbi vincla qua detraxerat, &c.*) Servos ad arma Pompeius ille Sextus magno quidem numero vocarat. Testis Dio, & L. Flor. cit. *cum ergastula armasset, Siciliam Sardiniamque habebat. Jam & classe medium mare insederat. O quam diversus a patre! Ille Cilicas extinxerat: hic secum piratas navales agitabat.* Vide & annot. ad Epod. 4. In fine.

10. *Servis amicus perfidis.*) Fugitivis nempe & erga dominos perfidis libertatem & arma dabat, benigne excipiens & amica, in quos animadverti graviter oportebat.

11. *Romanus.*) Antonius ejusque asseclæ Romanorum permulti.

12. *Fœminæ.*) Cleopatræ, de qua l. 1. Od. 37.

13. *Fert vallum, &c.*) Virgil. Georg. 2. v. 25. *Quadrifidasque sudes & acuto robore vallos.* Ubi Servius monet, bis idem dictum: nam & valli & sudes idem sunt: Gall. *des pieux*. Vegetius lib. 3. c. 8. ita rem explicat; *super aggerem valli, hoc est, sudes vel tribuli lignei digeruntur*, nimirum ad munienda castra. Porro Romanus quisque miles debebat ferre secum duodecim sudes, arma, viaticum, ollam, veru, securim, ligonem, falcem, &c.

*Spadonibus servire.*) Cleopatram illi comitabantur, adeoque imperabant Romanis militantibus sub ejus vel Antonii signis: quod ais turpe & indignum. Vide l. 1. Od. 37. v. 9. *Spado a σπᾶν evellere*, dictus. *Rugosis*, quia plurimæ illis rugæ, ob virilitatis adeoque caloris amissionem.

16. *Conopeum.*) Licenter corripitur penultima hujus vocis ex se longa; *κωνωπεῖον*, tentorii genus quo utebantur Ægyptiæ mulieres ad arcendos culicas, qui *κώνωπες* nuncupantur à Græcis. Hi sunt enim illic frequentes ob maris viciniam. Horatius indignitatem auget ex eo quod muliebre tabernaculum erat pro Prætorio seu Imperatorio tentorio.

17. *Ad hunc frementes, &c.*) Adversus Antonium arma verterunt Galli, qui in ejus exercitu merebant, scilicet indignati quod servire juberentur feminæ, & effeminatis, *spadonibus rugosis*.

*Verterunt bis mille equos.*) Scaliger suo more, *illa*, inquit, *ferre nequeo: nam & inanavia sunt, nec conveniunt pugnæ navali.* Imo Gallorum fremitum & morum asperitatem belle exprimunt. Deinde an Hypercriticus nesciebat, præter navales copias, ad litus admissa terrestres peditum equitumque? Itaque ab exercitu illo terrestri Antonii ad Cæsarianum transiisse illa duo millia equitum Gallorum, qui victoriam Cæsaris promoverunt: ut testatur Servius ad Æneid. 6. & Plutarchus in Antonio: *Terrestribus copiis ab Antonio Canidius præerat: a Cæsare Taurus: qui utrinque instructâ acie in litore quiescebant, eventum navalis pugnæ exspectantes.*

18. *Canentes Cæsarem.*) Nos vernacule diceremus: *crians, Vive Cesar.*

19. *Hostiliumque navium portu latent puppes.*) Continuo excandescens Julius Scaliger, *si latent puppes, proræ non latent*, inquit. Egregia admodum: nam paratis ad fugam navibus latebant puppes duntaxat, apparebant autem proræ mari obversæ. Ergo male redarguitur iste locus. Horatius notat sexaginta naves Cleopatræ post classem Antonii collocatas, sublatis velis expeditas ad fugam primo quoque tempore capessendam, & vela facienda in Ægyptum. Plutarch. mox citand.

Puppes sinistrorsum sitæ.
Io triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactas boves.
Io triumphe, nec Jugurthino parem
Bello reportasti ducem;
Neque Africano, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terrâ marique victus hostis, Punico
Lugubre mutavit sagum.
Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis,
Exercitatas aut petit Syrtes Noto,
Aut fertur incerto mari.

## INTERPRETATIO.

*naves hostium ad sinistram dispositæ in portu delitescunt. Io triumphe, tu retardas auratos currus & juvencas integras. Io triumphe, non revexisti Imperatorem similem seu in bello Jugurthino, seu in Africano eum cui sua virtus tumulum erexit super Carthaginem. Hostis superatus in terra & mari sagulum purpureum mutavit lugubri. Nunc ille vel in Cretam centenis urbibus claram fugit adversis ventis; vel ad Syrtes Austro vexatas: vel errat anceps per maria.*

## ANNOTATIONES.

*Sinistrorsum sitæ.*) Valeant qui legunt *cita*. Hostiles naves e portu Actiaco prodeuntes ad sinistram habebant Peloponnesum, quo fugerunt, & inde Alexandriam. Plutarch. in Antonio: *naves sexaginta Cleopatræ, quæ post magnas naves erant sitæ, velis sublatis per medios pugnantes fugam arripiunt, suosque perturbant. Cæsariani non sine admiratione spectant fugientes naves in Peloponnesum conversas: nec qua de causa id fieret intelligebant.* Additque Antonium non viri aut ducis consiliis usum, sed amantis; tractum scilicet a muliere, & posthabitis omnibus Cleopatram insecutum.

21. *Io.*) Vox lætitiæ index, qua triumphanti duci milites acclamabant.

*Triumphe.*) Triumphum alloquitur & compellat veluti Deum. Sic lib. 4. Od. 2.

*Teque dum procedis io triumphe.*

*Aureos currus.*) Triumphales Augusto debitos. Horum formam describit Zonaras his verbis. τὸ τοί δὲ ἅρμα οὔτε ἀγωνιστηρίῳ, οὔτε πολεμιστηρίῳ τι ἐμφερές, ἀλλ᾽ εἰς πύργου περιφερῆ τρόπον ἐξείργαστο: *Currus autem triumphalis scilicet, neque Circensi neque bellico similis, sed in turris rotundæ modum factus erat.*

22. *Intactas boves.*) Triumphantium quisque immolabat juvencas *intactas*, id est, vel tauro vel jugo nondum subditas. Virg. Georg. 4. v. 540.

*Delige & intactâ totidem cervice juvencas.*

23. *Nec Jugurthino parem.*) Non parem, sed longe Augusto inferiorem Marium Jugurthæ victorem. Vide l. 2. Od. 1. stroph. 7. ibique annot. ad vocem *Jugurthæ*.

25. *Neque Africano.*) Nec Cæsari parem Scipionem, quanquam diruit hic Carthaginem Imperii æmulam; ita ut ejus urbis ruinæ sint illustre veluti mausolæum P. Cornel. Scipioni, ob ejus virtutes plane singulares, quæ in Africano bello & triumpho eluxerunt.

26. *Sepulcrum.*) Vetus Interpres hic sic annotat, *tangit historiam, in qua scriptum est, ex Oraculo, ad compescendos Afros debere sepulcrum Scipioni Africano ita constitui, ut Africam intueretur. Hoc autem Deorum monitu positum est inter Ostiam & portum.* At contra Plutarchus scribit sepulcrum Scipionis Literni exstare. Mancinello teste apud Caietam in marmoreo sepulcro æneaque urna hæc leguntur:

*Devicto Annibale, & captâ Carthagine, & aucto*
*Imperio, hos cineres marmore tectus habes:*
*Cui non Europe, non obstitit Africa quondam.*
*Respice res hominum, quam brevis urna premit.*

27. *Terrâ marique victus hostis.*) Antonius; post cujus fugam in Ægyptum, terrestris ejus exercitus duce Canidio ad Augusti partes transiit.

*Punico lugubre mutavit sagum.*) In signum mœroris, exuit sagum punicei, coccinei, purpurei, rubei coloris; induitque aliud pullum, atrum, lugubre. *Phœniceus seu puniceus color exuberantiam splendoremque significat ruboris:* inquit Gellius lib. 2. cap. 26. *Sagum*, vestis erat in bello usitata, brevior, subnexa per fibulam circa dextrum humerum. Alii volunt sagum habuisse manicas instar tunicæ. Gall. *hoqueton*. Erat porro coloris rubei, tum quod is Marti conveniet; tum ut cruor e vulneribus manans ob similem colorem minus appareret, minusque terreret.

29. *Aut ille, &c.*) Quo tenderet Antonii classis, ignorabatur: sciebatur tamen versus Peloponnesum navigasse; ut ante diximus ex Plutarcho. Postea vero cognitum est Cretæ oram legisse, ut in Ægyptum pergeret.

*Cretam.* De ea insulâ lib. 3. Od. 27. stroph. 9.

30. *Ventis non suis.*) Sibi non propitiis.

31. *Noto.*) Vento meridionali.

*Syrtes.*) In Libyco mari sunt eæ, vulgo, *Seiches de Barbarie*, e σύρω, *traho*: quod in eas maris partes arenæ cumulos, limum, & saxa ege-

Capaciores affer huc, puer, scyphos,
Et Chia vina aut Lesbia;
Vel, quod fluentem nauseam coerceat,
Metire nobis Cæcubum.
Curam metumque Cæsaris rerum juvat
Dulci Lyæo solvere.

INTERPRETATIO.

*Famule, huc affer cyathos majores, & vina Chia, vel Lesbia: quin potius infunde nobis Cæcubum, quod reprimat nauseam fluitantem.* Certe decet *abstergere sollicitudinem ac formidinem pro rebus Augusti*, bibendo *suave vinum*.

ANNOTATIONES.

gerant & trahant fluctus. Vide l. 2. Od. 6. v. 3.

32. *Fertur incerto mari.*) Quo fugiat incertus, rebus desperatis.

33. *Capaciores affer, &c.*) In festis, & in magna lætitiâ, Græco more, majoribus poculis & largiter bibebatur.

34. *Chia vina aut Lesbia.*) Transmarina vina, ideoque pretiosa: e Chio & Lesbo insulis maris Ægæi. Plin. lib. 14. c. 7. & 14. De Chii vini bonitate lib. 3. Od. 19. v. 5. De Lesbio, lib. 1. Od. 17. stroph. 6.

36. *Cæcubum.*) Vinum generosum e Cæcubo Latii monte: de illo lib. 1. Od. 20. habet virtutem coercendi nauseam, inquiunt; quod austerum sit & pungens, adeoque fluxum sistat aut restringat phlegmatis. Porro ejusmodi vinum petit Horatius, ut possit affatim bibere absque nausea & vomito.

37. *Curam metumque Cæsaris.*) Magno se fuisse in metu pro Cæsare indicat; & quidem Romæ tunc fuisse trepidationem non parvam refert Dio: at hoste in fugam verso, jam lætus, vino se discussurum ait quicquid pavoris & curæ animo diu insedit.

38. *Lyæo.*) Ita dicitur Bacchus, ac proinde vinum, a λύειν *solvere*, ut jam notavi l. 1. Od. 7.

## *IN MÆVIUM POETAM.*

## ODE X.

*Ei naufragium imprecatur.*

Malâ soluta navis exit alite,
Ferens olentem Mævium.
Ut horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento fluctibus.
Niger rudentes Eurus, inverso mari,

INTERPRETATIO.

*Navis abit soluta portu infelici auspicio, vehens fœtentem Mævium. Auster fac ut terris fluctibus verses utrumque latus* navis. *Eurus ater mari,*

ANNOTATIONES.

Metrum idem quod Epod. 1.

1. *Malâ soluta, &c.*) Amico Virgilio & bono Poetæ faustam navigationem est apprecatus Od. 3. lib. 1. at Mævio contraria omnia hic.

*Mala alite.*) Sunt qui *alitem* feminino genere poni velint pro malo semper augurio. Lactant. in Papin. Thebaid. 3.

2. *Olentem Mævium.*) Is obsoletarum vocum sectator, bonorumque Poetarum insectator, duobus istis vitiis duntaxat famosus Poeta, Virgilii atque Horatii temporibus: tam invisus bonis quam invidus. Virgil. Ecloga 3.

*Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi.*
*Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.*

Auctor l. de caus. corrupt. eloqu. ita præcipit: *Quædam arcentur ut jam obliterata & olentia*, id est, nimiam vetustatem ac veluti situm redolentia.

4. *Auster memento, &c.*) Austrum a meridie flantem & in Ionio mari valde sævientem primum invocat adversus Mævium navigantem: deinde Eurum ab Oriente: tum Boream seu *Aquilonem* a Septentrione; ut colluctantes mare subvertant, Mæviumque fluctibus obruant. Virg. Æn. 1.

*Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis Africus.*

Digitized by Google

Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo, quantus altis montibus
Frangit trementes ilices.
Nec sidus atrâ nocte amicum appareat,
Qua tristis Orion cadit.
Quietiore nec feratur æquore,
Quàm Graia victorum manus,
Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.
O quantus instat navitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus,
Et illa non virilis ejulatio,
Preces & aversum ad Jovem;
Ionius udo cum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!
Opima quòd si præda curvo litore
Porrecta mergos juveris,
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna tempestatibus.

## INTERPRETATIO.

*perturbato dispergat funes* & *remos disruptos. Exsurgat Aquilo tam vehemens, quam cum frangit ilices in excelsis montibus concussas. Nec propitium* ullum *affulgeat astrum nocte obscurâ, qua* parte *Orion occidit. Nec tranquilliore mari naviget, quam exercitus Græcorum victor, quando Minerva ab incensa Trojâ iram convertit in sceleratam Ajacis navim. O quantus sudor imminet tuis nautis; tibi vero pallor flavus, atque ejulatio viro indigna,* & *vota ad Jovem surdum; cum murmurans Ionium mare fregerit navim Austro humido! Quod si tu in curvo litore jacens pascas mergos, opimum spolium,* a me *procellis sacrificabitur lascivus hircus,* & nigra *ovicula*.

## ANNOTATIONES.

10. *Orion*.) De hujus sideris occasu tempestuoso & navigantibus tristi, l. 1. Od. 28. vers. 21. l. 2. Od. 13. in fine. l. 3. Od. 4. sub finem, &c.

12. *Graia victorum manus*.) Ad Caphareum Eubœæ promontorium disjecta tota classis Græcorum tempestatibus tantum non periit, cum reverterentur post expugnatam Trojam.

13. *Cum Pallas usto vertit iram ab Ilio*.) Offensa primum illa fuerat judicio Paridis, adeoque Trojanis infesta: deinde Græcis etiam; tum quod Ulysses & Diomedes e suo templo Palladium rapuissent: tum, ut canit Virgilius,

*Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei.*

14. *Impiam Ajacis ratem*.) Impius certe Ajax Oileus & sacrilegus, qui Cassandram ad ipsas Palladis aras violarat. Unde navis ejus diffracta; ipse vero mox in saxum enatans fulmine pariter attritus.

18. *Aversum ad Jovem*.) Preces & vota minime audientem, scilicet improbo iratum.

19. *Ionius*.) Ionium mare inter Epirum et Peloponnesum ab ortu, & magnam Græciam Siciliamque ab occasu porrigitur.

21. *Opima quòd si præda*.) Quòd si tuum cadaver in litore pascat aves marinas, sacra spondeo tempestatibus.

23. *Caper*.) Quia Mævius petulans & olens ut caper.

24. *Agna*.) Virgil. Æneid. 3. *nigram hyemi pecudem*. Æneid. 5. *tempestatibus agnam*.

*Tempestatibus*.) His quoque templum erat Romæ dedicatum olim a Scipione. Ovid. Fast. 6.

*Te quoque, tempestas, meritam delubra fatemur,*

Cic. de Nat. Deor. 3. num. 51. censuit in Deorum numerum referendas esse tempestates, *quæ populi Rom. ritibus consecrata sunt &c. nostri quidem duces mare ingredientes immolare hostias fluctibus consueverunt.*

AD

Digitized by Google

## AD PETTIUM.
# ODE XI.

*Amore se Lycisci occupatum non posse versibus condendis vacare.*

Petti, nihil me, sicut antea, juvat
Scribere versiculos,
Amore perculsum gravi:
Amore, qui me præter omnes, expetit
Mollibus in pueris
Aut in puellis urere.
Hic tertius December, ex quo destiti
Inachiâ furere,
Silvis honorem decutit.
Heu me, per urbem (nam pudet anni mali:)
Fabula quanta fui!
Conviviorum & pœnitet,
In queis amantem & languor & silentium
Arguit, & latere
Petitus imo spiritus.
Contraque lucrum nil valere candidum
Pauperis ingenium
Querebar, applorans tibi,
Simul calentis inverecundus Deus
Fervidiore mero
Arcana promôrat loco.
Quod si meis inæstuet præcordiis

### INTERPRETATIO.

O Petti, nequaquam placet, ut prius, versus facere, quia amore gravi occupor; amore, qui me præ cunctis incendere cupit erga teneros pueros, vel puellas. Hic tertius December arbores spoliat foliis, ex quo desii deperire Inachiam. Heu me, quanta fui fabula per urbem! (nam pudet me tanti mali:) pœnitet etiam conviviorum, in quibus amans declarat se languere, taciturnitate, & suspiriis e profundo pectore deductis. Tum vero simul ac ardente vino incalueram, & numen pudore carens secreta mea dimoverat loco suo; ego flens apud te conquerebar, quod sincera mens pauperis non prævaleret quæstui. Addebam porro: Quod si

### ANNOTATIONES.

Hanc Oden aliqui faciunt dicolon distrophon, cujus primus quisque versus sit Iambicus Hipponacteus trimeter acatalectus, ut Epod. 2. *Ibis Liburnis, &c.*

Secundus Sapphicus, constans penthemimeri heroicâ, & dimetro Iambico; id est, duobus dactylis, & syllabâ; deinde quatuor Iambis; recepto tamen imparibus locis spondeo.

Aliis placet, esse tricolon tristrophon: ut primus quisque versus sit Iambicus trimeter, ut ante dictum est. Alter quisque Dactylicus dimeter ut lib. 4. Od. 7. *Arboribusque coma.*

Tertius Iambicus dimeter, ut Epod. 1. *Amice propugnacula.*

1. *Petti, nihil me, &c.*) Apud Pettium sive Pectium contubernalem suum queritur, quod per amorem nunquam sibi liceat interquiescere, modo puellam, modo puerum aliquem depereunti:

*Nihil juvat scribere versiculos amore perculsum gravi.*) Contra Propertius amore se ait incitari ad condendos versus. lib. 2. Eleg. 1.

*Quæritis unde mihi toties scribantur amores,*
*Unde meus veniat mollis in ora liber?*
*Non mihi Calliope, non hæc mihi cantat Apollo:*
*Ingenium nobis ipsa puella facit.*
*Seu vidi ad frontem . . . capillos, &c.*
*Invenio causas mille, poeta, novas, &c.*

7. *Tertius December.*) Tertius itaque annus est.

11. *Fabula quanta fui.*) Quot rumores, quot sermones vagati de me, ob Inachiæ amorem, imo furorem.

16. *Contraque lucrum, &c.*) Adversus divitias ditiorum munera opime nihil me posse proficere apud Inachiam avaram meretricem. Quidam legunt: *contraque lucrum nil valere candidum pauperis ingenium?*

*Candidum pauperis ingenium.*) Candidos mores, ingenii vim & acumen, sapientiam, eruditionem, aliasque animi dotes eximias.

19. *Simul calentis, &c.*) Quoties vero Bacchus, idest, vinum, me ebrium fecerat, atque adeo loquacem & inverecundum; toties *applorans tibi* nudabam mentis meæ vulnera, amoris tormenta & cruciatus.

22. *Quod si meis, &c.*) Ex contemptu sui amoris oriebatur indignatio & ira adversus Inachiam; & hinc comminatio se eam oblivioni daturum. Sed brevi redibat ad priorem erga illam ardorem;

Libera bilis, ut hæc
Ingrata ventis dividat,
Fomenta, vulnus nil malum levantia,
Desinet imparibus
Certare summotus pudor.
Ubi hæc severus te palam laudaveram,
Jussus abire domum,
Ferebar incerto pede
Ad non amicos, heu! mihi postes, & heu!
Limina dura, quibus
Lumbos & infregi latus.
Nunc gloriantis quamlibet mulierculam
Vincere mollitiâ
Amor Lycisci me tenet:
Unde expedire non amicorum queant
Libera consilia,
Nec contumeliæ graves:
Sed alius ardor, aut puellæ candidæ,
Aut teretis pueri,
Longam renodantis comam.

INTERPRETATIO.

*libera indignatio cor meum inflammet, ut in auras dissipet molesta hæc pabula nequaquam sublevantia dolorem improbum; protinus abjecta verecundia cessabit pugnare adversus inæquales.* At *postquam ista coram te graviter statueram, accepto mandato discedendi in ædes meas, dubio gressu ibam ad fores eheu mihi non propitias, & dura eheu vestibula, in quibus rupi lumbos & latus. Jam me occupat amor Lycisci gloriantis omnem feminam superare mollitiâ: quo me excolvere non possint sincera amicorum monita, vel objurgationes acerbæ: sed* tantum *alius amor, sive adolescentulæ speciosæ, sive rotunduli pueri prolixos capillos nodo colligentis.*

ANNOTATIONES.

quo vel invitus ad eam ferebatur ac trahebatur.

23. *Ut hæc ingrata ventis dividat, &c.*) Ut procul expellat, & penitus ex colmo excutiat ac deleat ista amoris *fomenta* elimentaque, nempe suspiria, silentium, lacrymas, querimonias, anxies animi secum luctationes; quæ omnia accendunt potius amorem & augent cruciatum, quam levent aut sedant.

26. *Desinet imparibus certare summotus pudor.*) Alii aliter locum hunc intelligunt. Suum cuique sit arbitrium expiscandi sensus novos; ego sic interpretor cum Pulmanno: non amplius Inachiæ procaci me summittam pudens nimium: sed eam aspernebor, desinamque sectari imparem, id est, amori meo non respondentem. Vel sic: cum *imparibus*, id est, rivalibus me potentioribus certare desinam, iisque sine pudore concedam mulierem lucri magis cupidam, quam sinceri & candidi ingenii amantem; adeoque indignam meis amoribus. Priori interpretationi favet quod ait Horatius lib. 1. Od 33. Veneri placere interdum jungere *impares formas atque animos*, &c. lib. 4. Od. 11.

*Disparem vites. Age, jam meorum*
*Finis amorum.*

Denique Epod. 15.

*Et quæret iratus parem.*

28. *Ubi hæc severus, &c.*) Postquam ego constanter & magnifice apud te dixeram, me objectorum occupationes ejusmodi vanas & importunas; eique e te, Petti amice, *jussus* etiam abire domum, & propositâ quiete frui; contra subito redeunte & trahente amore Inachiæ, ad ejus ædes ferebar. Tibull.

*Juravi quoties rediturum ad limina nunquam!*
*Cum bene juravi, pes tamen ipse redit.*

31. *Limina dura.*) Vel propter immitem dominam, vel potius quod in iis jacens pernoctansque lumbos & latus infregerit: ea more amantium, de quo fuse l. 3. Od. 10. Ovid. Remed. amor. l. 2.

*Nec latus in duro limine pone tuum.*

34. *Mulierculam vincere mollitiâ.*) Ludit est in voce *mulier*, quasi mollier e mollitie dicta. Isidor. lib. 11. c. 11. Præclare Petrus Blesensis serm. 1. in Advent. Angelicam salutationem explicans: *ave benedicta inter mulieres*, inquit, *id est, sola robusta inter molles.*

38. *Libera consilia.*) Amice data, absque ulla adulatione, vel offensionis metu.

39. *Contumeliæ graves.*) Jactata scommata ab amicis objicientibus mihi amorem probrosum. Alii explicant: injuriæ ab Lycisco vel meretrice qualibet irrogatæ; minus ad rem, ut mihi quidem videtur.

40. *Sed alius ardor, &c.*) Cic. Tusc. 4. num. 74. *etiam novo quodam amore veterem amorem tanquam clavo clavum ejiciendum putant.* Ovid.

*Successore novo vincitur omnis amor.*

41. *Teretis.*) Habentis membra succi plena, solida, polita, obesula.

42. *Longam renodantis comam.*) Catamiti illi seu pueri meritorii capillos instar mulierum alebant, & in nodum colligebant. Vide lib. 4. Od. 1. in fine. Et lib. 4. Od. 10.

ODE

Digitized by Google

# ODE XII.

## IN ANUM FŒTIDAM.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?
Munera cur mihi, quidve tabellas
Mittis, nec firmo juveni, neque naris obesæ?
Namque sagacius unus odoror,
Polypus, an gravis hirsutis cubet hircus in alis,
Quàm canis acer, ubi lateat sus.
Quis sudor vietis & quàm malus undique membris
Crescit odor! * * * * *
* * * * * nec illi
Jam manet humida creta colorque
Stercore fucatus crocodili: * *
* * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

### INTERPRETATIO.

*Quid petis, femina, atris barris digna? Quare dona, quare litteras mittis mihi, nec valido adolescenti, nec hebetis nasi?* Ego quippe *subtilius olfacio* utrum sit tibi *polypus, an olens caper resideat in axillis pilosis, quàm sagax canis ubi aper delitescat.* At et *quantus sudor, & quàm teter odor undique emanat e membris flaccidis!* * * * * * *
* *neque ei stat uda creta, & color fucatus fimo crocodili.* * * *
. . . . . . . . . . . . . . . .

### ANNOTATIONES.

Metrum simile est Ode 7. Lib. 1.

1. *Quid tibi vis.*) Vid. annot. ad calcem Epod. 8.

*Dignissima barris.*) digna mulier amatoribus sordidis ac deformibus, quales barri, seu bajuli sole adusti, stupidi, impoliti: vel similibus elephantis, qui *odore graves, formâ truces, mole terribiles.* Vide lib. 1. Sat. 4. annot. ad istas voces: *Barrus inops.* Porro elephas dicitur barrus ob gravitatem, Græce *βαρος*; nam inter quadrupedes mole præstat: vel a voce *bar*, quæ peregrinum significat: vel a voce *beira*, quæ idem quod *behemoth* Hebraice significat, scilicet ingentem bestiam?

3. *Naris obesæ.*) Ex Aristot. Physiogn. c. 6. *qui nasum habent in summo crassum, ii stupidi sunt.*

5. *Polypus.*) Est morbus narium fœtidus: sive, est caruncula in naso putida, respirationem obstruens, & tetrum emittens anhelitum.

*Hircus in alis.*) Fœtens humor in axillis, tam grave olens quam hircus.

7. *Quis sudor, &c.*) Loquitur Horatius: o quam gravis odor, & fœtens sudor exit e membris anus putidæ.

9. *Nec illi jam manet humida creta.*) Cum violenti sudore defluit pariter fucus ille quo faciem incrustarat: quippe rugas cretâ seu gypso obduxerat, obtexerat. Plin. lib. 35. c. 16. *Est in medicaminibus & Chia terra candicans; usus ad mulierum maxime cutem.* Idem ibid. & seq. *Cretæ plura genera... candidum, & ad purpurissum inclinans; vis utrique ad discutiendos tumores: Refrigerandi quoque natura creta est: sudoresque immodicos sistit illita, &c.* Petronius, *perfluebant per frontem sudantis acaciæ rivi. Inter rugas malarum tantum erat cretæ, ut putares detectum parietem nimbo laborare.*

10. *Colorque stercore fucatus crocodili.*) E terrestris crocodili fimo cerussæ admixto fit medicamentum ad extenuandam cutim, nitidamque reddendam. Plin. lib. 28. cap. 8. *alter crocodilus (cordylum vocant) et similis, multum infra magnitudinem; in terra tantum, odoratissimisque floribus vivit. Ob id intestina ejus diligenter exquiruntur jucundo nidore farta. Ejus stercus crocodileam appellant: quæ illita ex oleo cyprino molestias in facie enascentes tollit: ex aqua vero morbos omnes, quorum natura serpit in facie: nitorem-

Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur? Tibi nempe:
Nec foret æquales inter conviva, magis quem
Diligeret mulier sua, quàm te.
O ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acres
Agna lupos, capreæque leones!

INTERPRETATIO.

*Cui vero parabatur lana bis tincta purpurâ Tyriâ? Nimirum tibi: ut nullus esset contubernalis inter socios, quem plus amaret sua mulier, quàm ego te. O ego minime fortunata, quam tu fugis non secus ac agna lupos, & capra leones validos expavescit!*

ANNOTATIONES.

*remque reddit: lentigines tollit ac varos, omnesque maculas.* Clemens Alexandrin. Pædagog. l. 3. c. 2. Ex Antiphane Comico, ita refert: *ter non semel digna sunt perire, quæ crocodilorum excrementis utuntur, & spumâ sepiarum unguntur, & supercilia fuligine illinunt, & fuco genas terunt.*

21. *Muricibus Tyriis, &c.* ) Tibi parabatur cum magna cura, diligentia, celeritate, vestis purpurea, bis tincta muricis pisciculi sanguine, qui frequens & optimus in ea maris Mediterranei parte, quæ proxima est Tyro urbi Phœniciæ. Unde Tyriæ purpuræ celebritas maxima. De purpura dibaphâ, iteratâ, seu iterum tincta, lib. 2. Od. 16. & 18. De Tyro urbe, lib. 3. Od. 29. in fine. Vid. sis Plin. l. 9. c. 36. ubi sic habet: *murices purpuræ florem tingendis expetitum vestibus, in mediis habent faucibus: liquorem pretiosum nigrantis rosæ sublucentem colore, &c.*

---

*AD AMICOS.*

## ODE XIII.

*Ut genio indulgeant, omni sollicitudine posthabitâ.*

Horrida tempestas cœlum contraxit, & imbres
Nivesque deducunt Jovem:
Nunc mare, nunc siluæ
Threicio Aquilone sonant: rapiamus, amici,
Occasionem de die:

INTERPRETATIO.

*Ater nimbus obduxit cœlum, & pluvia nivesque demittunt Jovem. Jam mare & silvæ strident Boreâ Thracio. O sodales, ne omittamus opportunitatem temporis: & quamdiu valent genua, dum-*

ANNOTATIONES.

Ex quibusdam hæc Ode est dicolos distrophos. Primus quisque versus est hexameter heroicus: alter quisque est Archilochius constans dimètro Iambico, ac duobus dactylis cum una syllaba.

Aliis vulgo, & melius quidem, est tricolos tristrophos. Primus versus est herpicus hexameter catalecticus, ut iste Od. 7. lib. 1.

*Laudabunt alii claram Rhodon, &c.*

Secundus est Iambicus Archilochius dimeter acatalectus, ut Epod. 2.

*Amice propugnacula.*

Tertius est Dactylicus Archilochius dimeter hypercatalectus, ut Od. 7. lib. 4.

*Arboribusque comæ.*

1. *Horrida tempestas.* ) Vel hyems, vel nimbosum cœlum, vel utrumque.

*Cœlum contraxit.* ) Contractis & condensatis nubibus cœlum oblexit & obscoravit. Non desunt qui allegorice locutum velint Poetam de nescio qua civili tumultu, vel hostili incurso, vel clade & calamitate quapiam. Nunnihil ejusmodi videtur innuere, ubi ait, v. 10.

*Cætera mitte loqui: Deus hæc fortasse benignâ
Reducet in sedem vice.*

*Imbres nivesque deducunt Jovem.* ) Quoniam, ut alibi dixi, Jupiter est aer, hinc & in terram descendere ac deduci putabatur cum solvitur in pluvias aut nives decidentes. Virgil. Eclog. 7.

*Jupiter & læto descendet plurimus imbri.*

3. *Siluæ.* ) Diæresis, per quam vox ista fit trium syllabarum.

4. *Threicio Aquilone.* ) Flante a Thraciæ partibus Aquilone vento, qui est inter Septentrionem & ortum solstitialem, *Nord Nord est*. De eo jam lib. 1. Od. 25. v. 11.

5. *Occasionem.* ) Cic. de Inv. 1. *occasio*, inquit, *est pars temporis in se habens opportunitatem idoneam rei faciendæ.*

*De die.* ) De tali die pluvio, nimboso, tristi sumamus occasionem compotandi. Alii melius

sic:

Digitized by Google

Dumque virent genua,
Et decet, obductâ solvatur fronte senectus.
Tu vina Torquato move
Consule pressa meo.
Cætera mitte loqui: Deus hæc fortasse benignâ
Reducet in sedem vice.
Nunc & Achæmeniâ
Perfundi nardo juvat, & fide Cylleneâ
Levare diris pectora
Sollicitudinibus:
Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:
Invicte mortalis, Dea
Nate puer Thetide,
Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri flumina,

## INTERPRETATIO.

*que convenit, explicetur frons senio contracta. Tu profer vina calcata sub Consule meo Torquato. emitte verba facere de aliis quibuslibet. Ea forsan Deus restituet in pristinum statum, mutatione propitiâ. Jam expedit ungi nardo Persicâ; & curas molestas ex animo pellere chordis Mercurii. Sic illustris Centaurus admonebat alumnum generosum: vir insuperabilis, fili Dea Thetidis, expectat te regio Assaraci, quam rigant fluvii Scamander exiguus, & Simoïs ra-*

## ANNOTATIONES.

sle: dum per diem ac tempus licet, dumque sinunt ætas & vires, vitæ gaudia carpamus.

6. *Dum virent genua.*) Theocrit. Idyll. 14. v. ult. Δ. . . . . δ' χρόνος. ποιεῖν τι δεῖ ἇς γόνυ χλωρόν. *Canos facit ætas: gerere aliquid oportet eos quibus est genu viride.*

Genu viret, id est, juventus viget, ex Erasmo. *Genibus inest vitalitas. Namque in ipsa genu utriusque commissurâ, dextra lævaque, a priore parte gemina quadam buccarum inanitas inest, qua perfossâ, ceu jugulo spiritus fugit.* Plin. lib. 11. cap. 45.

7. *Obductâ solvatur fronte senectus.*) Vel, pellatur recordatio senectutis, quæ rugosâ & tristi fronte depingitur: vel potius, solvatur & porrigatur læta frons, quæ senili morositate contrahi solet atque obduci. Procul hinc a nobis ea severitas ac tristitia, quam affert senium.

8. *Vina Torquato, &c.*) Diffusa in cados vina sub Consulatu L. Manlii Torquati, adeoque mihi coæva, nam eo anno prodii in lucem: proindeque *meum Consulem* eum appello. Vid. lib. 3. Od. 21. ubi,

*O nata mecum Consule Manlio* amphora.

10. *Cætera.*) Quæ mœrorem nobis creare possent, ex animo & memoriâ deleantur: ut hilaritati vacemus. *Deus hæc mala fortasse* in melius mutabit. Ex his, ut dixi initio, suspicari licet, tunc cum hanc Oden scriberet Poeta, intervenisse quandam tristitiæ causam, quæ certe nobis comperta non est.

12. *Achæmeniâ nardo.*) Unguento e Perside ubi regnavit Achæmenes. Vide lib. 3. Od. 1. sub finem annot. ad has voces *Achæmenium costum.* Optimum fiebat unguentum e frutice seu herba, cui nomen nardus, de qua Dioscorid. lib. 1. cap. 6. &c. Plin. lib. 12. cap. 12. ita scribit; *de folio nardi plura dici par est, ut principali in unguentis. Frutex est gravi & crassâ radice, pingui, situm redolente,... Apud Gangem nascens: &c.* Vide lib. 2. Od. 11. ibique annot.

13. *Fide Cylleneâ.*) Lyrâ, cujus auctor fertur Mercurius, a Cyllene Nympha suâ matre, vel a Cyllene Arcadiæ monte, ubi natus educatusque est, dictus Cyllenius. Vide lib. 1. Od. 10.

16. *Centaurus alumno.*) Chiron Achilli, quem educavit, docuitque citharam pulsare: meminit Juvenalis Sat. 7. v. 210. Centauri Thessaliæ populi, de quibus lib. 1. Od. 18. Inter eos vero quidam virtute celebres fuere. Præcipui nominantur Amycus, Rhœtus, Lycidas, Eurytus, Pholus, & alii; quorum facile Princeps Chiron, cui ob insignem sapientiæ famam traditi sunt in disciplinam Æsculapius, Hercules, Jason, Achilles.

17. *Invicte mortalis.*) Achilles solâ quidem est pedis parte vulnerabilis, qua tenebat eum sua mater in Stygiam paludem immergens, ut immortalem faceret. De Achille, l. 1. Od. 6. 8. 15. lib. 2. Od. 4. 16. lib. 4. Od. 6. Vide ibi annot.

18. *Nate puer Thetide.*) Achilles Pelei filius ac Thetidis Nymphæ seu Deæ marinæ, quæ propterea mox vocabitur *Cærula*.

19. *Te manet Assaraci, &c.*) Ibis ad expeditionem Trojanam, quippe sine te Troja nunquam expugnari poterat, ex oraculo.

*Assaraci tellus.*) Phrygia, Troas, ubi regnavit Assaracus Trois filius, Ili frater:

20. *Scamandri.*) Scamander alias Xanthus, ex Ida monte, parvo fonte scaturit. Hinc epithetum *parvi:* quod somniatores explicant, quoniam is fuerit e fluviis qui ab exercitu Xerxis poti defecisse narrantur.

Lubricus & Simois:
Unde tibi reditum certo subtegmine Parcæ
Rupêre: nec mater domum
Cærula te revehet.
Illic omne malum vino cantuque levato,
Deformis ægrimoniæ
Dulcibus alloquiis.

INTERPRETATIO.

*...pidus: unde regressum tibi Parcæ intercluserunt stabili filo: neque parens marina te domum reducet. Ibi ergo quasvis ærumnas mitiga per vinum & carmina, quæ duo sunt grata remedia horridæ ægritudinis.*

ANNOTATIONES.

22. *Simois.*) Hic fluvius Troadis in Scamandrum illabitur; uterque Homero Virgilioque aliisque nominatissimus.

22. *Unde tibi reditum, &c.*) Achilli prædicit Chiron præmaturam apud Trojanos mortem: quod narat, seu ex Astrologia cujus erat peritissimus; seu a Thetide, quæ apud Homerum Achilli filio fatum suum prænunciat. Ibidem vero describitur ipse se consolari *vino & cantu* heroicarum virtutum. Quod inde Poeta noster est imitatus hac Ode.

*Subtegmine.*) Subtegmen, filum est quod stamini subtexitur. Catull. Carm. de nuptiis Pelei ac Thetidis:

*Currite ducentes subtegmina currite fusi.*

De Parcia fata nentibus, volventibus, dispensantibusque annos vitæ mortalium vide l. 2. Od. 3.

26. *Deformis ægrimoniæ.*) Deformes reddit ægritudo animi. Cic. lib. 12. ad Attic. Epist. 37. *ferrem gráviter, si nova ægrimoniæ locus esset.*

*Dulcibus alloquiis.*) Vide, lector, ut has voces velut appositas ad præcedentia *vino cantuque* intelligas. *Alloquia* veteribus solatia & levamina dicebantur. Græc. παραμυθία. Varro de Ling. Lat. l. 5. circa medium, *allocutum mulieres ire ajunt, cum eunt ad aliquam locutum consolandi causâ.* Valer. Maxim. lib. 2. c. 7. art. 6. *incerta gratulandi prius, an alloquendi officio fungeretur.* Sapient. cap. 8. art. 9. *Sapientia mecum communicabit de bonis: & erit allocutio cogitationis ac tædii mei.*

---

## AD MŒCENATEM.

## ODE XIV.

*Phrynes amore se impediri, ne promissos Iambos absolvat.*

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus,
Pocula Lethæos ut si ducentia somnos
Arente fauce traxerim,
Candide Mœcenas, occidis sæpe rogando.
Deus Deus nam me vetat

INTERPRETATIO.

*Optime Mæcenas, interficis me, quærendo sæpius, quare otiosa ignavia intimis præcordiis induxerit talem oblivionem, velut si gutture sitibunde hauserim aquas Lethæas soporem conciliantes. Enimvero Deus, Deus inquam me prohibet*

ANNOTATIONES.

Ode est dicolos distrophos. Primus quisque versus est heroicus hexameter: secundus est Iambicus dimeter.

1. *Mollis inertia cur, &c.*) Non desidiâ sed amore se detineri ait.

3. *Pocula Lethæos, &c.*) Metonymia subjecti pro adjuncto, ut alibi sæpe. Sensus est: videor nempe tibi hausisse majus poculum e Lethe fluvio Inferorum, qui rerum omnium oblivionem inducit: vel soporiferas quasdam potiones bibisse; vel laborare veterno seu lethargiâ, adeo ut somno inexpugnabili correptus sim.

6. *Deus.*) Amor magnus Deus & maxime imperiosus. Ex S. Hieron. lib. 1. adversus Jovinianum; *amor rationis oblivio est, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit: insania est proxima.* Plaut. Cistell.

Nul-

Inceptos, olim promissum carmen, Iambos
Ad umbilicum adducere.
Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Teium;
Qui persæpe cavâ testudine flevit amorem
Non elaboratum ad pedem.
Ureris ipse miser. Quod si non pulcrior ignis
Accendit obsessam Ilion,
Gaude sorte tuâ: me libertina, neque uno
Contenta, Phryne macerat.

## INTERPRETATIO.

*inchoatam carmen Iambicum jam pridem* tibi *promissum ad finem perducere. Simili modo narrant Bathylli Samii amore incensum fuisse Anacreontem Teium; qui sæpe lyrâ amores cecinit ad metrum neglectam. Ipse* vero tu amore *cruciaris. Quod si non formosior ignis cremavit Trojam expugnatam, lætare* de *tua conditione*. Nam *urit me Phryne libertina uno* amatore *minime contenta*.

## ANNOTATIONES.

*Nullam mentem animi habeo.*
*Ubi sum, ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus.*

*Deus me vetat.*) Vide parelagaotem Paulini Epist. 5. ad Auson. ubi,

*Nunc alia mentem vis agit, major Deus.*

8. *Ad umbilicum adducere.*) Græci dicunt, colophonem vel coronidem addere. Latini, ad umbilicum perducere; id est, ultimam manum admovere. Inde vero fluxit iste loquendi modus, quod solebant veteres absolutis voluminibus addere ornamenta ossea, cornea, eburnea, lignea, umbilici nostri formam imitantia, in medio scilicet integumenti extantia. Erasm. Illa Eustathius bullas interpretatur. Martial. lib. 1. Epigr. 67. dicit librum *umbilicis cultum*. Lib. 3. Epigram. 2. *pictis luxuriantem umbilicis*. Lib. 5. Epigram. 6. *umbilicis crescentem*. Lib. 4. Epigr. ult.

*Ohe jam satis est, ohe libelle;*
*Jam pervenimus usque ad umbilicum.*

9. *Samio.*) Oriundo a Samo insulâ.

*Bathyllo.*) Puero, quem in deliciis habebat Anacreon, describit vero ac pingit, Oda suâ 29.

10. *Anacreonta Teium.*) Hic Poeta erat a Teo Ioniæ civitate litorali, vel e Teio Paphlagoniæ urbe, in ora maris Euxini; ut quidam volunt. Scripsit Hymnos, Elegias, Iambos & alia quædam. Nonnulla vero interciderisse patet vel ex eo quod ait Horatius, *persæpe* illum *flevisse amorem*: de Bathyllo enim duas tantum Odas habemus Anacreontis. De eo vide annot. lib. 4. Od. 9.

12. *Non elaboratum ad pedem.*) Sunt qui interpretentur versus facili venâ effusos: melius alii referunt ad neglectos numeros, pedumque non exactam rationem. Nec absurdus in eo fuit Poeta plus amori indulgens & affectibus, quam syllabarum dimensioni.

13. *Ureris ipse miser.*) O Mæcenas, propriâ quidem experientiâ nosti satis quid amor possit; debes ergo mihi condonare.

*Quod si non pulcrior ignis.*) Atqui Helena quæ causa fuit excidii & incendii urbis Trojæ, non erat nobilior aut pulchrior eâ muliere quam tu deperis: (Terentia nempe, quæ & Licinia) unde tibi gratulor. Virgil.

*Meus ignis Amyntas.*

16. *Phryne.*) Hujus nominis apud Græcos plures fuere meretrices. Una præ cæteris laudatur Athen. l. 13. c. 6. quæ multorum criminum rea, tamen absoluta est a Judicibus ejus pulcritudine singulari captis.

AD

Digitized by Google

## AD NEÆRAM.

## ODE XV.

*Non servatam ab ea fidem queritur.*

Nox erat, & cœlo fulgebat Luna sereno
Inter minora sidera,
Cum tu, magnorum numen læsura Deorum,
In verba jurabas mea,
Arctius atque hederâ procera astringitur ilex,
Lentis adhærens brachiis:
Dum pecori lupus, & nautis infestus Orion
Turbaret hybernum mare,
Intonsosque agitaret Apollinis aura capillos,
Fore hunc amorem mutuum.
O dolitura meâ multum virtute, Neæra!
Nam si quid in Flacco viri est,
Non feret assiduas potiori te dare noctes,
Et quæret iratus parem.
Nec semel offensæ cedet constantia formæ,
Si certus intrârit dolor.

### INTERPRETATIO.

*Nox erat, & Luna micabat inter astra minora, sudo quidem aere; quando tu violatura numen magnorum Deorum, in mea verba jurabas, mollibus brachiis complexa me strictius quàm hedera alta ilici adhæret: dum lupus* insidiaretur *ovibus, atque Orion nautis inimicus subverteret mare hyemale; & ventus moveret capillos Phœbi prolixos, hunc amorem fore parem. O Neæra dolebis* aliquando *plurimum meâ virtute! Etenim si aliquid est roboris in Horatio, nequaquam patietur te noctes frequenter concedere alteri* quem præfers; *atque irritatus quæret fidelem* amicam: *sique vetus dolor corripiat, mea firmitudo non vincetur* tuâ *pulcritudine semel invisâ.*

### ANNOTATIONES.

Metrum simile Epod. anteced.

1. *Nox erat, &c.*) Noctem, Lunam, sidera, testes adhibet perjurii Neæræ. Juv. Sat. 8. v. 150.
...... *Sed Luna videt; sed sidera testes*
*Intendunt oculos.*

2. *Inter minora sidera.*) Sic lib. 1. Od. 12.
. . . . . *Inter ignes*
*Luna minores.*

3. *Magnorum Deorum.*) Veneris & Cupidinis, ajunt quidam: melius alii, Jovis, Apollinis, Minervæ, Martis, Mercurii, aliorumque, quos Æneas detulit in Italiam: ex Virg. Æneid. 3. v. 12.
. . . *feror exul in altum*
*Cum sociis, natoque, Penatibus, & magnis Diis.*
Vide Macrob. lib. 3. cap. 4. Saturnal.

4. *In verba jurabas mea.*) Ego verba concipiebam juramenti, tibique dictabam: tu sequebaris me verba præeuntem, & suggesta repetebas.

7. *Orion.*) Sidus tempestates ciens. De eo lib. 1. Od. 28. v. 21. lib. 2. Od. 13. in fine. lib. 3. Od. 4. sub finem.

9. *Intonsosque, &c.*) Dum intonsus foret; id est, quamdiu radii a sole non poterunt avelli: ex Macrob. Saturn. lib. 1. c. 17. Vide lib. 1. Od. 21. vers. 2. annot.

10. *Fore hunc amorem mutuum.*) Ita solent amantes invicem conjurare; suius soli. Vide Plaut. Mercat. Scen. 6.

11. *O dolitura, &c.*) Exclamatio hæc omnino apposite subjungitur prædictis. Sensus est: o Neæra, pœnitebit aliquando istius perjurii, & offensæ: necdum satis virtutem meam & firmitudinem nosti: sed brevi senties & dolebis.

12. *Si quid viri.*) Herodot. lib. 7. ait multos quidem esse homines, at viros paucos.

13. *Potiori.*) Rivali meo, cui plura das quàm mihi amoris testimonia.

14. *Parem.*) Quæ respondeat amori meo.

15. *Semel offensa.*) Quæ semel offenderit me, vel cui semel offensus fuero & iratus.

16. *Si certus intrarit dolor.*) Id vulgo referunt ad Horatium: non absurde quidam ad Neæram; hoc sensu: tanta est iræ meæ constantia, inquit Flaccus, ut si tibi, Neæra, semel irascar, etsi te pœniteat me offendisse, teque verus dolor capiat, ac tum velis redire in gratiam mecum, haud tamen ego cedam aut veniam dem.

Digitized by Google

At ut quicumque es felicior, atque meo nunc
Superbus incedis malo,
Sis pecore & multâ dives tellure licebit,
Tibique Pactolus fluat:
Nec te Pythagoræ fallant arcana renati,
Formâque vincas Nirea:
Eheu translatos alio mœrebis amores!
Ast ego vicissim risero.

INTERPRETATIO.

*Tu vero quisquis es modo potier, ac meo detrimento jam exultas arrogans; quamvis multis gregibus & agris sis locuples, tibique fluat Pactolus, atque tibi lateant mysteria Pythagoræ redivivi, ac Nireum superes oris specie: Eheu brevi dolebis amores alteri datos! ego vero tum ridebo alternatim.*

ANNOTATIONES.

17. *Quicumque es felicior.*) Quicunque es meus rivalis, & potior apud Neæram, mihique proinde insultas, quod illa, me spreto, indulgeat atque obsequatur tibi.

19. *Sis pecore, &c.*) Quamvis opibus valeas, sapientiâ inclarescas, venustate conspicuus fueris. Ubi tria vides affecei, amorem excitare consueta. Sic Virgil. Eclog. 2.

*Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.*

. . . . . . . .

*Canto quæ solitus . . . Amphion.*

. . . . . . . .

*Nec sum adeo informis, &c.*

20. *Tibique Pactolus fluat.*) Licet te ditet Pactolus Lydiæ fluvius, per quem Crœsus rex olim dicitur auro abundasse. Is propterea Chrysorroas etiam appellatus; hodie *Sarbat*. Quinque in orbe flumina ramenta auri cum aquis & arenis volvisse prædicantur, Tagus in Hispania, Padus in Italia, Hebrus in Thracia, Pactolus in Asia minori, Ganges in India. Plin. lib. 33. c. 4.

21. *Nec te Pythagoræ, &c.*) Etsi fueris sapiens ut Pythagoras. De eo Gell. lib. 1. cap. 9. Suidas, *quod non minus verum diceret quam Apollo Pythius:* nomen ejus interpretatur. Philostratus, Deorum usum consuetudine affirmat, & ab eis accepisse quatenus hominibus delectentur, & quatenus eos aversentur, ex eoque de natura disseruisse. Porro tanta fuit apud antiquos Pythagoræ veneratio, ut domum ejus templi instar, ipsum vero tanquam numen haberent.

*Renati.*) Scilicet ille sapientiæ velut antistes, multa tamen deliravit de animarum in aliud & aliud corpus transmigratione: ac seipsum ajebat primum Æthalidem fuisse, deinde Euphorbum, denique Pythagoram. Vide lib. 1. Od. 28. v. 10. annot.

22. *Nirea.*) Nireus inter Græcos, qui ad Trojanam expeditionem profecti sunt, formosissimus, uno excepto Achille. Homer. Iliad. 2. De illo jam lib. 3. Od. 20. in fine.

23. *Translatos alio mœrebis amores.*) Tu quoque Neæræ levitatem & inconstantiam experiere: tum vero tibi ego insultabo vicissim; & affatim gaudebo, sicut tu modo gaudes malo meo, quod ab illa contemnar. Ex Aristot. Rhet. 2. *Iram semper comitatur voluptas de spe puniendi. Nam jucundum est putare id eventurum quod exoptamus.*

---

*AD ROMANOS.*

# ODE XVI.

*Bellorum civilium finem nullum esse conqueritur.*

Altera jam teritur bellis civilibus ætas:

INTERPRETATIO.

*Secunda jam ætas absumitur bellis civilibus. Et Roma sua propria disperdit potentia.*

ANNOTATIONES.

Ode hæc est dicolos distrophos. Primus quisque versus est heroicus hexameter. Alter quisque est Iambicus trimeter e puris iambis: quod non alibi fecisse Horatium reperies. Bene Scaliger; *Sextadecima*, inquit, *elaborata est, alternis iambicis puris: idcirco & facta difficilis, & emendata.*

1. *Altera jam, &c.*) Quam varie & quam iceritis & casses ictibus hanc Oden petit Scaliger, hic saltem plusquam hypercriticus! Tuam fidem, tuum judicium, lector: an *durissima multis locis, an tota inepta?* Imo durum & ineptum censebis esse cavillatorem, quisquis Poetam emunctæ naris ita calumniatur. Ad singula veniamus.

*Altera jam teritur bellis civilibus ætas.*) U-

Suis & ipsa Roma viribus ruit.
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera cæruleâ domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Annibal;
Impia perdemus devoti sanguinis ætas:

## INTERPRETATIO.

*Quam labefactare nequiverunt Marsi vicini, vel Thuscus exercitus superbi Porsena, nec invida Capua vis, nec ferox Spartacus, atque Allobroges perfidi*, rebus novis studentes; *nec vicit trux Germania juvenibus caruleis; & Annibal parentibus execrabilis*: scilicet hanc *pessumdabimus* ipsi nos *homines conscelerati*, quorum *addictus est cruor*:

## ANNOTATIONES.

num prope seculum consumptum fuerat bellis civilibus Syllæ & Sulpitii; Octavii & Cinnæ; Marii & Syllæ; Pompeii & Cæsaris; denique post interfectum Julium hunc Cæsarem, bello Mutinensi adversus Marcum Antonium, Perusino contra L. Antonium Marci fratrem, Siciliensi in Sext. Pompeium, præsertim vero Philippensi, adversus Brutum & Cassium Augusto dimicante. Hus usque velut unam ætatem bellicis fragoribus attritam statuit Horatius. Cum vero exardesceret novum bellum Augustum inter atque Antonium & Cleopatram, de quo antea Epod. 1. & 9. & lib. 1. Od. 37. tam diuturni mali pertæsus in has erumpit voces: ergone altera ætas pariter ut prior bellorum calamitatibus atteretur? Suis ipsa viribus Roma destruetur? Et quam hostes nulli diruere valuerunt, ipsi perdent ac pessumdabunt Romani cives? Vide antea Epod. 7.

2. *Suis & ipsa Roma viribus ruit.*) Magnitudine laborat sua, ut ait T. Livius. Et Propertius:

*Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.*

3. *Marsi.*) Italiæ populi fuere isti sub Samnitibus, juxta lacum Fucinum, hodie *Ducato di Marsi*: Olim pugnacissimi, *de quibus nunquam triumphus visus. Nec enim sine Marsis, nec de Marsis hactenus triumphatum*: quod testatur Appian. bell. civil. lib. 1. Hi duce Popedio bellum Sociale moverunt primi, omnesque Italiæ nationes ad arma concitarunt. Supra lib. 3. Od. 14. strophe 5. Oros. lib. 5. cap. 18. Flor. lib. 3. c. 18. *cum omne Latium atque Picenum, Etruria omnis & Campania, postremo Italia contra matrem ac parentem suam urbem consurgerent... auctore belli discursante Popedio, diversa per populos & urbes signa cecinere. Nec Annibalis nec Pyrrhi fuit tanta vastatio.*

4. *Minacis aut Etrusca Porsena manus.*) *Porsena Rex Etruscorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat*, inquit L. Flor. lib. 1. cap. 10. *Non unquam alias ante tantus terror Senatum invasit: adeo valida res tum Clusina erat, magnumque Porsena nomen, &c.* quæ habet T. Livius lib. 2. cap. 9.

5. *Æmula nec virtus Capua.*) Æmula Romæ non Carthago tantum, ut dictum est lib. 3. Od. 5. sed & Capua, urbs Campaniæ primaria. Hanc *pelage, cultuque, penuque potentem, deliciis, opibus, famaque*, scribit Ausonius: *alteram Romam* vocat ipse Tullius Philip. 12. & alibi, *superbia domicilium*. Dum vero præsertim Capuenses Italiæ imperium sibi pollicebantur, cum Romanas vires ab Annibale imminutas cernerent. Nam & eam ob rem secundo bello Punico a Romanis defecere, & societatem iniere cum Annibale & Pœnis, *ut videretur jam deletum Romanum nomen*, inquit Livius lib. 23. Vid. & Flor. l. 2. cap. 6. &c.

*Spartacus acer.*) Hujus tanta fuit audacia, ut *fuderit imbelles aquilas servilibus armis*: ita canit Claudianus de bello Get. Vide l. 3. Od. 14. v. 19.

6. *Novisque rebus infidelis Allobrox.*) Allobrogas (qui sunt hodie Sabaudi atque Delphinates) affines Rhodano fluvio populi rebus novis studere semper; nemini fidem, nec suis quidem Ducibus servare assueti: conjurationem Catilinæ Ciceroni tum Consuli patefecere, quamvis cum Lentulo prius consensissent. Vide Cic. Catilin. 3. Sallust. Bell. Catilin. L. Flor. lib. 3. cap. 2. præsertim vero lib. 4. cap. 1. Quidam volunt ab Horatio hic Gallos omnes significari; nec absurde.

7. *Caruleâ Germania.*) Germanis *truces & carulei oculi, rutila coma, magna corpora*. Cornel. Tacit. Non est dubium quin hic notentur Cimbri, Theutonesque, Italiam invadentes armis tam sævis, ut pronunciavit de eo bello Florus; *actum erat nisi Marius illi saculo contigisset. Ille tamen non ausus congredi statim.... barbari vero non segnius quam minati fuerant, tripartito agmine, per Alpes, id est, claustra Italia ferebantur.* Nimirum cum terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant, &c. quæ describit Florus lib. 3. cap. 3.

8. *Parentibusque abominatus Annibal.*) Ut lib. 1. Od. 1. *bella matribus detestata*. Sic & hoc loco, *parentibus*, quorum filii periere tot bellis ab eo motis; *abominatus Annibal* dux Carthaginensis exercitus, vel unâ clade Cannensi Romanis formidolosus adeo, ut nihil magis Romæ quam Annibal timeretur; unde proverb. *Annibal ad portas*, ad significandum extremum quodvis periculum. Vide Tit. Liv., Valer. Maxim. lib. 9. cap. 4. Plutarch. Flor. &c. & quæ nos lib. 2. Od. 12. annotavimus.

9. *Devoti sanguinis atas.*) Noster enim sanguis sacer, addictus, & destinatus videtur esse pla-

Digitized by Google

Feriſque ruſus occupabitur ſolum.
Barbarus, heu, cineres inſiſtet victor, & urbem
Eques ſonante verberabit ungulâ.
Quæque carent ventis & ſolibus oſſa Quirini,
(Nefas videre) diſſipabit inſolens.
Forte quid expediat, communiter aut melior pars,
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla ſit hac potior ſententia: (Phocæorum
Velut profugit execrata civitas,
Agros atque Lares proprios, habitandaque fana
Apris reliquit & rapacibus lupis)
Ire pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit aut protervus Africus.
Sic placet? An melius quis habet ſuadere? Secundâ
Ratem occupare quid moramur alite?

## INTERPRETATIO.

*atque terra hæc a beſtiis iterum tenebitur. Eheu victor barbarus ſtabit ſuper favillas urbis, & equorum pedibus ſtrepentibus conculcabit. Et quod horrendum viſu, oſſa Romuli ſolis ac venti expertia diſperget ſuperbus. Fortaſſe univerſi vel pars major interrogabitis, quid utile ſit ad evitandas* tales *ærumnas. Nulla videatur ſententia melior* quam *hæc:* oportet *abire quocumque ferent pedes, quocumque per mare impellet Auſter vel Africus vehemens: quemadmodum Phocæorum urbs poſt execrationes abſceſſit, ſuas domos agroſque & templa dimittens occupanda apris & lupis voracibus. Ita cenſeo. Habetne quiſpiam melius aliquid proferre? Quid tardamus navim conſcendere fauſtis avibus?*

## ANNOTATIONES.

placandæ iræ Numinum: *majorum delicta immeriti luemus:* quippe ut ait ſupra Epod. 7.

*acerba fata Romanos agunt,*
*Scelusque fraternæ necis,*
*Ut immerentis fluxit in terram Remi*
*Sacer nepotibus cruor.*

Vide ibi annot.

10. *Feriſque rurſus occupabitur ſolum.*) Dirutâ urbe, antiqua ibi erit ſolitudo, virgulta & ſilvæ naſcentur, in quibus ut olim, ſtabulentur & paſcantur feræ. Virgil. Æneid. 8. *Capitolia*, inquit,

*Aurea nunc, olim ſilveſtribus horrida dumis:*

Et antea ibidem:

*Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant.*

11. *Barbarus victor.*) Barbaris populis quibuslibet Roma erit in direptionem, prædam, & ludibrium. Sunt qui velint hæc ab Horatio dici, quod in exercitibus Auguſti atque Antonii militarent barbari complures in ſubſidium vocati.

13. *Quæque carent ventis, &c.*) Oſſa Romuli ſepulcro condita, adeoque nec vento commota, nec ſole aduſta extrahet *victor inſolens & diſſipabit* impie. Erat opinio quorumdam, raptum in cœlos Romulum eſſe: alii vero cum Varrone, aſſerebant ſepultum Romæ poſt Roſtra, vel in ſuo templo.

17. *Nulla ſit hac potior ſententia.*) Excandeſcit Scaliger ad hunc locum, exclamatque; *Quis paululum modo pudens auſit hortari trecenta millia civium Romanorum ad urbem deſerendam?* Ohe vir ſalſiſſime *Pictoribus atque Poetis quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.* Poſtò quid abſurdum cives Romanos in eas inſulas ab Horatio vocari, ad quas concupivit divertere Julius ipſe Cæſar earum amœnitate illectus; in quas demigrandi etiam fuit Sertorio maximum deſiderium? Teſtis Plutarchus in Sertorii vita, ubi & egregie deſcribit earum inſularum felicitatem. Vide infra.

*Phocæorum velut profugit execrata civitas.*) Phocæi Ioniæ populi ab Harpago Cyri Regis Præfecto obſidione preſſi, non aliam invenere viam & rationem vitandæ hoſtium ſævitiæ ac ſervitutis, quàm ut cederent fortioribus, deſertâque urbe ſuâ, alias ſedes quærerent. Hæc narrat Herodot. lib. 1. ſect. 42. Inde veniſſe in Galliam & Maſſiliam urbem condidiſſe ajunt. Vide Strab. lib. 4. Juſtin. lib. 43.

18. *Execrata civitas.*) Execrationes ante diſceſſum jaculati Phocæi in regionem quam deſerebant. Vel potius, aut refert Herodot. mox cit. communi conſilio mutuis execrationibus diriſque devotionibus ſeſe aſtringunt, jurantes nunquam alios ab aliis diſceſſuros, aut patriam Phocæam repetituros.

22. *Notus Africus.*) De his ventis meridionalibus lib. 1. Od. 1. & 3. *quocunque vocabit*, ſive in Cyrnum inſulam, ſive Rhegium, ſive in Galliæ oras. In eas enim regiones migraturis Notus & Africus venti utiles erant.

Digitized by Google

Sed juremus in hæc; simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina:
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra junxerit libidine
Mirus amor: juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur & columba milvio:
Credula nec flavos timeant armenta leones;
Ametque salsa lævis hircus æquora.
Hæc, & quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis execrata civitas,
Aut pars indocili melior grege: mollis & exspes
Inominata perprimat cubilia.

INTERPRETATIO.

*At prius jurejurando nos obstringamus in hæc verba: ne reverti liceat, nisi cum emergent lapides aquis profundis elati: neve displiceat vela facere versus patriam, quando Padus rigabit verticem Matini montis, aut altus Apenninus in mare procurret; atque amor prodigiosus insolitâ libidine copulabit feras, adeo ut tigrides cupiant jungi cervis, & columba milvio: atque greges absque metu credant se leonibus fulvis: glaberque fiat caper, & gaudeat mari salso.* Postquam *ista & quæcumque valebunt tollere* spem *gratam remigrandi adjuraverimus, proficiscamur omnes, aut pars melior plebe indocili.* Pars autem *iners & spe carens occupet semper hæc domicilia inauspicata.*

ANNOTATIONES.

25. *Sed juremus in hæc, &c.*) Antequam hinc demigremus, nos oportet solemni sacramento obligare, non rediturus in patriam, nec alios ab aliis disjungendos.

*Simul imis saxa renarint vadis levata.*) Ex Herodoto citat. post execrationes, Phocenses in mare demergunt ac dejiciunt saxum ingens, seu candens ferrum, ut alii contendunt; & juramento confirmant non prius de repetenda Phocæa cogitaturos, quam massa illa, sive ferrea sive saxea emergeret & super aquas nataret. Ad hunc jurandi ritum pertinet, quod Helvetii demigraturi mœnia sua incenderint, quod *sacramentum esset, ut redirent*. Teste L. Floro.

27. *Quando Padus Matina laverit cacumina.*) Adunaton multiplex aggregat & accumulat hic Horatius, stylo juveniliter lasciviente: quod si reprehendisset Jul. Scaliger, ex judicii legibus fecisset. Hoc certe notare debuerat potius quam tricari circa *cæruleam Germaniam*, velut durum epithetum; circa vocem *careat*, quasi antique nimis usurpatam: vocem *perprimat* velut fœtentem: quasi vero. Criminationes deinde graviores exentiemus. Sensus hujus loci est: tum ne pigeat Romam redire, quando Padus fluvius Matinum montem supergredietur, per ejus cacumen ascendens ac decurrens.

28. *Padus.*) Qui & Eridanus Italiæ maximus fluvius ex Alpibus scaturit in limite Galliæ, rigat Pedemontium, Mediolanensem, Placentinam, Mantoanam, Ferrariensem, aliasque regiones, denique in mare Adriaticum illabitur. Galliam Cisalpinam divisit olim in Cispadanam & Transpadanam.

*Matina.*) Saltus & Mons Matinus erat in Apuliæ Lucaniæque confinio. De eo jam l. 1. Od. 28. v. 3.

29. *In mare seu celsus procurrerit Apenninus.*) Sive cum mari submergetur Apenninus mons altissimus, Italiam secans longo & continuo tractu & jugo ab Alpibus maritimis ad Brutios & Salentinos.

30. *Novaque monstra, &c.*) Monstrum sane foret si cervi suâ naturâ timidi jungantur tigribus feritate horribilibus: Plin. l. 8. si columba item mansueta copuletur milvio inter accipitres rapacitate & magnitudine præcipuo. Plin. l. 10. c. 10.

33. *Credula nec flavos, &c.*) Cum greges & armenta sponte se offerent leonibus devoranda, amissâ naturali ab his fugâ & metu.

34. *Ametque salsa lævis hircus æquora.*) Quando hircus habebit duo naturæ & indoli suæ contraria, primum ut setis ac pilis carens fiat lævis; alterum ut aquas frequentet & innatare amet: quandoquidem amat potius montes & arduos saltus, atque hirsutus valde ac pilosus. Audite vero Scaligerum: *ubi*, inquit, *reperit hircum, quem hic poneret abhorrentem a mari? nam nullum est animalium, quod magis amet sal. Quare non aut simiam aut felem dixit potius, quibus bestiis nulla pejus adit aquas?* Mirari certe libet gravis alioqui viri tantam hic levitatem. Verum & mox profert aliquid multo magis absurdum suoque prorsus ingenio indignum. Legit enim paulo post: *aut pars indocili melior grege mellis*. Et nescio quid de apibus comminiscitur, quod ne cogitavit quidem Horatius. Ergone dormitasse bonum Homerum dicemus, an hypercriticam bilem ita insumptam, ut mentem aliàs bonam malitiorâ & pravâ caligine asperserit, vel atro quodam humore depravarit?

37. *Indocili pars melior grege.*) Civium pars sapientior saniorque, adeoque melior plebe indo-

Vos quibus eſt virtus, muliebrem tollite luctum,
Hetruſca præter & volate litora.
Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Petamus arva, divites & inſulas,
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret uſque vinea:
Germinat & nunquam fallentis termes olivæ,
Suamque pulla ficus ornat arborem:
Mella cavâ manant ex ilice; montibus altis
Levis crepante lympha deſilit pede.
Illic injuſſæ veniunt ad mulctra capellæ,

## INTERPRETATIO.

*Vos præditi virtute, femineo abſtinete ejulatu, & properate ultra Thuſcum litus. Nos expectat Oceanus circumfluens. Eamus in terram felicem & inſulas beatas, ubi ſolum incultum fert meſſem annis ſingulis, & vitis non reciſa nihilominus floreſcit: atque ramus oleæ nunquam non germen & fructum producit, & ficus matura propriam arborem exornat: mel fluit e cavata quercu: aqua leniter obmurmurans dimanat e montium cacumine. Ib capræ ſponte veniunt ad mulctram, & grex ſharue*

## ANNOTATIONES.

cili. Nam hæc abripitur animi quolibet pravo & perverſo impetu: illa autem rectâ ducitur ratione.

*Mollis & expes inominata, &c.*) Permaneat hic, ſi volet, vulgus ignavum, eâque generoſâ ſpe carens, quam viri magnanimi concipiunt cum ad grandia quædam ſuſcipienda accenduntur. Alludit Poeta ad id quod refert Herodotus ante citatus, Phocæorum partem dimidiam patrii ſoli captam dulcedine, in Phocæam violato juramento remigraſſe: at alios jurijurando ſatisfacientes Cyrnum ſeu Corſicam recta navigaſſe, ibique communiter per quinque annos cum prioribus colonis habitaſſe, &c.

39. *Muliebrem tollite luctum.*) Ne mulierum more lugete amiſſam patriam ſedeſque aſſuetas: imo tamquam viri tollite animos ad meliora quærenda; ac mementote, *ibi eſſe patriam ubicumque bene:* vel; totum orbem terrarum viro forti patriam exiſtimari.

40. *Hetruſca præter & volate litora.*) Quamprimum ultra maria nota contendite, ac Tyrrheno prænavigato, feſtinate ad felices inſulas in Oceano poſitas.

41. *Circumvagus.*) Vel circumfuſus orbi univerſo, vel inſulis fortunatis. Vide lib. 4. Od. 8. ſub finem.

43. *Reddit ubi Cererem, &c.*) Beatas inſulas deſcribit Horatius miro artificio imitatus Virgilium Georg. 2. v. 140. & ſeq. Italiæ laudes perſequentem.

*Sed gravidæ fruges, & Bacchi Maſſicus humor*
*Implevere: tenent oleæque, armentaque læta.*
. . . . . . . . . . . .
*Hic ver aſſiduum, atque alienis menſibus æſtas:*
*Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos, &c.*

Plutarchus in Sertorio, de Atlanticis inſulis quas vocant Beatas, ita ſcribit: *duæ ſunt, parvo mari diviſæ inter ſe; decem millibus ſtadiorum diſtant a Libya. Imbres illis rari mediocreſque, venti ſuaves plurimum ac roriferi: ſolum pingue, nec arari modo plantarive facile; ſed etiam ex ſe abſque ulla humanâ induſtriâ & labore, fructum producit... aer ſincerus ac temperatus, &c. ut etiam apud Barbaros increbuerit fides, Elyſios ibi eſſe campos, & beatorum domicilia ab Homero decantata. Hæc igitur cum audiſſet Sertorius, mirabilis eum cupido cepit eas inſulas adeundi incolendique; & illis quiete vivendi ſine magiſtratuum atque bellorum curis. At Cilices pacis & quietis impatientes, rapinarumque avidi, Sertorii animum fruſtrati ſunt, & in Libyam ſtatim navigarunt.*

44. *Imputata floret uſque vinea.*) Vitis etſi non putata, floret tamen & fructum affert. Non. Marcell. *putare dicitur purgare, rarefacere,* inquit, affertque illud e 2. Georg. *fingitque putando.* A. Gell. l. 6. c. 5. ſic ſcribit: *putare veteres dixere, vacantia ex quaque re ac non neceſſaria aut etiam obſtantia & aliena auferre & excidere: quod autem utile & ſine vitio videretur, relinquere. Sic arbores & vites, ſic & rationes dicta putari.* Originem deducit Feſtus a voce *putum,* quæ idem quod *purum* ſignificet.

45. *Termes.*) A terminandis agris dictos termes: aſtque ramus ex arbore decerptus, habens folia in ſummitate, reliquis ferme excuſſis; quem in diviſione agrorum figebant, priuſquam metæ ponerentur. Feſtus.

*Nunquam fallentis olivæ.*) Sic lib. 3. Od. 1. *fundum mendacem* vocat, qui fructum non afferens ſpem agricolæ fruſtratur.

46. *Suamque pulla ficus ornat arborem.*) Ficus gignitur a ſurculo naturali & non inſito.

48. *Levis crepante lympha deſilit pede.*) Cum leni murmure decurrit. Alludit Poeta ad Nympham Deam fontis præſidem, eleganter quidem: at in vellicando pertinax Scaliger, *epithetum,* levis, inquit, *non convenit: deſilit enim quia gravis.* Sic & paulo ante: *quid vinea quæ ſemper floret? puto eam nullum unquam fructum laturam.* O meras nugas! ſana dices, lector æquiſſime.

49. *Ad mulctra.*) Mulctrum, mulctrale, & mulctra,

Digitized by Google

**Refertque tenta grex amicos ubera:**
Nec vespertinus circumgemit ursus ovile,
Nec intumescit alta viperis humus.
Pluraque felices mirabimur, ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis;
Utrumque rege temperante cælitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem;
Non huc Sidonii torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Ulyssei.
Nulla nocent pecori contagia, nullius astri
Gregem æstuosa torret impotentia.
Jupiter illa piæ secrevit litora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum:
Ære, dehinc ferro duravit sæcula: quorum
Piis secunda, vate me, datur fuga.

## INTERPRETATIO.

*reportat plena ubera: non ursus vespere fremit circum caulas: nec terra viperarum* latebris *assurgit aut fit tumida. Plura vero beati cum admiratione* videbimus, *ut* quod *Eurus nimbosus agros non infestet nimiis pluviis, neque semina opima urantur, vel arescant glebæ,* quippe *cælitum rex utrobique temperiem dat. Illuc non accessit navis remigibus Arguis; nec obscœna Colchis gressum infixit. Eo non appulerunt Sidonii, vel ærumnosi comites Ulyssis.* Ibi *nulla gregem lues infectat, nec adurit æstus vehementior ullius sideris.* Scilicet *Jupiter eas insulas reservavit piis hominibus, ex quo ætatem auream ære fœdavit, ac deinde ferro sæcula induravit. Istorum malorum fuga prospera bonis conceditur, me vaticinium edente.*

## ANNOTATIONES.

ſtra, æ, dicitur vas in quo recipitur lac quod mulgetur.

52. *Nec intumeſcit alta viperis humus.*) Nullæ ibi venenatæ serpentes. Ibi terra non tumet forsminibus & cavernis viperarum: Proprie: nam terrâ condunt se viperæ; aliæ autem serpentes saxorum aut arborum cavis. Virgil. cit. Italiam sic laudat:

*At rabidæ tigres absunt . . . .*
*Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto*
*Squameus in spiram tractu se colligit anguis.*

De viperis quædam annotavi lib. 2. Od. 8. De Euro lib. 1. Od. 28.

*Radat.*) Devastet, abradendo & auferendo segetes.

56. *Utrumque rege temperante cælitum.*) Jove omnia temperante, hyemem juxta ac æstatem, frigus & calorem.

57. *Non huc Argoo, &c.*) Terram hanc non adierunt Argonautæ velleris aurei prædatores: nec Medea Jasonis amoribus, patrisque & patriæ proditione, totque veneficiis famosa. De *Colchide* l. 2. Od. 13. De Argonautis, deque Medea regis Colchorum filia, Epod. 5.

Virgilius citatus ita canit:
*Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem*
*Invertere, satis immanis dentibus hydri;*
*Nec galeis densisque virum seges horruit hastis.*

59. *Non huc Sidonii, &c.*) Eo non appulerunt Sidonii, Phœniciæ maritimam oram urbemque incolentes, navigatione & mercaturâ celeberrimi; ac proinde non intulerunt illuc fraudes & avaritiam, familiaria negotiatoribus vitia.

*Torserunt cornua.*) Virgil. Æneid. 3. v. 549.
*Cornua velatarum obvertimus antennarum.*

60. *Nec cohors Ulyssei.*) Neque illuc corruptelam invexerunt homines libidinosi, anisque cupiditatibus obnoxii, quales erant Ulyssis comites, de quibus lib. 1. Epist. 2. v. 24.

*Laborioſa.*) Ob longos per maria errores & labores. Epod. seq.

*Laboriosi remiges Ulyssei.*

64. *Ut inquinavit, &c.*) Ex quo Jupiter aureum seculum mutavit in deterius, scilicet æreum, ac deinde ferreum. Ovid. Metamorphos. 1. cap. 3. &c.

66. *Vate me.*) Non temere, sed numinum instinctu, sic vobis suadeo ego Phœbi & *Musarum sacerdos* ac mystes.

AD

Digitized by Google

## AD CANIDIAM.

# ODE XVII.

*Veniam ab ea petit ironice; & hoc gravius illam accusat.*

Jamjam efficaci do manus scientiæ,
Supplex & oro regna per Proserpinæ,
Per & Dianæ non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa cælo devocare sidera.
Canidia, parce vocibus tandem sacris:
Citumque retro solve solve turbinem.
Movit nepotem Telephus Nereium,
In quem superbus ordinarat agmina

### INTERPRETATIO.

*Jam cedo potenti scientiæ; veniam peto, & oro per regna Proserpinæ, & per numen Dianæ minime lacessendum, & per codices incantationum vim habentium deducendi* in terram *astra cælo abstracta. O Canidia tandem abstine verbis* *incantandis, & quamprimum converte retrorsum converte rhombum. Telephus exoravit nepotem Nerei, contra quem Mysorum exercitum superbus instruxe-*

### ANNOTATIONES.

Carmen monocolon ex Iambicis versibus senariis.

1. *Jamjam efficaci, &c.* ) Læserat Canidiam Horatius, ac lacereverat Iambis qui certe ad nos usque non pervenerunt. Hoc vero carmine dum fingit illam exorare, acerbius vellicat & insectatur. *Non est palinodia, ut scripsere: sed simulata recantatio, in qua apparent opprobria manifesta.* Scaliger Hypercritic. Porro si vis, lector, hoc carmen seu Epod. ult. plene intelligere, evolve prius attente Epod. 5. ac deinde Sat. 8. lib. 1. cum annotationibus: tum demum non sine voluptate bene Oden capies.

*Efficaci do manus scientiæ.* ) Efficaciam agnosco scientiæ magicæ, cujus vanitatem ante deriseram. Vide Plin. lib. 30. cap. 1. & alibi. *Fraudulentissima hæc artium in toto terrarum orbe plurimum valuit .... sola tres artes alias imperiosissimas humanæ mentis complexa .... Nata primum e medicina specie salutari ... blandissimis promissis vires religionis addidit, atque admiscuit artes Mathematicas; nemine non avido futura de se sciendi; eaque de cælo peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo, in tantum adolevit, ut hodieque etiam in magna parte gentium prævaleat, & in Oriente regum regibus imperet, &c.* Vide Cœl. Rhodig. lib. 9. cap. 21.

2. *Regna per Proserpinæ.* ) Per Deas tibi maxime venerandas; per Proserpinam Inferorum Deam; Dianam seu Lunam veneficiis præsidentem.

3. *Dianæ non movenda numina.* ) Illa quippe *iracunda*, ut est in Epist. ad Pisones, seque ulcisci expedita: patet exemplis Orionis, Actæonis, Niobes ejusque filiorum. lib. 1. Od. 12. & 21. lib. 3. Od. 2c. Item supra Epod. 5. huc pertinet quod lunatici vocantur quos illa percusserit, dementesque fecerit.

4. *Libros carminum, &c.* ) Libros continentes disciplinam magicam. Plin. loco mox cit. *orta sine dubio in Perside, a Zoroastre, ut inter auctores convenit ... Hermippus de ea arte scripsit diligentissime, &c. ... Democritus illustravit ... Est & alia magices factio a Mose, & Jamne, &c.* Hic unus e magis Pharaonis.

5. *Cælo devocare sidera.* ) Vide Epod. 5.

6. *Parce vocibus sacris.* ) Desine uti in me incantationibus. Jam enim me victum fateor.

7. *Retro solve, solve turbinem.* ) Legunt alii, *volve*. Sensus est: in contrariam partem verte rhombum magicum, ut mens mea a te ad amorem tui impulsa, jam solvatur ac libera fiat. Is turbo seu trochus, æneus, ferreus, ligneusve erat. Illum ad arbitrium agitabant magi, rati a se pariter hominis cujuslibet animum flecti quocumque vellent. Sic apud Theocrit. Eidyll. 2. Pharmaceutria, *ut æneus iste rhombus, inquit, volvitur ex Venere, ita ille vir ad nostras fores vertatur.*

Martial. lib. 9. Epigram. 30.

*Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo,*
*Quæ sciet, &c.*

Meminit & Lucretius,

*Traxerunt torti magica vertigine fili.*

Et Propertius,

*Staminea rhombi ducitur ille rotâ.*

8. *Movit nepotem, &c.* ) Exemplis ostendit pervicacissimos exorari a supplicantibus.

*Nepotem Nereium.* ) Achillem filium Thetidis filiæ Nerei.

*Telephus.* ) Rex ille Mysorum Græcos ad expeditionem Trojanam euntes prohibere voluit aditu ac transitu regni sui. Itaque ad arma & manus ventum est. Ab Achille vero graviter vulne-

Digitized by Google

Mysorum, & in quem tela acuta torserat.
Unxere matres Iliæ addictum feris
Alitibus atque canibus homicidam Hectorem,
Postquam relictis mœnibus rex procidit
(Heu!) pervicacis ad pedes Achillei.
Setosa duris exuêre pellibus
Laboriosi remiges Ulyssei,
Volente Circe, membra: tunc mens & sonus
Relatus atque notus in vultus honor.
Dedi satis superque pœnarum tibi,
Amata nautis multum & institoribus.
Fugit juventas, & verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta luridâ:
Tuis capillus albus est odoribus;
Nullum a labore me reclinat otium:
Urget diem nox, & dies noctem; neque est
Levare tenta spiritu præcordia.

## INTERPRETATIO.

*rat, & sagittas acutas vibrarat. Troianæ matronæ sepelierunt Hectorem bellicosum, feris volucribus & canibus damnatum, postquam rex urbe discedens advolvit se pedibus Achillis eheu inexorabilis. Remiges Ulyssis laboribus exercitî setosos artus exuerunt duris pellibus, concedente Circe: ac tum restituta sunt ratio, sermo, & pristinus faciei decor. Abunde & pluscalum a te sum punitus, o dilecta valde nautis & negotiatoribus. En juvenilis abiit vigor, & color purpureus deseruit ossa cooperta cute cabidâ: crines mei per tua pharmaca cani sunt facti: nulla me quies relaxat a pœnis. Nox premit diem, & dies noctem: neque licet recreare præcordia, respiratione impeditâ.*

## ANNOTATIONES.

neratus, medelam non inveniebat; donec oraculum consuluit; responsumque tulit; inde petendum remedium, unde vulnus acceperat. Ergo ad Achillem se contulit, & ab eo curatus est seu hastæ cuspidis limaturâ, seu herbâ quadam ab Achille inventâ. Plin. l. 25. c. 5. *Invenit Achilles discipulus Chironis, qua vulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos vocatur. Hac sanasse Telephum dicitur. Alii primum æruginem invenisse, utilissimam emplastris; ideoque pingitur ex cuspide decutiens eam gladio in vulnus Telephi. Alii utroque usum medicamento volunt.*

11. *Unxere matres Iliæ*, &c.) Alii legunt, *luxere*; eodem prope sensu: id est: quamvis intestectum Hectorem canibus & accipitribus dare insepultum Achilles statuisset; Priamo tamen supplicanti indulsit, concessitque illius cadaver, quod quidem matronæ Troianæ ex more unxerunt, sepelierunt, luxerunt ac supremis honoribus decoraverunt.

12. *Homicidam Hectorem.*) Qui multos homines in bello occiderat. Epithet. Homer. ἀνδροφόνος, vel ἀνδροφόντης. Iliad.

13. *Postquam relictis mœnibus rex procidit*, &c.) Cum digressus Troiâ Priamus ad Achillem supplex cum magnis muneribus accessit, impetravitque ab eo, ut filii sui Hectoris condonaret sibi cadaver terræ mandandum. Vide lib. 2. Od. 10. v. 14. ibique annot.

15. *Setosa duris*, &c.) Ulyssis comites in porcos transformarat Circe per veneficia: at Ulyssis precibus exorata in pristinam formam illos restituit. Itaque exuerunt pelles setosas, ac resumpserunt humanum statum, vultum, sermonem, rationis usum. Homer. Odyss. 10. Virg. Eclog. 8. & Æn. 3. Ovid. Metam. 14. Chrisost. ait *maleficam Circen ita brutis voluptatibus inescasse Ulyssis comites, ut si fuissent porci.* Vide lib. 1. Epist. 2. v. 25. ibique annot.

17. *Circe.*) Hæc filia solis ac Perses Nymphæ, veneficiis inclyta, herbarum peritissima, *Diis etiam adscripta*. ex Plin. lib. 25. cap. 2.

20. *Amata nautis*, &c.) Adeoque vile scortum, sordidis hominibus expositum, & obviis quibuscumque.

21. *Fugit juventus*, &c.) En per tuas vexationes amisi juvenile robur ac decus.

*Verecundus color.*) Ingenuis proprius rubor verecundiæ index. Cato dicebat, *placere sibi juvenes, qui moniti erubescerent, non qui pallescerent.* Scaliger hallucinatus turpiter, ita scribens: *ruborem juvenilem in veneficâ minus prudenter appellat verecundum.* Imo de se ipso loquitur Horatius, nequaquam de Canidia; ut probat contextus.

23. *Tuis capillus*, &c.) Ante tempus senex factus sum per tua veneficia.

Ergo negatum vincor ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsâ dissilire næniâ.
Quid amplius vis? O mare, & terra, ardeo,
Quantum neque atro delibutus Hercules
Nessi cruore, nec Sicanâ fervida
Urens in Ætnâ flamma: tu, donec cinis
Injuriosis aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quæ finis? Aut quod me manet stipendium?
Effare: jussas cum fide pœnas luam;
Paratus expiare, seu poposceris
Centum juvencos, sive mendaci lyrâ
Voles sonari: tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis Helenæ Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Adempta vati reddidere lumina.
Et tu (potes nam) solve me dementiâ.
O nec paternis obsoleta sordibus,

## INTERPRETATIO.

*Itaque miser cogar credere quod negaram, nempe Sabellis incantationibus mentem dimoveri, & Marsorum carminibus caput disrumpi. Quid ultra petis? O mare, ac terra, flagro plusquam Hercules inunctus putrido Nessi sanguine, &* plusquam *Siculus ignis in ardente Ætnâ saviens.* Ergone *tu fervebis officina venenarum Colchicarum, donec ego sicca favilla abripiar ventis injuriam facientibus? Quis terminus? vel qua mulcta expectat me deni*que? *Loquere: fideliter exsolvam pœnas quascumque imperaveris; expeditus ad satisfaciendum, sive petieris centum juvencos, seu volueris mendaci lyrâ* e me *decantari: Tu casta, tu bona, inter sidera fulgebis astrum insigne. Castor & magni Castoris frater, ob Helenæ infamiâ notatæ contumeliam irati ademerant Poetæ visum,* quem ei *restituerunt exorati precibus. Tu quoque (nam potes) insaniam depelle a me. O nec turpis es ignobili-*

## ANNOTATIONES.

28. *Sabella pectus, &c.*) Sabelli sive Samnites artis magicæ & incantationum periti. Plin. lib. 3. cap. 12. *Samnitium, quos Sabellos dixere.*

29. *Marsâ næniâ.*) De *Marsis* veneficiorum magistris, dixi in Ep. 5. De *nænia*, l. 2. Od. 1. in fine. Hic vero næniam usurpat Horatius pro incantatione.

31. *Delibutus Hercules Nessi cruore.*) Vide Epod. 3. sub finem, ibique annot.

32. *Sicana fervida urens in Ætna flamma.*) Quidam legunt *virens*, aliqui *furens*; nos cum aliis *urens* maluimus. De *Ætna* Siciliæ monte; *mont Gibel*, ejusque incendiis sane prodigiosis, Justin. lib. 4. Gell. lib. 17. c. 10. Virg. Georg. 1. v. 472. Æneid. 3. v. 555. & 570. & alibi. Lucret. lib. 6. fine. Plin. lib. 2. c. 103. *Ætna in tantum flagrat, ut ad quinquagena & centena millia passuum arenas eructet flammarum globus.*

33. *Tu donec cinis, &c.*) Donec ego in cinerem redactus fuero, non desines me incendere, & Colchicis ignibus me urere.

35. *Cales venenis officina Colchicis.*) Parandis venenis ferax, ut Medea illa quondam insignis in Colchide venefica. Vide lib. 2. Od. 13. & supra Epod. 3. & 5.

36. *Quod me manet stipendium.*) Quid tandem persolvendum est a me tibi, ad placandum tuum animum? profecto solvam.

39. *Centum juvencos.*) Hecatomben, non secus ac Proserpinæ vel Plutoni. lib. 2. Od. 14.

*Sive mendaci lyrâ, &c.*) Sive jubeas ut mentiens te laudem quasi probam, pudicam, innoxiam, benignam, &c.

42. *Infamis Helenæ, &c.*) Stesichorus Poeta (de quo lib. 4. Od. 9.) maledicis versibus ignominiam inusserat Helenæ, eamque infamem exhibuerat. At Castor & Pollux Helenæ fratres (de quibus lib. 1. Od. 3.) eam ulti, injurioso vati oculos ademerunt. Visum tamen ei reddiderunt, veniam postulanti, & palinodiam seu carmen alterum ad Helenæ laudem canenti.

46. *Paternis obsoleta sordibus.*) Sive ex adulterio nata, sive e vili & ignobili stirpe propagata.

Nec in sepulcris pauperum prudens anus
Novendiales dissipare pulveres!
Tibi hospitale pectus; & puræ manus,
Tuusque venter partumeius, & tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lavit,
Utcunque fortis exilis puerpera.

INTERPRETATIO.

*tate majorum, nec vetula sciens dispergere cineres novendiales in sepulcris pauperum! Tibi cor benignum, & manus innoxia, uterusque tuus partui aptus: atque obstetrix lavit pannos tuo sanguine rubens, quoties exsurgis puerpera minime debilis.*

ANNOTATIONES.

47. *In sepulcris pauperum, &c.*) Divitum sepulcris custodes adhibebantur adversus magos & veneficos. Virgil. Æneid. 11.

*Semiustaque servant busta.*

Illi vero pauperum cineres eruebant ac dissipabant sua veneficia peracturi.

48. *Novendiales.*) Sepulturæ jam datos. Servius ad Virg. Æn. 5. v. 64. *Apud majores*, inquit, *ubicumque aliquis extinctus fuisset: ad domum suam referebatur; ibique septem erat diebus: octavo die incendebatur; nono sepeliebatur.* *Unde Horatius:*

Novendiales dissipare pulveres.

Vide lib. 1. Sat. 8.

49. *Puræ manus.*) Quæ nemini vim aut necem intulerint. Vide contraria his omnia, tum in Epod. 5. tum in Sat. 8. lib. 1.

50. *Partumeius.*) Fœcundus, vel proprie, pariens quasi mejat, absque labore aut doloribus. Vox ad ludibrium, per quam exprobrat Canidiæ fictus partus, unde & *puerperam* mox vocat *fortem*, id est, minime debilitatam. Quam ob rem vero fœtus a se editos mentirentur veneficæ, dixi in Epod. 5. nimirum alienos infantes surreptos alebant, quibus ad sua veneficia uterentur crudeliter enectis. Valeant qui legunt *Pallameius*, & comminiscuntur Canidiæ filium hunc fuisse ita nominatum, vel quasi ex pacto datum. Commentum, inquam, id habetor.

*Tuo cruore rubros.*) Quasi vere patientis. Ironiam salsissimam singulæ voces olent.

---

# ODE XVIII.

## *CANIDIÆ RESPONSIO.*

Quid obseratis auribus fundis preces?
Non saxa nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hybernus salo.
Inultus ut tu riseris Cotyttia

INTERPRETATIO.

*Quorsum vota fundis ad aures clausas? mare hyemale tumidis fluctibus haud verberat scopulos surdiores erga nautas spoliatos.* Scilicet *impune tu deriseris Cotyttia* mysteria *revelata*,

ANNOTATIONES.

Metrum superiori simile.

1. *Quid obseratis.*) Canidiam respondentem sibi Horatius facit, novo ludibrio.

2. *Non saxa nudis, &c.*) Saxa non surdiora sunt clamoribus naufragorum ac nautarum rebus omnibus jam perditis egentium, quando hyemalibus ventis ac tempestatibus subvertitur mare, & scopulos fluctibus tundit. Sicut, inquam, naufragi opem frustra tunc a rupibus implorant, sic tu a me modo.

*Nudis.*) Scaliger *nudos in hyeme nautas* ab Horatio poni, reprehendit; sed perperam. Quippe denudatos bonis omnibus in naufragio, & vitam duntaxat incolumem petentes recte Poeta exhibet.

3. *Salo.*) Σαλεύειν, *agitare*, item, *fluctare*; σάλος, *Agitatio*, *mare*, *&c.*

4. *Tu riseris Cotyttia vulgata.*) Plerique membranæ habent *Cocytia*, id est, infernalis, a Cocytu inferorum fluvio, qua voce veneficia belle significantur. Quod vero additur, *sacrum liberi Cupidinis*, movit Angelum Politianum, ut corruptum hunc locum putaret, adeoque restituendum; primusque legendum censuerit, *Cotyttia*, id est, flagitiosa, sacra, promiscua libidine turpia, Bacchi Orgiis similia, quæ a veneficis celebrantur.



Digitized by Google

Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?
Et Esquilini pontifex venefici?
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid proderit ditasse Pelignas anus,
Velociusve miscuisse toxicum,
Si tardiora fata te votis manent?
Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
Novis ut usque suppetas doloribus.
Optat quietem Pelopis infidus pater,
Egens benignæ Tantalus semper dapis:
Optat Prometheus obligatus aliti.
Optat supremo collocare Sisyphus

## INTERPRETATIO.

*amori libero consecrata?* Et tanquam *pontifex Esquilini incantamenti impleveris civitatem meo nomine? Quid juvabit locupletasse vetulas Pelignas, aut promptum venenum parasse, si tibi mors accidit lentior, quam cupio?* Atqui vita *misera infortunato protrahenda est* tibi *ad hoc* tantum, *ut diutius novas ærumnas perpetiare. Tantalus Pelopis infidelis pater semper carens expetito cibo requiem desiderat:* poscit etiam *Prometheus vulturi addictus. Sisyphus* pariter *cupit reponere lapi-*

## ANNOTATIONES.

Cotytto Dea spurcitiæ & impudentiæ ab Atheniensibus, Corinthiis, Thracibus, aliisquè colebatur nocturnis sacris omni libidinum genere infamibus. Meminit Juvenalis Sat. 2. v. 92.

5. *Vulgata.*) A te cum ludibrio divulgata: vel quæ ego pie tibi patefeci, tu impie deriseris: nempe Epod. 5. & Sat. 8. lib. 1.

6. *Et Esquilini Pontifex venefici, &c.*) Quasi summus arbiter, sacerdos, ac censor, jus habens cognoscendi & judicandi de rebus omnibus ad religionem pertinentibus, adeoque de sacris illis ac veneficiis, quæ fiunt a me extra portam Esquilinam, vel in Esquiliis, de quibus Epod. 5. in fine.

*Esquilini.*) Quia sepulcretum illic erat, hinc locus erat ad veneficia idoneus, nimirum ossibus vel cineribus mortuorum legendis, vel evocandis animabus, &c. Vide super. carm. ad finem.

*Pontifex.*) Ex Dionys. Halicarn. lib. 2. *Pontifices sunt rerum maximarum domini. Etenim dijudicant sacras omnes causas; privatisque & magistratibus & ministris Deorum statuunt quæcumque sunt sacrorum non scripta atque incognita . . . Sacerdotes etiam omnes recensent, eorumque famulos ac ministros quibus utuntur ad sacra, observant, ne quis peccet in sacris legibus ... Et si quos animadvertunt peccantes mulctant, ad unumquodque negotium respicientes.* Hinc Plaut. Rudent. Scen. ult. *Jubet jurare: tun' meo Pontifex perjurio es?*

7. *Impune ut urbem nomine impleris meo.*) Postquam ego te participem feci veneficiorum & sacrorum in Esquiliis a me peractorum, patiar ut ea derideas, divulges, meque Plebis fabulam & ludibrium facias? Absit: impune haud feres: dabis pœnam.

8. *Quid proderit ditasse Pelignas anus.*) Hoc alii referunt ad Horatium; alii ad Canidiam. Prior erit sensus, ut Canidia dicat Horatio: nihil tibi proderunt aliarum veneficarum incantamenta, quibus te adversus mea tueri voluisti, conductis pretio Pelignis mulieribus. Posteriori sensu, ipsa Canidia de se ait; ergone frustra in opem vocarim Pelignas anus, quibus mercedem erogavi? Vel, quid proderit mihi Pelignas docuisse artem meam, qua ditantur passim; si ego ipsa non præsto quod in te molior?

*Pelignas.*) Peligni populi Marsis & Samnitibus vicini, ac perinde veneficiorum periti.

9. *Velociusve miscuisse toxicum.*) Hoc pariter aliâ & aliâ ratione potest accipi. Vel Canidia dicit Horatio: frustra est quod venenum tibi miscuisti velocius, ad fugienda, per mortem citam, quæ tibi mala & tormenta infero: nam vives, & vives ad ærumnas quaslibet exantlandas, ita me volente. Vel ipsa ait: quid prodest mihi præsentissimum venenum parare posse cum libet, si tu vivis? Atqui placet ut vivas, ut longius ac diutius te discruciem.

13. *Pelopis infidus pater.*) Tantalus in Deos perfidus, quorum nempe arcana impie revelavit. Alii legunt, *infidi*. Pelops enim adversus Oenomaum, tum contra Myrtilum infidelis exstitit. Vide lib. 1. Od. 28. lib. 2. Od. 13. & 18. & postea Sat. 1. lib. 1.

15. *Prometheus.*) De eo lib. 1. Od. 3. & 16. lib. 2. Od. 13. &c.

16. *Sisyphus.*) Hunc mortalium astutissimum vocat Homer. Theognis, *si quis plura norit quam Sisyphus*. Cic. Tusc. 5. n. 98. *tentarem Sisyphi prudentiam*. Est & proverb. *Sisyphi artes*. De eo jam lib. 2. Od. 14. v. 20.

*Optat collocare in monte saxum.*) Cic. Tusc. mox cit. n. 10. *mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus . . . Sisyphus versat saxum sudans nitendo, neque proficit hilum.*

Io monte saxum: sed vetant leges Jovis.
Voles modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico recludere:
Frustraque vincla gutturi ionectes tuo,
Fastidiosâ tristis ægrimoniâ.
Vectabor humeris tunc ego inimicis eques:
Meæque terra cedet insolentiæ.
Ao qoæ movere cereas imagines,
Ut ipse nosti curiosus, & polo
Deripere lunam vocibus possum meis,
Possum crematos excitare mortuos,
Desiderîque temperare poculum,
Plorem artis in te nil habentis exitum?

## INTERPRETATIO.

*dem in montis vertice. At non sinit edictum Jovis.* Sic & tu *cupies jam te dare præcipitem e celsis turribus, jam pectus confodere gladio Norice: quid etiam ægritudine tædiosâ mœstus collum tuum inseres laqueo:* sed *frustra*. *Ego* vero *tum infensis humeris inequitabo; orbisque vincetur audaciâ meâ*. *Numquid* enimvero ago *quæ valeo commovere cereas effigies, quemadmodum ipse cupidus observasti; quæque meis incantationibus devoco Lunam e cælo; & combustis cadaveribus vitam reddere valeo, atque amatoriam potionem conficere;* nimirum *defleam* vanum *exitum artis adversam te inefficacis?*

## ANNOTATIONES.

17. *Sed vetant leges Jovis.*) Ergo quietem optatam, vetante Jove, minime nanciscentur illi, quamvis callidissimi, Tantalus, Prometheus, Sisyphus: ita, me obstante, nec tu qui ausus es mea sacra deridere, tuamque superbiam venditare.

18. *Voles modo.*) Sæpius mortem quæres, nec invenies, quandiu vetabo, inquit Canidia.

18. *Norico.*) E ferro exquisito de Noricis fodinis. Lib. 1. Od. 16. v. 9.

22. *Vectabor humeris, &c.*) Tibi insultabo: te subactum & calcatum premam.

23. *Meæque terra cedet insolentiæ.*) Insolentem meam potestatem universi verebuntur.

24. *Movere cereas imagines.*) Ex arte magicâ. De his jam dixi in Epod. 5. at plura dicam ad Sat. 8. lib. 1. Vide ibi annot.

25. *Ut ipse nosti curiosus.*) Quippe adfuisti, teque admisi ad nostra mysteria. Epod. 5. Sat. 8. lib. 1.

26. *Polo deripere Lunam.*) Vide Epod. 5. v. 46. ibique annotat.

27. *Crematos excitare mortuos.*) Redacta etiam in cineres cadavera suscitare, animas evocare ab inferis, &c.

Virgil. Eclog. 8.

*Sæpe animas imis excire sepulcris.*

Tibull.

*Hæc cantu findit que solum, manesque sepulcris*
*Elicit, & tepido devocat ossa roge.*

Lib. 1. Reg. c. 28. puella Pythonem habens suscitat animam Samuelis, jubente Saule Rege. Vide Sat. 8. lib. 1.

28. *Desiderique temperare poculum.*) Ad philtrum Hippomanes adhibebatur: contra ad odii poculum, fel diversorum animalium. Origin. l. 7. contra Celsum: *Dæmones invocant ad philtra vel misetra.*

29. *Plorem artis in te nihil habentis exitum.*) Tuetur hanc lectionem Theod. Marcilius, *nihil habentis*. ἔχειν Attice valere & posse significat, inquit, Joan. c. 25. ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδὲν, *in me non habet quidquam*.

Alii legunt, *nil agentis*: alii, *valentis*. Alii vero, *plorem artis* (supple, *causâ*, inquiunt) *nullum habentis exitum*: vel, *nil habentis exitus*: afferuntque illud Virgilii, Æneid. 11. v. 126.

*Justitiæne prius mirer? belline laborum?*

Et ibidem v. 280.

*laterve malorum.*

Ubi certe subauditur ἕνεκα, *causâ*.

QUIN-

# QUINTI

# HORATII FLACCI

## CARMEN SECULARE.

*PRO IMPERII ROMANI INCOLUMITATE.*

Phœbe, silvarumque potens Diana,
Lucidum cæli decus, o colendi
Semper, & culti, date quæ precamur
Tempore sacro:

### INTERPRETATIO.

*O Apollo, & Diana silvarum domina, illustre cæli ornamentum; o semper honorandi & honorati, concedite quæ rogamus diebus solemnibus istis:*

### ANNOTATIONES.

*Carmen seculare.* ) Ex Jul. Scalig. lib. Poet. 6. Horatii *Carmen seculare doctum, plenum, tersum, laboratum, felix.* Anno ab urbe condita 736. quintus Augustus seculares ludos celebraturus, Carmen hocce in iis ex more canendum, ab Horatio scribi jussit. Horatius huic operam sedulo impendit, imo tam feliciter, vel suo ipsius judicio, ut & sibi applaudere, & choros nobiles illud decantaturos ad exequendum diligenter sacrum munus antea exhortari non veritus sit. Duplici Ode hæc præstat, nimirum vigesimâ primâ libri primi, & sextâ libri quarti, quam vulgus utramque seculare Carmen nihilominus huc usque nuncupavit, sed perperam. Nam in priori monet duntaxat pueros ac virgines, ut rite canant Apollinis ac Dianæ laudes: in posteriori vero de se ipse & magnifice quidem loquitur Poeta. Quæ plane esse contra rationem hymni, in quo laudari tantum Deos atque invocari decet, nemo negaverit.

Porro quæ ad ludos seculares attinent, paucula saltem hic ascribere non pigebit. Hi centesimo decimo quoque anno peragi solebant, in Campo Martio, per tres dies continuos atque noctes. Primo quidem princeps civitatis in Capitolium ascendebat cum quindecim viris istarum cæremoniarum procuratoribus, ibique sacra fiebant. Tum in Theatris omnibus edebantur ludi. Deinde Junoni supplicabant matronæ. Postremo in æde Palatinâ ter novem pueri nobilissimi, totidemque virgines Patriciæ, in ternos utrinque choros divisi, Græcâ Latinaque voce Apollini Dianæque hymnum decantabant, quem vocarunt seculare Carmen, in quo mala quæque deprecari, bona deposcere moris erat. Quæ quidem omnia si observarentur, incolumitatem Imperio & prosperitatem æternam Sibylla suis carminibus spoponderat. Quapropter curandorum istorum causa Duumviri primum a Tarquinio Superbo, postea Decemviri, demum Sylla Dictatore Quindecimviri creati sunt. Ludos seculares institutos a Numa Pompilio, alii scribunt, alii a Valerio Poplicola, alii verius longe post exactos reges. Neque scriptores consentiunt de tempore, quo celebrati fuerunt. Sunt enim qui velint post centum annos: alii post centum ac decem. Constat anticipatum aliquando tempus. Corn. Tacit. Annal. 11. *iisdem Consulibus ludi seculares octingentesimo post Romam conditam anno, quarto & sexagesimo quàm Augustus ediderat, spectati sunt ... ( sedente Claudio Circensibus ludis, &c. ) Domitianus quoque edidit ludos seculares: iisque intentius affui sacerdotio Quindecimvirali præditus, ac tum Prætor. Quod non jactantiâ refero: sed quia collegio Quindecimvirûm antiquitus ea cura; & magistratus potissimum exequebantur officia cæremoniarum.* Suetou. Claud. c. 21. *fecit & seculares ludos quasi anticipatos ab Augusto,*



Digitized by Google

Quo Sibyllini monuere versus,
Virgines lectas puerosque castos
Diis, quibus septem placuere colles,
Dicere carmen,
Alme sol, curru nitido diem qui
Promis & celas, aliusque & idem
Nasceris; possis nihil urbe Româ
Visere majus.
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres,

## INTERPRETATIO.

*In quibus carmina Sibyllæ jubent puellas eximias & pueros castos hymnum decantare numinibus a quibus proteguntur septem colles. Sol omnia conservans, qui splendido curru lucem producis & aufers, diversusque & idem oriris, utinam nihil queas aspicere excellentius civitate Romanâ. O Ilithyia benigne*

## ANNOTATIONES.

*nec legitimo tempori reservatos: quamvis ipse in historiis suis prodat, intermissos eos Augustum multo post, diligentissime annorum ratione subductâ, in ordinem redegisse. Quare vox præconis irrisa est,* (observa lector ritum solemnem) *invitantis more solemni ad ludos, quos nec spectasset quisquam, nec spectaturus esset: cum superessent adhuc qui spectaverant, & quidam histrionum producti olim, tunc quoque producerentur.* Idem, Domitian. c. 4. *fecit & ludos seculares computatâ ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed quo olim Augustus ediderat.* Vide Dion. lib. 54. Censorin. cap. 5. de die natali. Valer. Maxim. lib. 2. c. 4. Alex. ab Alex. lib. 6. c. 19. præ cæteris autem Onuph. Panvin. nec non Sibyll. carm. ab Opsopæo edita. Zosim. lib. 2. histor. ubi sic etiam scribit: *eodem sacrificio ad tempus neglecto, cum rursus adversi casus accidissent, Octav. Augustus ludos renovavit, factos antea, L. Censorino & M. Manlio Puelio Coss.*

1. *Phœbe silvarumque potens Diana.*) Dii quidem omnes in ludis secularibus coli debebant: præcipue vero invocabantur isti tanquam ἀλεξίκακοι & averrunci malorum: tum quod annum sol, menses luna regat. Testatur Zosim. cit. ibidemque numina sacris illis solemnibus placanda recensentur, Jupiter, Juno, Latona, Apollo, Diana, Parcæ, Ceres, Pluto, Proserpina.

2. *Lucidum cœli decus.*) Apollinem pariter & Dianam, seu Solem ac Lunam ita compellat.

*Colendi semper & culti.*) Hi quippe ab omni ævo Romanis religiose culti, velut Romani conditores imperii. Unde postea, *Roma si vestrum est opus*, &c.

4. *Tempore sacro.*) Hisce diebus festis secularibus, quibus sacra fiebant in omnibus fanis, ac populus universus religioni intentus erat.

5. *Sibyllini monuere versus, &c.*) Ritus, ut dixi jam, secularium sacrorum Sibyllæ carminibus præscriptus erat. Apud Zosim. cit. ita canit illa:
*Μιμνῆσθαι Ῥωμαῖε, καὶ εἰ μάλα λήσεται αὐτόν,*
*Μιμνῆσθαι τὰ δὲ πάντα, θεοῖς μὲν ἀθανάτοισι*
*Ῥέζειν ἐν πεδίῳ παρὰ Θύμβριδος ἄπλετον ὕδωρ*, &c. De Sibyllis, ac Sibyllinis versibus fuse disserui ad Juven. Sat. 3. init. At prodiere nuper eruditissimæ de his lucubrationes Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici Parisiensis, Lipsiæ editæ ann. 1686. in quibus egregie asserit unicam Sibyllam extitisse Erythræam; quæ cum diutissime vixerit, & per varias orbis regiones sit peregrinata, atque in singulis commorata & vaticinata, plurium Sibyllarum opinionem vulgo fecit.

6. *Virgines lectas puerosque.*) Bene vocat *lectos* & eximios. Nam præterquam quod illi debebant esse in primis nobiles, etiam jubebantur esse patrimi omnes & matrimi, id est, parentem utrumque habere superstitem ac viventem. Quorsum vero? Quoniam Apollinis ac Dianæ laudibus rite canendis placandisque numinibus parum idonei videbantur ii pueri, quorum parentibus Dii illi veluti irati vitam ademissent. Nimirum ea veteribus insederat opinio, quotquot mortalium interirent, Apollinis aut Dianæ telis perimi. Zosim. cit. Tit. Liv. lib. 27. &c. Vide & lib. 1. Od. 21. lib. 4. Od. 6.

7. *Diis, quibus septem placuere colles.*) Dii tutelares, præsides, custodes urbis ac gentis Romanæ ipsorum auspiciis conditæ. Romam septem collibus inædificatam esse norunt omnes; sive ejus pomœrio colles septem contineri, nempe Aventinum, Esquilinum, Capitolinum, Cœlium, Palatinum, Viminalem, Quirinalem.

9. *Alme Sol.*) Apollo idem qui Sol. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 21. Hujus autem in hæc inferiora magna virtus. Scilicet calore producit, alit, fovet, auget, lumine recreat, &c.

*Curru nitido diem qui promis, &c.*) Quadrigis vehi sol terram circum a poetis dicitur.

10. *Aliusque & idem nasceris.*) Idem est sol hodie qui heri: hodiernus tamen dies alius est ab hesterno.

14. *Ilithyia.*) Hæc inter generationis præsides recensetur, imo eadem est cum Lucina Dea, quæ parentibus appellatur, seu Diana, seu etiam Junone. Junonis filiam quidam faciunt. Homer.

Pau-

Sive tu Lucina probas vocari
  Seu genitalis.
Diva, producas sobolem, patrumque
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
  Lege maritâ:
Certus undenos decies per annos
Orbis & cantus referatque ludos
Ter die claro, totiesque gratâ
  Nocte frequentes.
Vosque veraces cecinisse Parcæ,
Quod semel dictum est, stabilisque rerum
Terminus servat, bona jam peractis
  Jungite fata.
Fertilis frugum pecorisque tellus

## INTERPRETATIO.

*seu Lucina seu genitalis amas nominari, defende matres. O Dea prolem Romanam multiplica; & promove Senatusconsulta de jungendis* connubio *mulieribus, & lege maritali nova sobolis fertili. Circulus etiam centum & decem annis evolutus redacat cantilenas ac ludos celebres tribus diebus lucidis totidemque noctibus jucundis. Vos autem Parcæ, quæ semel statuta vere prænuntiastis, & fixus ordo rerum custodit, prospera fata addite jam transactis. Terra frugibus fœcunda & gre-*

## ANNOTATIONES.

Pausan. Dionys. Halic. Plato. Cæl. Rhod. l. 28. c. 24. ita scribit: *Ilithyia, sive Εἰλείθυια ex Hyperboreis appulsa Delum Latonæ affuit parienti, teste Pausania. Hinc rem divinam Ilithyiæ obeunt Delii, a quibus didicerint cæteri. Dictamnum herbam juvare insigniter fœcunditatem atque ὠκυτοκίαν; atque ob id corollas Ilithyia ex dictamo contexi suetas, observatum. Ilithyia multis Luna credita est: eamque mitem ac lysizonon adesse parturientes precabantur.* Hæc ille. Ejus meminerunt & Hesiod. Theog. Pindar. Nem. Od. 7. init.

15. *Lucina.*) Sic dicta quod prodeuntibus in lucem faveat infantulis.

16. *Genitalis.*) Quod adjuvet ac promoveat generationem. Et quemadmodum solis calore fœtus animatur, sic nutritur humore lunæ & gignitur. Ex his intelligitur cur e Poeta nostro dicatur *maturos aperire partus lenis*. Vide lib. 3. Od. 22. & lib. 4. Od. 6. stroph. penult. annot.

17. *Producas sobolem.*) Romanam gentem, adeoque potentiam auge, amplifica.

18. *Decreta super jugandis feminis, &c.*) De connubiis rite contrahendis ad generandam prolem, supplendosque exercitus. Censorum jus & officium erat, cœlibes ad matrimonium cogere.

20. *Lege maritâ.*) intellige non legem Poppæam, quæ mortuo jam pridem Horatio, & post ludos istos seculares annis 25. lata est; sed Juliam maritalem, seu de maritandis ordinibus, tunc temporis latam; quæ conjugatis præmia, pœnas autem adversus cœlibes decernebat: præterea ingenuis quibuslibet (exceptis tamen Senatoribus ac Senatorum filiis) uxores libertini generis ducere permittebat. Vide Gell. lib. 1. c. 6. Cicer. de legib. Zonar. Dion. Corn. Tacit. Annal. Suet. Oct.

21. *Certus undenos, &c.*) Precamur etiam ut post evolutum rursus certum illud spatium annorum centum ac decem, quod seculum appellatur, referantur & repræsententur iterum ac deinceps ludis istis similes, semperque adeo floreat urbs & Imperium Romanum. Alii legunt *certus ut denos*, ac centenis duntaxat annis seculum definiunt. Quod tamen haud ita probant eruditi, refragantur que Sibyllini versus.

Ἀλλ' ὁπόταν μήκιστος ἴῃ χρόνος ἀνθρώποισι,
Ζωῆς, εἰς ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλον ὁδεύων, &c.

23. *Ter die claro, totiesque nocte.*) Ternis diebus ac totidem noctibus perseverabant ludi seculares, ut ante jam annotavi.

25. *Vosque veraces cecinisse Parcæ.*) Lucinæ sive Ilithyiæ subjungit Parcas. His nimirum assidere illam scribit Pindar. Od. 7. Nem. ante cit. Ἐλείθυια πάρεδρε Μοιρᾶν βαθυφρόνων ἐ Ἥρας, γενέτειρα τέκνων, *&c. Ilithyia assidens Parcis profunde cogitantibus, filia Junonis, genitrix liberorum, &c.*

26. *Stabilisque rerum terminus servat.*) Quidam legunt, *servet;* sed vix contextus eam ferat lectionem. Alii, *hæret*. Nihil clarius nostrâ illâ lectione. Sensus est: o Parcæ quæ veraciter protulistis ac profertis id *quod semel* a Jove *dictum*, factum & sancitum est, præsertim de Imperii Romani æternitate. Virgil. *Imperium sine fine dedi:* quod quidem hactenus *ordo rerum stabilis ac terminus servat*, constitutæ jam Romanorum potentiæ & gloriæ novam semper adjungite. Vel si mavis generaliter accipere: Parcæ quæ vere cecinistis id *quod semel dictum*, quodque immutabili necessitate fixum oportet servari, concessam

Ro-

Spiceâ donet Cererem coronâ:
Nutriant fœtus & aquæ salubres,
Et Jovis auræ.
Condito mitis placidusque telo
Supplices audi pueros, Apollo:
Siderum regina bicornis audi,
Luna, puellas:
Roma si vestrum est opus, Iliæque
Litus Etruscum tenuere turmæ,
Jussa pars mutare lares & urbem
Sospite cursu:
Cui per ardentem sine fraude Troiam

## INTERPRETATIO.

*gibus det Cereri coronam e spicis. Salubres aqua & aer Jovis alant fœtus. Phœbe sagittis reconditis clemens & benigne, exaudi pueros supplicantes: o luna bicornis, astrarum princeps, exaudi virgines: si quidem Roma est vestrum opus, & ad ripam Italicam felici navigatione appulerunt caterva Troiana, homines jussi mutare domicilia & civitatem; quibus pius*

## ANNOTATIONES.

Romanis felicitatem perpetuam facite.

30. *Spiceâ donet Cererem coronâ.*) Hoc debitum & aptum munus pro accepta frugum abundantiâ. Tibull. lib. 1. Eleg. 1.

*Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona*
*Spicea.*

Et lib. 2. Eleg. 1.

*Spicis tempora cinge Ceres.*

31. *Nutriant fœtus & aquæ salubres, & Jovis auræ.*) Aerem & aquae pestilentes deprecantur; ortaque ne *tabida membris, corrupto cœli tractu, miserandaque veniat arboribusque satisque lues, & lethifer annus*, ut ait Virgil. Æneid. 3. vers. 138. Horat. lib. 1. Od. 21.

*Hic bellum lacrymosum, hic miseram famem,*
*Pestemque a populo & Principe Cæsare in Persas atque Britannos.*
*Vestrá motus aget prece.*

32. *Jovis auræ.*) Hinc Virg. Eclog. 3. *Jovis omnia plena.* Macrob. in Somn. Scip. cap. 17. Jupiter pro cœlo ponitur, & Juno pro aere, Jovisque conjux; quia *aer* scilicet inferior, cœlo est subjectus velut viri superiori. Idem Saturnal. l. 3. c. 4. *Esse autem medium æthera Jovem, Junonem vero imum aera*, ajunt, &c.

33. *Condito mitis placidusque telo.*) Contra ac exerto vel intorto metuendus ac terribilis, lib. 3. Od. 11. stroph. penult. Adde quod ante annotavi, ita veteribus superstitiose existimatum, mortalium neminem interire aut morte mactari, nisi Apollinis aut Dianæ telis percussum. Vide Macrob. l. 1. Saturn. c. 17. ubi Apollinis arco & sagittis Solis radios significari, morbosque hinc vel sanitatem ab eo immitti creditum olim, probe asseritur.

34. *Audi pueros, Apollo, &c.*) Apollinem, ut vides lectos, pueri invocabant, puellæ vero Dianam, in apparatus hinc & illinc choros distributi, & sic jusserat Sibylla:

χωρὶς δὲ κόροι χορὸν αὐτοὶ ἔχοιεν,
ἔ χωρὶς παίδων θῆλυς στάχυς. ἀλλὰ γονέων
πάντων ζώντων, οἷς ἀμφιθαλὴς ἔτι φῦλα.

*seorsim vero puellæ chorum ipsæ habeant,*
*& seorsim puerorum masculus ordo, sed parentum omnium viventium, quibus utrinque florens adhuc genus extet.*

35. *Bicornis luna.*) Non temere hoc epithetum, imo proprium maxime. Nam tempore novilunii agebantur ludi seculares, & carmen illud seculare concinendum erat *ad bicornem lunam.*

37. *Roma si vestrum est opus, &c.*) Idcirco Roma dicitur Apollinis opus, quod Æneas Apollinis oraculo obsecutus venit cum suis in Italiam, ibique consedit.

38. *Litus Etruscum.*) Italicum, Tiberinum litus.

39. *Jussa pars mutare lares, &c.*) Accepta ab Apolline mandata itemque beneficia non sine grati ac religiosi animi testificatione apud ipsum numen referuntur. Virg. Æneid. 3. v. 88. sic Æneas Phœbo:

*... Quove ire jubes? ubi ponere sedes?*

Phœbus autem sic Æneæ respondet:

*Dardanidæ duri, quæ vos a stirpe parentum*
*Prima tulit tellus, eadem vos ubere læta*
*Accipiet reduces: antiquam exquirite matrem.*
*Hic domus Æneæ cunctis dominabitur oris,*
*Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.*

Et v. 160. sic monent Penates Dii Apollinis responsa interpretantes:

*mutanda sedes ... surge, age ...*
*... Corytum, terrasque require*
*Ausonias.*

Et postea:

*Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.*

*Pars.*) Propria. Nam & Troianorum alii Antenore duce in Italiam devenerunt. Virg. Æneid. 1.

41. *Cui per ardentem, &c.*) Illi Troianorum parti a te, Apollo, jussæ novas quærere duce Æneâ sedes, is dux te adjutore, tutum *munivit iter*, longum fugæ laborem, ut ipse jussus erat, minime deserens. Virg. cit. Æneid. 3. v. 160.

*Per ardentem, &c.*) Virgil. Æneid. 2.

*. . . . . flammam inter & hostes*

Ex-

Digitized by Google

Castus Æneas patriæ superstes
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis.
Dii probos mores docili juventæ,
Dii senectuti placidæ quietem,
Romulæ genti date remque, prolemque,
Et decus omne:
Quique vos bobus veneratur albis
Clarus Anchisæ Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior, jacentem
Lenis in hostem.
Jam mari terrâque manus potentes
Medus, Albanasque timet secures:
Jam Scythæ responsa petunt, superbi
Nuper, & Indi.
Jam fides, & pax, & honor, pudorque

### INTERPRETATIO.

*Æneas viam tutam paravit inter incensam Trojam illæsis, ipseque post patriam stans, ampliora donaturus quàm relicta fuerant. O Numina date bonam indolem juventuti flexibili, tranquillitatem senectuti, populo denique Romano divitias, sobolem, gloriam integram. Illustris vero progenies Anchisæ & Veneris, qua modo juvencis candidis vos colit, regnet superior Reste bellum inferente, mitis autem erga subjectum. Jam terrâ marique Parthus formidat vires magnas, atque auctoritatem Romanorum. Jam mandata exspectant. Scythæ Indique paulo ante ferociores. Jam fides, & pax, & honor, atque antiquus pu-*

### ANNOTATIONES.

*Expedior: dant tela locum; flammæque recedunt.*

*Sine fraude.* ) Impone, sine noxa & damno sui aut suorum. Vida l. 2. Od. 19. v. 20.

41. *Daturus plura relictis.* ) Sic enim idem Apollinis oraculum promiserat per Deos Penates ibid. Æn. 3. ante cit.

*... Venturos tollemus in astra nepotes,*
*Imperiumque urbi dabimus: tu mœnia magnis*
*Magna para . . . . . . . . .*
*Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt:*
*Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.*

Itaque Æneas eo responso fretus, Trojanis militibus spondet majora in Italia, quàm quæ in Troade reliquerant & amiserant.

45. *Dii probos mores.* ) Vide quam sancta & justa petat. Quod autem Romanæ genti precatur *rem* seu opes, meminit eas esse quasi nervum Reipublicæ: quod *prolem*. Imperii populique perennitatem exoptat, quod *decus*, id exprimit, quod habet Cic. pro lege Manil. num. 7. Romanos *semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes atque avidos laudis* exstitisse.

49. *Quique vos bobus veneratur albis.* ) Hæc peculiaria sunt ac sigillatim pro Cæsare Augusto vota. Is nimirum *Anchisæ Venerisque sanguis*: nam Augustus a Julio Cæsare, Julius ab Iulo, Iulus notum Æneæ filios: Æneas denique Anchise ac Venere prognatus. Quamquam & hoc referunt aliqui ad Populum Romanum ab Ænea propagatum.

*Bobus albis.* ) Jovi mactari dabant tauri albi; pariter & Phœbo Dianæque utpote lucidis numinibus candidæ victimæ. Junoni juvenca nitida; terræ scrofa nigra: Parcis furvæ agnæ vel capræ. Ita enim jubebant Sibyllina carmina, apud Zosim. histor. lib. 2. jam cit.

λευκοὶ ταῦροι δὲ Διὸς παρὰ βωμὸν ἀγέσθων.
ἤματι μηδ' ἐπὶ νυκτί. &c.

51. *Bellante prior, jacentem lenis in hostem.* ) Virg. Æneid. 6. v. 851.

*Tu regere imperio populos, Romane, memento:*
*. . . . . . . . . .*
*Parcere subjectis, & debellare superbos.*

54. *Medus.* ) Vide lib. 4. Od. 5. & 14. Dio lib. 54. Paul. Oros. lib. 4. cap. 21. Sueton. Octav. cap. 21.

*Albanas timet secures.* ) Romanorum majores Albæ priusquam Romæ regnarunt. Hinc *Albanas* pro, *Romanas*.

Virgil. Æneid. 1.

*At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo,*
*. . . . . . . . . .*
*regnum ab sede Lavini*
*Transferet, & longam multa vi muniet Albam.*

Et antea:

*genus unde Latinum,*
*Albanique patres.*

Porro *secures*, insignia Magistratuum, pro potestate ac majestate poni, notum etiam sciolis.

55. *Scythæ responsa petunt.* ) Augusti ac Romanorum expetunt amicitiam, mandata, leges. Supra cit. lib. 4. Od. 5. & 14. mox cit. Flor. l. 4. cap. ult. &c. De Scythis, lib. 1. Od. 19. l. 2. Od. 9. lib. 3. Od. 24.

56. *Indi.* ) De his antea lib. 1. Od. 12. &c. Oros. in fine lib. 6.

Digitized by Google

Priscus, & neglecta redire virtus
Audet, apparetque beata pleno
Copia cornu.
Augur & fulgente decorus arcu
Phœbus, acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus,
Si Palatinas videt æquus arces,
Remque Romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum, meliusque semper
Proroget ævum.
Quæque Aventinum tenet Algidumque,
Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum amicas
Applicet aures.
Hæc Jovem sentire, Deosque cunctos,
Spem bonam certamque domum reporto,
Doctus & Phœbi chorus & Dianæ
Dicere laudes.

## INTERPRETATIO.

*dit, & virtus contempta remigrare non dubitat: & abundantia referto cornu felix procedit. Apollo vaticiniis & arcu splendido conspicuus, novemque Musis amicus, qui arte medicâ sublevat ægrotantia corporis membra, si placide intuetur arces Palatinas, in lustrum sequens ac meliorem semper ætatem propaget Imperium Romanum, Italiamque prosperet. Diana vero quæ Aventino monti præsidet & Algido, suscipiat vota Quindecimvirûm, atque propitias aures præbeat juvenum precibus. Ego chorus peritus canendi laudes Apollinis ac Dianæ, domum refero bonam certamque fiduciam, in talia consentire Jovem & Deos universos.*

## ANNOTATIONES.

58. *Neglecta redire virtus audet, &c.*) Sunt enim quædam tempora virtuti inimica, ut ait Cic. in Orat. Eo pertinet etiam quod Poetæ scribunt invalescentibus vitiis Astræam terras reliquisse, & in cœlum evolasse. At cum ad meliorem se frugem homines recipiunt, tum dicitur redire virtus, atque rerum ubertatem bonorumque omnium copiam secum referre. Ovid. Metam. 1. c. 4.

*Fugere pudor, verumque, fidesque, &c.*

Quod e Theognide expressum videtur. ᾤχετο μὲν πίστις. abiit fides, &c.

61. *Augur.*) Vaticinandi facultatem a Jove Apollo accepit.

*Fulgente decorus arcu.*) ἀργυρότοξος, apud Homer. Virg. Æn. 12. v. 394.

*Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo*
*Augurium, citharamque dabat, celeresque sagittas.*

62. *Acceptusque novem Camenis.*) Utpote musicæ, lyræ, carminumque inventor ac Deus.

63. *Qui salutari levat arte, &c.*) Apud Ovid. 1. Metamorph. c. 9. ita de se jactat Phœbus:

*Inventum medicina meum est, opiferque per orbem*
*Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.*

Vide & Macrob. lib. 1. c. 17. ante cit.

65. *Palatinas arces.*) In suo palatio ædem Apollini sacraverat Augustus, cum bibliotheca & porticu. Vide lib. 1. Od. 31. Porro in hac æde Palatinâ canebatur Seculare Carmen tertio die ludorum, ut observat Zosim. nota cit.

67. *Alterum in lustrum.*) Vel accipe *lustrum* simpliciter pro spatio quinque annorum, atque adeo synecdochicos pro tempore sequenti: vel significantur & præcipue, pro altero seculo: nam ludis secularibus fiebat insignis lustratio. Zosim. cit.

69. *Quæque Aventinum tenet Algidumque.*) Dianæ erant fana, habebanturque sacra, in utroque isto monte. Aventinus, unus erat e septem urbis collibus. Algidus ab assiduo frigore dictus, non procul Româ.

70. *Quindecim Diana preces virorum curet.*) Quindecimviri sacerdotes erant, quorum jus, potestas, & officium erat, Sibyllinos libros consulere de rebus gravioribus, seu calamitatibus publicis; ex iis responsa dare, placationes & expiationes edicere, sacris faciendis præesse, cæremonias exequi, libros & carmina Sibyllarum tueri: &, quod facit ad rem præsentem, ludorum secularium curam gerere. Vid. Alex. ab Alex. l. 3. c. 16.

73. *Hæc Jovem sentire, &c.*) His annuere, rata habere vota nostra.

75. *Chorus.*) Licet e multis personis chorus constet, unius tamen partes egit ac sustinet. Epist. ad Pison. v. 193.

*Actoris partes chorus officiumque virile*
*Defendat.*

AP-

Digitized by Google

# APPENDIX

## *Ad nostras Annotationes in libros Odarum seu Carminum Horatii.*

Quoniam plerisque locis attulimus Julii Cæsaris Scaligeri censuras; & grave est a tanto viro notari: ne quis ob id fortasse vel quidquam detrahendum arbitretur de summa laude, quam a tot seculis meruerunt Odæ Horatii, aut temere credat Scaligerum velut quadam Zoili vesaniâ percitum adversus Lyricorum Principem debacchatum esse; operæ pretium duximus hic describere integram illustris Hypercritici sententiam, qua nemini dubium relinquatur quanti illas ipse æstimarit. Sic habet Poet. lib. 6. *Est Horatius omnium Latinorum Græcorumque Poetarum elaboratissimus. Nam in Lyricis quem sonum, quos numeros, quam majestatem quæsivit, obtinuit: quæ omnia cum in aliis neglexit operibus, omisit sine gloria dispendio: quam puritatem, elegantiam, venustatem in utrisque appetiit, consecutus est.* Et postea: *Nunc ad politissima ejus carmina contemplanda transeamus: in quibus considerandis major laudis & admirationis quàm castigationis apparatus erit.*

*Carminum igitur libri vel jucundâ inventione, vel puritate sermonis, vel figurarum tum novitate tum varietate, majores sunt omni non solum vituperatione, sed etiam laude; neque solo dicendi genere humili, quemadmodum scripsit Quintilianus, contenti: verum etiam sublimi maxime commendandi. Quid enim altius aut præclarius illis?*

Post ignem æthereâ domo
  Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors:
  Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

*Item istis?* Scriberis Vario fortis, & hostium
  Victor, Mæonii carminis alite, &c.

*Item?* Quis Martem tunicâ tectum adamantinâ
  Digne scripserit, &c.

*Item?* Sub lacrymosa Troiæ
  Funera, ne virilis
  Cultus in cædem & Lycias proriperet catervas.

*Item?* Permitte Divis cætera, qui simul
  Stravere ventos æquore fervido
Deprœliantes; nec cupressi
  Nec veteres agitantur.

*Hæc & alia per portiunculas. At illa tota,*
  Quem virum aut heroa lyrâ vel acri
  Tibiâ sumes celebrare Clio?
  Quem Deum? &c.

Item

*Item decima quarta, decima quinta, quarta & vicesima. Tricesima vero prima adeo assurgit, ut facile probet judicium nostrum. Nec inferior tricesima quinta.*

*Porro 2. lib. prima Ode est altiloqua, sicut & quinta decima. Par spiritus in undevicesima & in sequenti.*

*Sed & 3. lib. prima dicendi genere magnifico structa est, pariter & secunda. Tertia vero gravissima. Quarta nec Pindaro cedit, ac ne quinta quidem. Quin sexta quoque altissime sonat. Haud paulo minor sexta decima. At vicesima nona incipit lenissime; tum vero semper assurgit eo usque, quo nemo aliorum pervenire possit. Ultima ejusdem libri miscuit etiam fastum cum majestate.*

*Quarta lib. 4. profecto aliarum nulli cedit magniloquentiâ. Quam quæ sequitur, tametsi eo non aspirat, in eadem tamen luce versatur: sicut & sexta, quæ simul nitore quodam venustatis perfusa est. Nona altior & severior: qualis & quarta decima: nec minor eam sequens.*

*Quas recensere coactus sum, ut virum maximum atque etiam cum ipso Pindaro in hisce conferendum a calumnia vindicarem. Nam & Pindaro accuratior est, & sententiis crebrior, neque sibi, ut ille, indulgens; sed non sine auditoris reverentia, audax ad eam præstandam magnitudinem, quæ neque illi oneri, ut nobis miraculo sit. In eo nihil laxum est, nihil hiat: omnia cohærent, ita ut unum tota illa esse videantur.*

*Cæteræ Cantiones partim in humili dicendi stylo, ut*

Vitas hinnuleo me similis Chloe, &c.

*Et* Ne sit ancillæ tibi amor pudori, &c.

*Aliæ in mediocri, ut illæ:*

Mœcenas atavis edite regibus, &c.

*Et* Otium Divos rogat in patenti, &c.

*Omnes, inquam, tantæ sunt venustatis, ut & mihi & aliis prudentioribus omnem ademerint spem talium studiorum.*

*Inter alias vero, duas animadverti, quibus ne ambrosiam quidem aut nectar dulciora putem. Altera est 3. lib. 4.* Quem tu Melpomene, &c. *Altera nona lib. 3.* Donec gratus eram tibi. *Quarum similes malim a me compositas, quàm Pythionicarum multas Pindari & Nemeonicarum: quarum similes malim composuisse quàm esse totius Tarraconensis rex.*

*At tametsi tam magnifice de Horatii Carminibus sentio: tamen dabunt ingenuo nobilique pudori nostro veniam studiosi, sicubi etiam optavimus potiora.*

FINIS TOMI PRIMI.

2563117 A
B.5.3.448
Digitized by Google

Digitized by Google